Relectiones Hyemales

DE

RATIONE & METHODO

LEGENDI Utráſque

HISTORIAS,

Civiles & Eccleſiaſticas.

Auctore DEGOREO WHEAR,
apud *Oxonienſes* olim Prælectore *Camdeniano* Primo.

Quibus appenditur

MANTISSA, *de* Hiſtoricis Gentium Particularium.

Acceſſit GABRIELIS NAUDÆI *Pariſini* Bibliographia Politica.

Præmittitur *JUSTI LIPSII* Epiſtola ad NICOLAUM HACQUEVILLIUM, de Hiſtoriâ, Hiſtoricos legendi Ordine, Fructúſque ex iis Excerpendi modo.

Adjectus eſt in extremo INDEX locupletiſſimus, tam Rerum, quàm Auctorum.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officinâ *Joan. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. M. DC. LXXXIV.
Impenſis *H. Dickinſon* & *R. Green*, Bibliopol. *Cantab.*

D. M.

J. *LIPSIUS,

Nicolao Hacquevillio

S. D.

*Vid. J. Lipſ. Epiſt. Select. Cen. Ter. Miſ. Ep. 61. p. 62. Edit. Antverp. 1605.

AD Hiſtoriam cùm dare te cœpiſti, fateris hærere in primâ viâ, & confuſione Rerum aut Temporum, ignorantiâ eorum quæ & quando legenda aut eligenda ſint, pedem figere; imò tædio, aut deſperatione pænè referre. Non fiat, mi *Hacquevilli*; opem imploras, pro copiâ meâ dabo: & ſi non plenè ductor (Occupatio & valetudo nunc abnuunt:) tamen director ero, & digitum intendam, quò & quà contendas.

Hiſtoria nobis propoſita: quæ & cujuſmodi? nam variat: & ſumma ejus diviſio eſt, *Mythiſtoria* & *Hiſtoria*. Illa, quæ fabulas vero mixtas; iſta quæ purum &

merum verum habet. In illâ poëtæ ſunt, & id genus: qui oblectamenta auribus animiſque quærunt, & floridâ iſtâ veſte ornant & augent corpus hoc veritatis. Veteres Poëtæ, & Rex eorum *Homerus*, pulchrè & ſæpè utiliter fecerunt: cùm arcanos ſenſus aut altiora dogmata, hoc quaſi velo obnubunt & tegunt. Sed hanc partem mittamus, non nunc adeundam: altera eſt vera *Hiſtoria*: quam licet bifariàm partiare. Eſt *Naturalis*, eſt *Narrativa*: ſit venia ſic loquenti, planè, ſi non purè. Illa eſt, quæ Naturæ faciem & facta revelat; id eſt, rerum, ſtirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Ælianus*, *Plinius* fecêre: & plures, quos ævum nobis ſubduxit.

Narrativam dico, quæ res geſtas actionéſque prodit, ſacras ſive profanas. Ideóque à duplici hâc materie iterùm duplex, *Divina* & *Humana*. Illa, quæ Religionem, aut quod adhæret, tangit: hæc, quæ res plurimùm actionéſque humanas. Iterúmque ea duplex, *Privata* & *Publica*. Nam aut ſingulorum res, vitam, virtutes, vitia recenſet: & Privata eſt. Aut quæ publicè, plurium uſui aut noxæ, ſunt geſta: & Publicam appello.

Omnes utiles. Propriè tamen & diſtinctè

ſtinctè, Naturalis ſcientiam, Divinæ religionem, Humana prudentiam, omnes delectationem habent. Ad quas autem Te voco? Velim ad omnes ire, ſed in tempore.

Naturalem nunc ſeponamus: *Narrativam* ingero, quam vulgò & peculiariter Hiſtoriam etiam appellamus. Ad hanc priuſquam venias; duo præmittenda ſunt, *Geographia* & *Chronologia*. Illa, ut locorum, regionum, urbium notitiam aliquam concilies; hæc, ut temporum, quibus quæque res geſtæ. Sed communem dumtaxat, & non illam exactam notitiam exigo: ſatis ſit, mundi partes ſitúſque diſtinguere; provincias, & in iis flumina, montes, oppida clariora noviſſe. In temporibus etiam, ſeriem eorum & ordinem tenere, & velut terminis quibuſdam finire Imperia, bella, eventus. Velim equidem, & tacitus ſæpè opto, imò ipſe meditor, eſſe qui breviter & compendio, & quod caput eſt, judicio, ab Orbe condito velut Faſtos concinnet: nec aliud quàm annos, & præcipua rerum, notet ac libet. Qui hactenùs fecêre, aut confundunt nimis, aut diffundunt: & nec notabilia aut laudabilia tamen maximè excerpunt. Sed hoc dum fiat, potes *Euſebio* uti, & novellis quibuſdam, qui herè

& nuper prodierunt. Atque iſta cùm paravimus, age ad ipſam jam Hiſtoriam: & quam præmittimus? pietas vult *Divinam*. Facilis ea eſt, nec diu tenebit. *Judaica* vetus eſt, è Libris Sacris; *Joſepho*, & ejus interprete *Hegeſippo* petenda: noſtra hæc nova, id eſt *Chriſtiana*, olim ex *Euſebio*, *Sozomeno*, pluribus; nunc ex uno *Cæſare Baronio* adſatim haurietur: & quid in diligentiâ viri tantâ deeſt? Imò ut ſuperſit, vereor: iis utique, qui ex profeſſo Theologos non agunt, & ſufficit universè initia, progreſſum, diſſidia, capita & antiſtites Religionis noſtræ ſcire. Non abnuo: compendium bonum exactiſſimi illius laboris ſit, non ſit fortaſſe bono auctoris. Eſt & *Miſcella* religionis *Hiſtoria*: ut *Mahumetana*, quæ magnam orbis partem, à multis jam ſæculis, obtinet; ut *Sinenſium*, *Indorum*, & qui alii vanam & ſimulacris ſervam eam habent. Hæc quoque carptim, quis neget viro Politico & experienti libanda eſſe? Sed, ut dixi, carptim. *Humana* ſupereſt: illa præcipua, quò te voco. Præter prudentiam, & rerum peritiam,

Hæc tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudũ,
Hæc exempla dabit; ———

alibi

alibi uberiùs laudata, & laudanda, nunc præcunda. Duplicem eam feci, *Privatam*, & *Publicam*. Ab utrâ ordiemur? A *Publicâ* ego censeo: & hæc, ordinis doctrinæque causâ, quadruplex iterùm esto. Valdè, inquies, dividis. Fateor; nec animi, vel argutiarum causâ: sed quia usu didici, nihil ad methodum, id est viam rationemque docendi vel discendi, aptius & efficacius esse. Itaque *Socratem* sequor, Divisioni amicum: & cum illo, *divinum virum habeo, qui commodè & opportunè utetur*. Sed ad rem; quadruplex hæc Historia: *Orientalis*, *Græca*, *Romana*, *Barbara*.

Prima, quæ primi aut prisci orbis res habet: cùm nostra hæc omnia inculta, aut infrequentia, & certè obscura & ignota. Itaque in *Judæis*, *Ægyptiis*, *Æthiopibus*, *Syris*, *Persis*, reliquâ *Asiâ*, res ferè & nobiliores eventus tunc sistunt: aut si quid admixtum, leve est, nec scriptione aut lectione divellendum. Hanc primò noſci suadeam: & peti à *Justino* breviter: uberiùs deinde ab *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, & si qui *Græcorum* eam suis miscent. Quædam enim *Polybius*, *Plutarchus*, *Zonaras*, alii suggerent, huc apponenda. Sed *Diodorum* ego laudo & approbo: utinam plenum; &, ut scripsit, absolutum.

Altera est, *Græca*; in quâ *Spartanorum*, *Atheniensium*, *Thebanorum*, & præcipue *Macedonum* res sunt: quos huc traho, & includo. Præter jam dictos dabunt *Thucydides*, *Plutarchus*, *Arrianus*, & *Q. Curtius* è Latinis. Per partes colligenda est: nam qui totam & ordine scripserit, totus ad nos non venit.

Tertia, *Romana* est: in quâ ubertim rerum & eventuum, eorumque insignium: & quæ plures Scriptores illustrârunt. O magnum ô pulchrum Imperium! & addo, diuturnum. Ideóque non mirum si viris factísque brevia illa & fugacia *Græcorum* superavit. *Græci præceptis valent* (ait quispiam) *Romani exemplis*. Et hercules ita est. Non fuit Gens, puto non erit, quæ plura vel in militiâ vel in pace, laudis & virtutis suppeditabit. Itaque ad hanc, mi Adolescens, ad hanc segetem veni, manipulos frugum collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordine hat, ea ipsa dividatur trifariam: in *Veterem*, *Mediam*, *Novam*. Prima mihi est, à Regibus & urbe conditâ, ad *Augustum*: *Media*, cùm immutato statu ad Principes ventum: *Nova*, cùm iterùm mutato, sedes ipsa principatûs *Byzantium* est translata. In *Veteri* Scriptores *Græci Latinique* sunt, sed præcipui isti; *Dionysius Halicarnassens.*

T. Livius, Polybius, Plutarchus, Appianus; quibus compendia adjungere liceat, *Velleii, Flori, Eutropii, Orosii. Velleianum* laudabile fuit; sed potior pars periit: judicio & ordine tamen scriptum, & quod exemplar pleniori Chronologiæ sit ad imitandum. Faciant huic parti *Fasti Romani à Carolo Sigonio* editi, & producti ad *Augustum*. At in *Media*, noster *Tacitus, Suetonius, Ammianus, Spartianus*, & adjuncti *Cæsarei Scriptores*: è *Græcis* autem, *Dio Cassius, Jo. Zonaras, Herodianus*, legendi: tum & compendium *P. Victoris*, itemque *Eutropii*. Adde ad seriem temporum, imò & rerum lucem, *Onufrii Panvinii Fastos*, ab *Augusto* ad *Justinianum* diligenter & industriè consignatos. *Nova* supereſt: & in eâ ferè *Græci* isti, *Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathius, Nicetas Choniates, Nicephorus Gregoras, Michaël Glycas, Georgius Cedrenus*: etsi hîc ultimus quidem, anilium sæpè fabellarum scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. Judicio legatur tamen, dabit quod juvet.

De *Romanâ* habes: quarta erat *Barbarica*: quid nisi lacinia & spolium ab illâ veste? Nam hanc appello & intelligo, cùm scisso fractoque Imperio, major pars ad *Gallos, Germanos, Turcas* ivit, & alterinatim

natim hucusque mansit. Nec enim *Gothos*, *Hunnos*, *Vandalos*, *Scythas*, aut illam fæcem huc includo: quæ maneat in *Mediâ* aut *Novâ Romanâ*, & iis inserta nempè legetur. Faciunt huc propriè tamen *Jornandes*, *Procopius*, *Agathias*, & si qui tales. Sed meam hanc *Barbariem* varii scripsêre, atque ipsi ferè Barbari, & addam barbarè: extántque *Germanici*, *Gallici*, *Britannici* Scriptores, in unum corpus nuper decorè & utiliter conducti ac vulgati. Sunt & *Annales* à *P. Pithœo* editi: & cottidiè hujusce argumenti prodeunt, judicio eligendi. Scripsit & *Carolus Sigonius de Regno Italiæ*, quod huc facit: & *Johan. Lëonclavius Turcica*; uterque mihi bonus & laudatus. Quid omitto? *Laënicus Chalcocondylas* se suggerit, in *Turcicis Græcísque* legendus; item *Guilielmus Tyrius*, & alii in transmarinis sacríque bellis.

Hem, inquies, quanta materia, & quæ sylva? quis ingredietur sine errore, & egredietur? Quî ordine insistet, quî industriam & curam adferet, jam dicendæ. Ordine, inquam, inprimis opus; & ne confusa & vaga lectio sit, aut desultoria & interrupta. Hoc plerisque evenit; & velut ex equo in equum se trajiciunt, ab hoc Scriptore in alium, ab isto argumento

to

to in illud: quo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus ſuum, imò & ſe, fallant. Apage tales iſtos, & ad *Amadéum* ſuum, aut ſi altiùs aſſurgere velint, *Heliodorum* eant. Tu ordine leges: quem ex ipſis à me dictis etſi potes inſtituere: tamen, in exemplo dabo. Ecce *Románam Veterem* legere decrevi: ordiar ab univerſali aliquâ notitiâ, & Compendium *Flori*, aut *Eutropii* præmittam. Tum à capite, & ab ipſo *Livio*: cui *Dionyſium* adjungam, & *Polybium*, *Plutarchum*, aut *Appianum*: ſed quémque in conſimili argumento. Cùm peregero, ad *Mediam Novámque* veniam, & conſtantiâ eâdem peragrabo. Et de *Ordine* facile eſt, atque animi tantùm decreto opus: *Cura* plus habet operæ, & in eâ omnis eſt legentium fructus. Duo in hâc ſpecto, ſive exigo: *Attentionem*, & *Electionem*. Cùm legis, non ſuſpenſum aut attonitum te habeat tantùm novitas aut magnitudo eventuum: inſiſte, inquire, cui rei hoc facere poſſit, & ecquem uſum ſui præbere. Mora hîc aliqua inter legendum & tarditas, fateor: ſed nimirùm, dicto veteri; *Nulla res poteſt eſſe eadem, feſtinata ſimul & examinata: nec eſſe quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, ſimul & gratiam celeritatis.* Tarda igitur, & quære. Cùm reppe-

repperisti, tum sit *Electio*: id est, ut stilum capias, & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas. Ea distincta etiam sint, & jam antè libri parati, meo judicio, quattuor; in quos, quidquid eligis, conferas, & tuto deponas. Nam memoriæ suæ qui credit tantùm: quid agit? non dicam nihil, sed in breve, proficit; nec ulla ea tam vasta, capax, tenax est, quæ varia ista cum fide asservet & reddat. Trade libris: in quo labor aliquis, & iterùm in legendo remora: sed, mihi crede, utilis, si quidquam in omni ratione studiorum. Libri isti *quattuor*, totidem *titulos* habeant rerum, quas præcipuè in Historiis notes: *Memorabilium*, *Ritualium*, *Civilium*, *Moralium*.

Quid *Memorabilia*? Res designo magnas, & cum admiratione aut motu legendas, sive audiendas: ut est notabilis *Potentia* alicujus Regis aut Populi, *Opera*, vel *Opes*, *Prodigia*, & novi aut insoliti *Eventus*. Uno verbo quidquid non obvium, & magnitudine vel raritate se commendat.

Ritualia autem, quæ pertinent ad instituta ritúsque veteres, sive quos in publico, sive in privato usurpabant. Alios enim istos *Orientales*, *Græci*, *Romanique* habuerunt: & ab eâ notitiâ, feria omnis intel-

intelligentia dependet veterum Scriptorum.

At *Civilia* appello, quæ ad vitam & regimen commune faciunt, & hanc hominum jure & legibus devinctam Societatem.

Moralia denique, ea quæ privatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitiis alienam.

Ecce, quattuor hi ſunt *Tituli*: quid ſupereſt? Referre in eos, quidquid ad ſingulos illos facit, ſive *Sententiarum*, ſive *Exemplorum*: idque cum hâc *Attentionis* curâ, & *Judicii* item normâ. Dic clariùs, inquies. Nempe quiſque liber alios & minores ſuos *Titulos* habeat: quia Natura & Memoria ordine & partitione iſtâ gaudent. Ut, ille *Memorabilium*, in ea quæ attigi: nec nimis ſanè argumentum hoc patet. Latiſſimè *Ritualium*: ac dividamus in *Sacra* & *Profana*. Sacra omnia publica: continéntque *Deos*, & eorum *Nomina*, item *Cognomina*: tum *Inſignia*, *Munia*, *Cultum*, & *Templa*. Ampliùs, *Sacerdotes*, alioſque Miniſtros: tum *Sacrificia* ipſa, *Hoſtias*, *Ceremonias* & *Ritus*: denique, *Verba Sollennia* & formulas precationum, & quidquid illos aut iſta ſpectat. Nimis partiri, tenue eſt, & hîc inutile; ſpernes. Jam *Profana* ſequuntur:

atque

atque ea duplicia, *Publica*, & *Privata*. Illa, quæ communiter omnes aut plures tangunt, & publicis Legibus aut Institutis continentur: ut *Magistratus*, & singulorum *Munia*, aut *Ornamenta*: ut *Senatus*, *Militia*, *Provinciæ*; *Præfecturæ*, *Officia*, & quidquid istis adhæret: tum *Leges*, *Judicia*, & eorum ratio, *Supplicia*, *Tormenta*, *Pœnæ*: lætiora denique, *Ludi* & *Spectacula*, *Triumphi* & *Festi dies*. Ad *Privata* venio, & iis subjungo, *Nuptias*, *Funera*, *Balnea*, *Convivia*, *Vestes*, *Nummos*, & quæ longum sit complecti. Minuta enim etiam intercurrunt: sed in sermone ostendenda potiùs, quàm Scripto adumbranda. Imò adeò minuta, ut nec *Titulos* suos grandiores quædam habeant: sed verbis signentur, & ordine isto literarum. Ac si me audis, in pleríſque eo utêris: quia non ad famam aut pompam ista disponuntur, sed tui usum. Sequuntur & excipiunt *Civilia*: utilissima pars iis, quos genus aut destinatio ad Rempublicam vocant. Is Liber tres Partes habeat, antiquâ & verissimâ divisione: Status *Regum*, *Optimatum*, *Populi*. In quâque Parte notes, & eò referas, quæ *Firmandæ* sint, aut *Vertendæ*: & hæc ipsa subtiliùs dividas, ut à me in *Politicis* factum. Utar hoc exemplo cum fiduciâ: & conveniant vel qui

nova

nova adferunt, aut vetera referunt, non dabunt in Ordine & Methodo, quod fortaſſe anteponas. Sed unum etiam addi poteſt, & debet: vel ut *Sententiæ* plures uni rei congerantur: vel ut *Exempla*. Hanc poſtremam Partem non neglexi equidem, & habeo ſepoſitam imò paratam in ſcrinijs, & avidam exire. Sed tu aut alius, non ideò remitte: & quiſque ſibi, vel firmius, vel jucundius certè, tale aliquid ſtruit. Poſtrema ſunt *Moralia*: quorum duæ Partes, *Virtutum* & *Vitiorum*. Velim & hæc diſponi ordine Literarum: ſed ita, ut *Virtute* præeunte, cuique bina ſua *Vitia* ſint ſubjuncta. Traho eódem etiam non Vitia propriè, ſed *Affectus*: & *Cupidinum* ſtirpes, *Spem*, *Metum*, *Gaudium*, *Dolorem* adnecto: tum etiam de *Beatâ Vitâ*, & quidquid in Ethicis ſedem ſuam habet. Sed ſatis hæc communia in Scripto prævivi: in Sermone alia: illud in fine te ſedulò moneo, ut ne mole hâc, quæ videtur, abſterreare. Quid enim? tam varia, tam multa? inquies. Nihil eſt: imò incredibile, quàm citò hæc ſuſcipiantur, & fiant, ſi tenor & conſtantia ſit, & quiſque dies opus ſuum probet. Triennii res, non diu te differo: mihi ſi olim talis monitor, vel citiùs abſolviſſem. Cogita te in ipſo flore ævi,

& corpus labori, animum intentioni ferendæ esse; quid cessamus,

Dum res, & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra?

Non fac, mi Adolescens: cui ego factum consultúmque tuâ causâ volo, tum & Clarissimi V. Legati Regii: qui etsi connubio tantùm tibi parens, tamen vel naturalem affectu & curâ præstat. Tu agnosce, illum cole, me & bona ama.

Lovanii, III Non. *Decemb.* M.DC.

Errata sic corrigantur.

PAG. 18. Lin. 15. *L.* ἰχρὰς. p. 32. l. 19. *l. Eusebii.* p. 39. l. 35. *l. Bœotiæ.* p. 46. l. 8. *l. citiùs.* p. 58. l. 32. *l. de Livio, inquit.* p. 69. l. 26. *l. item.* p. 79. l. 17. *l. Cominæus.* p. 120. l. 2. *l. Historici.*

RELECTI-

RELECTIONUM CONSPECTUS.

ANTELOGII.

Occasio harum Relectionum. Item exempla. Scopus, Publica utilitas. Haud temerè tamen publicandæ. Scripturientium hujus ævi præsidentia perstringitur. Modestia suadetur, exemplo Plinii Secundi. Mos antiquus recitandi apprimè utilis, & quomodo; hoc ævo optabilis; Sapientibus gratissimus. Non ostentationis, sed modestiæ potiùs argumentum. Viva vox. Quò præstet auditio lectioni. Historiæ definitio, finis, divisio, Species. pag. 1.

Partis Primæ SECTIONES.

SECT. I.

AD fructuosam Historiarum Lectionem tria requiruntur. Indè tres hujus dissertationis partes proponuntur. pag. 13.

SECT. II.

Historiarum series qualis instituenda. Quomodo ordinanda. Temporum intervalla tria observanda. Epocha quid. Quotuplex. Cataclysmi. Quibus temporibus inciderint. Intervallum ἄδηλον. μυθικόν. Olympiades. Intervallum Historicum. p. 14.

SECT. III.

Summorum Imperiorum series, & successio. Fatalis perhibetur. Quadruplex enimvero probatur. Medorum & Persarum unicum Imperium asseritur. Singula, Prophetarum oraculis præmonstrata. Summorum appellatio, frustrà à Bodino cavillata. Romanum, omnium maximum Imperium. p. 17.

SECT. IV.

Assyrio-Chaldaici Imperii institutio ac duratio. Item Medo-Persici, indè Græcanici. Romani Imperii initium ante Jul. Cæsarem. Inde ad Carolum M. quot anni intercesserint. Denique ad Carolum V. p. 21.

SECT. V.

Quatuor isthæc imperia quare dicebantur Summa. p. 25.

SECT. VI.

Historiarum lectio unde auspicanda. Epitomæ justæ non penitùs damnandæ. Synopses Historiarum. Chronologi. Alia etiam compendia nominatim commendantur. Qui denique Auctores præcipuè circa universalem Historiam sint consulendi. Raulæus inter præcipuos. Sed Historia Biblica omnium prima, & primò edi tenda. p. 26.

SECT. VII.

Assyrio-Chaldaica unde petenda Historia. De Beroso, Ctesiâ, Megasthene, eorúmque suppositiis Scriptis. Ad Josephum potiùs in eorum defectu recurrendum. In Diodoro Siculo magna jactura aliundè sarcienda. Præsertim ex Josepho, & Historiâ prophetica. Diogenes Laërtius laudatur. p. 29.

SECT.

SECT. VIII.

Herodotus undè ſuam inchoaverit Hiſtoriam; ubique deſierit. Ejus laus; quo tempore floruerit. Secundæ Monarchiæ initium. Argumenta ſingulorum librorum Herodoti recenſentur. Muſarum nomina cur eis impoſita. Contra Lud. Vivem excuſatur. Ex quibus Auctoribus locupletior, vel etiam illuſtrior fieri poſſit ejus Hiſtoria. p. 33.

SECT. IX.

De Thucydide. Ejus elogia. Undè & quouſque deducat Hiſtoriam ſuam, quam octo libris complexus eſt. Eorum argumenta breviter & ſingulatim explicantur: quinam Auctores de iiſdem temporibus ac bellis cum Thucydide ſcripſerint, indicatur. p. 36.

SECT. X.

De Xenophonte. Laudes ejus & elogia. Quando, & quo ordine legendus. Quadraginta octo annorum Hiſtoriam dedit. Quam ex Plutarcho, Juſtino, Diodoro Siculo amplificare licet. p. 40.

SECT. XI.

Diodori Siculi pulcherrimum elogium. Hiſtoriam ſcripturus, varias regiones peragravit. Xenophonteam continuat Hiſtoriam lib. 15, circa finem. Inde Philippi Maced. res geſtas narrat. l. 16. Mox ad Alexandrum M. pergit, & Tertiæ Monarchiæ inſtitutionem deſcribit. p. 43.

SECT. XII.

Alexandri M. res geſtas varii ſcriptores executi ſunt. Arrianus, & Q. Curtius. Eorum elogia. Quo tempore floruerint. Succeſſores Alexandri proſequitur Diod. Cui utiles ſuppetiæ alii Auctores ferre poſſunt. p. 45.

SECT. XIII.

Polybius ubi legendus. Quorum temporum hiſtoriam ſcripſerit. Quomodo animum ad ſcribendum appulerit. Quantus vir fuerit. Quibus elogiis celebratus. Ejus Hiſtoriæ pars maxima periit, aut

in fragmenta diſſipatur. Librorum ſuperſtitum contenta. p. 47.

SECT. XIV.

De quartâ Monarchiâ Romanorum. Ad ejus Hiſtoriam tranſitio. Utriuſque laudes. Hiſtoricorum Romanorum fata deplorantur. p. 50.

SECT. XV.

Romanæ Hiſtoriæ curſus unde auſpicandus. L. Annæus Florus commendatur. Doctorum de eo judicia. Non eſt idem cum Livii Epitomaſte. Ejus hallucinationes excuſantur. Ejus ſcribendi Methodus. Unde errores veroſimiliter irrepſerint. Sigonii & Onuphrii Faſti Conſulares, item Pighii Annales laudantur. p. 52.

SECT. XVI.

In lectione Romanæ Hiſtoriæ, quo ordine pergendum. Dionyſius Halicarnaſſ. laudatur. Hiſtoria ejus, quot annorum ſeriem contineat. Cur ei principem locum tribuamus, ratio redditur, & ex J. Bodino confirmatur. p. 54.

SECT. XVII.

T. Livius abundè, nec immeritò, laudatur. Quo tempore vixerit. Quot libros ſcripſerit. Eorum diviſio unde. Quo ordine legendi. Quomodò eorum Hiſtoria vel amplificanda, vel in defectu ſupplenda. Plutarchi laudes & Elogia. p. 56.

SECT. XVIII.

T. Livii Decas ſecunda, h. e. à libro 10. ad 20. tota interiit. Quomodò, & unde ea Hiſtoria ſuppleri poſſit. Appianus Alexandrinus. De eo quid cenſeant viri doctiſſimi. p. 60.

SECT. XIX.

Ad reliquos viginti quinque libros T. Livii ubi pergendum. Eorum Hiſtoriam quinam alii Auctores confirmare, aut illuſtrare poſſint. Decades novem poſteriores cum dimidiâ prorsùs deſiderantur. Unde reſarcienda earum jactura. Salluſtii Hiſtoria laudatur.

laudatur. Item Cæsaris Commentarii; ab eruditis prisci ævi, juxtà & modernis. p. 62.

SECT. XX.

De Dione Cassio, & ejus Historiâ. Quot libros scripserit. Eorum quot perierint, & quantâ jacturâ. Inter optimos Scriptores quàm meritò censendus Velleius Paterculus. Ejus virtutes indicantur. Sed & nævi non dissimulantur. Ad Cæsariorum temporum Scriptores transitur. p. 64.

SECT. XXI.

Historia Cæsarum à Suetonio & Tacito primò petenda. De utroque præclara doctissimorum virorum testimonia. Circa Tacitum variant celeberrimorum Criticorum judicia, ne dicam pugnant. Et Suetonio & Tacito, lux à Dione Cassio. p. 65.

SECT. XXII.

Quomodò ad alios Historiæ Augustæ Scriptores transeundum. viz. Spartianum, Capitolinum, Vulcatium, & reliquos non levitèr æstimandos Auctores. Justi Lipsii de iis judicium; item Casauboni. Herodianus suo loco cum superioribus legendus. Quousque in Historiâ processerint isti: quos inter, Aurelius Victor, & Pomponius Lætus meritò admittendi. p. 69.

SECT. XXIII.

Post Constantium Chlorum, uti & paulò antè, Historia nonnihil perturbata videtur: præsertim apud Latinos Scriptores. Eusebius, Zosimus, Zonaræ, explicatiorem reddere possunt. De Zosimo & Zonarâ, eorumque scriptis: item de Jornande. Ammianus Marcellinus hîc locum habet. Lipsii & Balduini Jcti de eo censuræ. p. 72.

SECT. XXIV.

Historia Miscella Diaconi, item Jornandes de Rebus Geticis; necnon Procopius & Agathias, suum hîc locum habere possunt. Vel si placeat, Zonaræ Tomus Tertius. Quem sequatur Nicetas Choniates.

Tum Nicephorus Gregoræ. Aut ſi prolixum nimis id videatur; poſt Zoſimum, Blondus Forlivienſis legi poteſt. Vel aliter, poſt Vopiſcum, Sigonii Hiſtoria Occidentalis admitti poteſt. Indè ad 7. vel 8. lib. primæ Decadis Blondi, pergat Lector. p. 75.

SECT. XXV.

Breviorem adhuc Hiſtoriæ curſum ab initio Cæſarum, ad hoc uſque ſeculum Lectori ſuppeditabunt, Johannes Cuſpinianus, Paulus Jovius, & Auguſtus Thuanus. p. 78.

SECT. XXVI.

Particularium Hiſtoriarum Scriptores quidam, lectu digniſſimi, recenſentur. Guicciardinus. Paulus Æmilius. Philippus Cominæus. Quorum egregia memorantur elogia. Meteranus, Chromerus, Bembus. p. 79.

SECT. XXVII.

Ad Hiſtoriam Britannicam tranſitio. Quomodò ad eam legendam Lector ſe accingat. Quo ordine in eâ pergendum. Camdeni Britannia, & Seldeni Analecta, primò legenda. Georgii Lilii Chronicon. Hiſtoriæ Britannicæ compendium. p. 81.

SECT. XXVIII.

Gulielmus Malmesburienſis. Savilii de eo judicium: Item Camdeni. Undè Hiſtoriam inceperit, & quouſque progreſſus ſit. Galfridus Monumethenſis quare prætermittendus. Super ejus Hiſtoriâ, cenſuræ Neubrigenſis, Johannis Withamſted, Balæi, & Johannis Twini. A quibus omnibus diſſentit Virunnius. Malmesburienſem ſequatur Huntingdonienſis; eum Hovendenus. p. 83.

SECT. XXIX.

Aſſerii Menevenſis Hiſtoria laudatur. Cum ſuperioribus quo tempore legenda. Item Eadmeri Hiſtoriæ Novorum. Matthæus Pariſienſis. De eo Baronii judicium. Thomæ Walſingbami Chronica. Geſta Regis Stephani ab Anonymo, & vita Edwardi II. à Thoma dela-Moore ſcripta, ſuo tempore interponenda. p. 86.

SECT.

SECT. XXX.

Walsinghami Hypodigma Neustriæ, & Rerum Normannicarum Scriptores haud insuper habendi. Eos inter, Oldoricus Vitalis præcipuæ notæ. Ab Henrico V. ad Richardum III. Historia à Polydoro Virgilio petenda. De quo, nobilissimi Savilii nostri judicium animadvertendum. Richardum III. descripsit Thomas Morus, Eques Auratus, & Angliæ Cancellarius. Henricum VII. Vice-Comes Santalbanus. Henrici VIII, Edwardi VI, & Mariæ Reginæ Annales, Fr. Godwinus Landavensis Episcopus, literis consignavit. Sicuti Gulielmus Camdenus, Elizabethæ. p. 88.

SECT. XXXI.

Etsi nostratis Historiæ corpus integrum, prorei dignitate concinnatum, Latinè nondum habeamus; Anglicè tamen qui id multâ cum laude præstiterunt, habemus. Johannis Speedæi Theatrum Britannici Imperii oppidò illustre, à nostris adolescentibus imprimis contemplandum. Præsertim ab iis, qui regiones exoticas visere cogitant. p. 91.

MANTISSA *de Historicis Gentium Particularium.*

ART. I.

Institutum, & ratio istius Appendicis. Quo ordine in Historiis Particularibus progrediendum. Præcipui cujúsque Gentis scriptores seligendi. Historici sequioris sæculi, cum Antiquioribus collati. p. 95.

ART. II.

Historici Germanorum, ac populorum omnium, qui ab Alpibus usque ad mare Balticum, & à Rheno usque ad Vistulam sedes habent: quibus conjuncta est historia Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Herulorum, Helvetiorum, Longobardorum, Polonorum, Muschovitarum, Danorum, Suecorum. p. 98.

ART. III.

Historici Austrorum. p. 101.

RELECTIONUM

ART. IV.

Historici Hunnorum, Hungarorum. Ibid.

ART. V.

Historici Gothorum, Danorum, Sclavorum, Suecorum. p. 103.

ART. VI.

Historici Longobardorum. p. 105.

ART. VII.

Historici Polonorum, Borussorum. Ibid.

ART. VIII.

Historici Bohemorum, Suitiorum seu Helvetiorum, Saxonum. p. 107.

ART. IX.

Historici Celtarum seu Gallorum, & Francorum; quo nomine eos omnes complectimur populos, qui Rheno, Pyrenæis, Alpibus, & utroq; mari cinguntur. p. 108.

ART. X.

Historici Belgarum, Batavorum, Flandorum, &c. p. 112.

ART. XI.

Historici Hispanorum. p. 114.

ART. XII.

Historici Turcarum, & Arabum; qui olim Africæ, Syriæ, Persiæ, Hispaniæ Imperia tenuerunt, vulgò Saraceni appellati. p. 116.

ART. XIII.

Historici Tartarorum, Muscovitarum, & Sarmatarum. p. 119.

ART. XIV.

Historici Æthiopiæ, Indiæ, Africæ pænè totius, & Novi Orbis seu Americæ. p. 120.

ART. XV.

Historici insigniorum quarundam Urbium. p. 121.

SECT. XXXII.

Ad Historiam Ecclesiasticam transitio. Eam tractare, cui imprimis convenit. Duo (in genere) temporum intervalla respicienda. Historiam primi intervalli, Sacra Biblia continent. Cum iis Josephi Antiquitates

tiquitates Judaicæ legantur. De Josepho, doctissimorum virorum judicia. Hegesippus ille pseudepigraphus, Auctor haud penitùs rejiciendus. Quo sensu utilis & laude dignus. Sulpitii Severi Historia Sacra, meritissimò hîc Lectori commendatur. p. 125.

SECT. XXXIII.

Secundi intervalli (h. e. Ecclesiæ Christianæ) Historia, primò ab Evangelistis, & aliis Novi Testamenti libris, ubi ejus incunabula narrantur, haurienda est. Qui porrò aliquam partem ejus infantiæ αὐτόπται descripserint, vix ulli extant: circumferuntur nonnulli, qui iisdem temporibus vixisse perhibentur, & primorum Martyrum certamina descripsisse, sed à doctis supposititii, quòd fabulis scateant, æstimati. Ei vitio, Recentiorum aliquot obnoxios fatetur Baronius. Idem Vives conqueritur, & Melchior Canus. Item veteres nonnulli. Idebque Ecclesiæ Historia cum curâ legenda. Nimia tamen incredulitas vitanda: in lectione Historiarum, quales esse debeamus. Antiquissimi, & priores, recentioribus præponendi. p. 130.

SECT. XXXIV.

Tertio demum seculo, florente Ecclesiâ, florescere cœpit Historia. Eusebius Pamphili inter Ecclesiæ Historicos princeps. In libris de vitâ Constantini, Xenophontis æmulus. Multa ab eo scripta periêre. Ejus auctoritas vindicatur. Quoúsque Historia Eusebii procedat. De Ruffino Scaligeri judicium. Tripartita Historia. Panegyrici Eusebiani lectio commendatur. p. 136.

SECT. XXXV.

Socrates quo tempore vixerit; unde & quoúsque Historiam perduxerit: item Theodoritus quid quoque libro complexus sit. Photii de eo censura. Sozomenus Salaminius, novem libris historiam continuat, ad An. Chr. 423. D. Gregorii locus adversùs Sozomenum expenditur. Eique respondetur. Sozomeni

meni Candor; de eo Evagrii testimonium. Tripartitam Historiam sequitur Evagrius, eamque continuat, ad an. 594. Theophylactus Simocatta inde ad An. 601. p. 140.

SECT. XXXVI.

Seculo septimo, & duobus vel tribus id sequentibus, qui Historiam Ecclesiæ pro dignitate tractaverint, rarissimi. Sanctorum Legendæ. Miraculorum & mirabiliorum Oceanus. Portentiloquiorum, & ignorantiæ tempora. p. 145.

SECT. XXXVII.

Nicephorus Constantinopolitanus, Simocattam sequi potest. Nicephorus Callistus erroribus plenus. Georgius Cedrenus. De eo Scaligeri & Vossii censuræ. p. 147.

SECT. XXXVIII.

Zonaræ Tertius Tomus lectori commendatur. Historiam complectitur ad An. 1118. Annæ Comnenæ Alexiadi. Egregiæ illius Heroinæ laudes. p. 149.

SECT. XXXIX.

Nicetas Acominatus Zonaram immediatè sequitur. Nicetam Gregoras. In hoc censu quare ponantur. Lipsii de eorum Utroque judicium. Gregoræ fides in dubium vocatur. Joannes Cantacuzenus hoc loco à doctissimo Vossio lectoribus commendatur. Superioribus subsequatur Laonicus Chalcocondylas. p. 150.

SECT. XL.

Blondus Fortivienſis Orientalium Scriptorum defectum in Historiâ Ecclesiæ supplere potest, unà cum aliis. Sigebertus Gemblacensis. De eo sententia Card. Bellarmini. Sigebertum continuat Robertus Abbas, ad Ann. 1210. Chronicon Hirshavense, ad Ann. 1370. Et Paralelpomena ei Chronico adjuncta, ad seculum proximè elapsum. Gobelini Personæ Cosmodromium. Ubi & quando legendum. Ejus laus. Loco Cosmodromii, legi potest Alberti Crantzii Metropolis, in quam multa è Gobelino congesta,

geſta, & Hiſtoria à Caroli M. temporibus, ad an. 1504. perducta. Poteſt etiam Nauclerus horum vicem ſupplere. Et, ut repetitiones vitet Lector, incipiat à mediis generationibus Tomi Secundi. Joh. Sleidanus Commentarios Eccleſiaſticos ſcripſit, ab an. 1517, ad an. 1556. quos continuavit Caſpar Lundorpius, ad an. 1609. p. 154.

SECT. XLI.

Venerabilis Beda, & Uſuardus minimè prætereundi; neque Pontificum Romanorum Scriptores; Anaſtaſius Biblioth. Bartholomæus Platina; eorum inſignia elogia. Platinam recenſuit Onuphrius, & continuavit ad an. 1586. Sigonius quoque ſuis Hiſtoriis res Eccleſiæ intertexuit, & in hoc cenſu numerari meretur. Sigonii & Onuphrii elogia. p. 156.

SECT. XLII.

Centuriatores Magdeburgici opus in hoc genere perquàm utile ediderunt. Rev. Epiſcopi Ciceſtrenſis de eo judicium. Quid in eo laudabile contineatur. Fundamentum ejus probè locatum. Materies ad ſtructuram unde collecta. Defectuum excuſatio. p. 159.

SECT. XLIII.

Centuriatores erroribus obnoxios, docet eruditiſſimus & Reverend. Ciceſtrenſis. Caſaubonus agnoſcit. Opus ipſum tamen valdè utile eſſe, oſtendit idem Reverend. Antiſtes. p. 162.

SECT. XLIV.

Baronii Annales Centuriis pares. Opus planè ſtupendum. Caſauboni de eo judicium; item Reverend. Præſulis Ciceſtr. Annales iſti cautè legendi, quare. Spondanus Jeſuita eorum Epitomator. p. 163.

SECT. XLV.

Priores centurias Magdeburgicas octo, compendifecit Lucas Oſiander; nec inutiliter. Ab octavâ, ad decimam ſextam tranſilit. Ejus res meritò fuſiùs tractat. Ad hanc centuriam pertinet Hiſtoria Concilii Tridentini. Iſtius operis, atque etiam Auctoris

rũ encomia. Fac. Auguſt. Thuanus, accuratæ ſuæ Hiſtoriæ, res etiam Eccleſiaſticas interſeruit, ab an. 1546. ad an. 1608. Inde continuatur Hiſtoria, ad an. 1618. p. 166.

Partis Secundæ
SECTIONES.

SECT. I.

Juvenis utì moralis Philoſophiæ auditor, ita & Hiſtoriarum Lector minùs idoneus putandus. Quæ requirantur ad utrumque. Finis & ſcopus lectionis. Doctiſſimi Voſſii & Keckermanni circa hanc quæſtionem, ſententiæ diſcrepantes. p. 170.

SECT. II.

Keckermanni ſententia defenditur. Linguæ abſque præceptis haud optimè diſcuntur. Linguarum, atque actionum longè diverſa ratio. Philoſophia practica tam legenti Hiſtorias, quàm ſcribenti, requiritur. Ubertus Folietta, Sebaſtianus Foxius, Viperanus, ab hâc parte ſtare videntur. Etiam doctiſſimus Voſſius argumenta ſubminiſtrat non infirma. p. 173.

SECT. III.

Tertium doctiſſ. Voſſii argumentum contra Keckermannum, haud ſatis firmum videtur. Nuda rei geſtæ cognitio, Lectori cordato non ſufficit. Id ex Ludov. Vive, Dion. Halicarnaſſeo, & ipſo Voſſio probatur. Puerorum, & virorum in Artibus verſatorum, lectio Hiſtoriarum valdè diverſa. p. 177.

SECT. IV.

Argumentum à Quintiliano mutuatum, expenditur, eique reſpondetur. p. 179.

SECT.

SECT. V.

Simonis Grynæi ſententia hâc ex parte probatur. Quis ſit idoneus Lector, fuſius oſtenditur. Philoſophiæ practicæ guſtum ſaltem habeat, requiritur. Item Chronologiæ, & Geographiæ, Hiſtoriæ oculorum. Artium denique aliarum, cognitio aliqualis neceſſaria. p. 181.

Partis Tertiæ

SECTIONES.

SECT. I.

Caput ultimum tractandum proponitur. Conſilium Lud. Vivis circa ea, quæ ſunt in Hiſtoriarum lectione notanda. Auguſti Cæſaris mos, in legendis Hiſtoriis. Quæ reperiantur apud Hiſtoricos obſervanda, & ad quid conducant. p. 184.

SECT. II.

Duo excerpendorum genera. Philologica, Philoſophica: ſub utriſque, ſpecies quænam contineantur: quomodò ſingulæ ſint diſponendæ, & quis inde fructus, oſtenditur. Locorum Communium formulas, multi ſcripſerunt. p. 186.

SECT. III.

Modus excerpendi, & in uſum transferendi, varius indicatur, ex Annæo Senecâ. p. 188.

SECT. IV.

Modus excerpendi exemplis illuſtratur. Primò Philologicis, ex Vell. Paterculo. Magnorum virorum ortus, & obitus notandi. Majoris Catonis triplex Elogium. Ejus obitus. Circa ætatem ejus diſſenſio. Odium ejus adverſùs Carthaginem. Urbis Corinthi conditus, Duratio. Ævum fatale urbibus evertendis. Cognominum ratio antiqua. Civium Rom.

Rom. discrimen. Observationes Criticæ sub philologicis. Scipio non fautor tantùm, sed & auctor (contra Lipſ.) omnis doctrinæ, non ineptè dici potuit. Ejus præcepta. Otium duplex. Distinguere quid, & unde dictum; expuncta etiam quæ dicuntur. Exemplum ex Tacito. Primores Civitatis. Optimates, nobilium optimi, principes qui dicti. Conſules, Exconſules, Exprætores, &c. Senatorum diſtinctio. Patricii, Conſcripti, Pedarii, unde dicti. p. 189.

SECT. V.

In Philoſophicis quæ ratio tenenda. Exemplo Herodoti, Polybii, & aliorum Hiſtoricorum. Duplex uſus exemplorum. F. Lipſius, Fo. à Chokier; & R. Dallingtonus noſtras, Hiſtoriarum & exemplorum uſum luculenter indicârunt. Specimen unum atque alterum à nobis ſubjicitur: Ex L. Flore, Juſtino, Herodoto. Romuli & Remi Hiſtoriam, veram ſupponit Auguſtinus. Quis indè uſus. Camilli & Fabricii fides, atque indè axiomata. Xerxis ingens apparatus bellicus, ejuſque expeditionis ſucceſſus, quid nos doceant. Confirmatur Darii ultimi exemplo. Caligulæ, Neronis, ac Valentiniani exemplis, oſtenditur malignitas philautiæ, invidiæ, ac liboris. Polybius frequens in Hiſtoriarum uſibus. p. 196.

SECT. VI.

Chriſtiani Ethnicorum exemplis utiliter inſtrui poſſunt; & non in virtute morali tantùm, ſed in actibus etiam pietatis, ac vitæ Chriſtianæ promoveri. Id docetur ex D. Auguſtino, D. Hieronymo, & aliis. Talia imitationum præcepta, ab Ethnicis quoque nonnullis adimpleta. Quos denique elegantiſſimè expreſſit D. Ambroſius. p. 293.

SECT. VII.

Fructus uberiores, atque etiam præſtantiores ab Eccleſiæ Hiſtoria. Ethnicorum bona opera, ſplendida

dida peccata. Ethnica Hiſtoria, ſecundam tantùm Decalogi tabulam illuſtrat: Eccleſiaſtica, totam Legem. In illâ, virtutum ſimulacra; in hâc, veræ virtutes leguntur. In illâ, jucunda quidem cognitu, & utilia; in hâc, etiam neceſſaria memorantur: inde, hortatione ad ſedulam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lectionem, diſſertatio concluditur. p. 208.

Oratio Auſpicalis. p. 211.

ANTELOGIUM
AD
AUDITORES HIST.

Occaſio harum Relectionum. item exempla. Scopus, publica utilitas. Haud temerè tamen publicandæ. Scripturientium hujus ævi præſidentia perſtringitur. Modeſtia ſuadetur, exemplo Plinii Secundi. Mos antiquus recitandi apprimè utilis, & quomodo; hoc ævo optabilis; ſapientibus gratiſſimus. Non oſtentationis, ſed modeſtiæ potiùs argumentum. Viva vox. Quo præſtet auditio lectioni. Hiſtoriæ definitio, finis, diviſio, ſpecies.

ANNORUM luſtra jam facta ſunt duo, (ſpectatiſſ. Academici) & ſi rectè calculum pono, menſes aliquot ampliùs; ex quo, de ratione & Methodo legendi Hiſtorias, diſſertatio hoc ipſo è ſuggeſto, non infrequente circumſtante Corona, à me habita fuit. Inde paulo poſt, meditationes illas primas, quales-quales ut evulgarem, & publicâ luce donarem, ex iis qui tunc auditores fuiſſent non-

 nulli,

nulli, importunâ quâdam flagitatione mihi extorserunt. Easdem verò nuper, alii quidam amicorum, & ipsi non ineruditi, ut sub incudem denuò revocarem, vehementer hortati sunt. Quod à me ut impetrarent, adhuc instant, urgent, inculcant: priora exemplaria ab aliquot retrò annis omninò defecisse; haud parum à plurimis iterum desiderari: novam editionem rem gratissimam, juxta & utilissimam studiosæ juventuti fore, idque neutiquam ambigendum. Postremò, sunt inter eos qui hac tempestate aurium operam mihi præbere sæpiùs dignantur, nonnulli, quos aliquoties impensiùs optantes audivi, ut relectiones super eodem subjecto publicas instituerem, easque postea (si ita visum foret) cum literatâ plebe communicarem, & in lucem proferrem. Adnui tandem, votis utrorumque pro viribus facere satis: quamvis propriæ voluntati, nedum judicio, idem vix aut ne vix quidem facere possim. Priores igitur meditationes illas, novis cogitationibus auctas, nec non alicubi emendatas, proximis lectionibus, vobis (Auditores) propitiante Deo, repræsentare animus est; ita inquam, novis cogitationibus auctas, & cum curâ emendatas; ne fortasse vestrum quispiam, vulgatum illud Satyrici mihi obvertat;

Juven. sat. 7. *Occidit miseros crambe repetita magistros.*

Et tamen, dum vos cogito; quid si per omnia easdem ipsas, planè nudéque proponerem? quotusquisque vestrûm qui nunc dierum hæc subsellia occupare soletis, non dicam ab ore meo eas auribus exceperit, sed vel scriptis mandatas, uspiam oculis usurpaverit? Nemo herculè; nemo: *vel duo, vel nemo*; & qui de iis fando inaudiverint, haud multò plures (inter vos) esse auguror. Porro, ante editas concedamus; dummodo aliquando, alicubi, aliquanti æstimatas noverimus, cum aliquo fructu etiam à nonnullis lectas, atque ita leviusculâ quâdam

dam commendatione non indignas habitas: cur apud novitios meos, quos non ita pridem sortitus sum, auditores, plerosque Historiarum sacris nondum initiatos, easdem relegere, & retractare, mihi vitio verteretur? Nova plane hisce videbuntur, quæ aliis fortasse novata. Neque rem inauditam, aut factum insolens ita faciendo me ausurum arbitremini; *habeo bonorum exemplum; quo exemplo mihi licere id facere, quod illi fecerunt, puto.* Obtinuit enim illa olim in tradendis disciplinis laudabilis consuetudo, etiam hodiéque obtinet, ut præter quotidianam lectionem, aliquid accuratiùs elaboratum, Magistri relegerent, quo, velut adipe selecto, discipulorum animi vegetati, avidiùs ad suam quisque professionem allicerentur. Ita Patrum nostrorum memoria, *Franciscus à Victoriâ*, suas habuit Relectiones Theologicas: *Melchior Canus*, ejus discipulus, etiam suas: ambo inter Pontificios magni nominis *Theologi*. Recentiori memoriâ, *Henningus Arnisæus* clarissimus Philosophus & Medicus, suas Relectiones politicas edidit. Sed & alii plures diversarum professionum, homines docti, suas lucubrationes simili modo repetitas, in medium protulerunt. Verum hisce tantis quorsum opus defensoribus? quando certam res ipsa sibi fidem & autoritatem faciat, promptamque defensionem suppeditet? Quicquid enim semel placuerit, si meritò id, neque temerè contigisse opinemur, ejusdem haud ingratam repetitionem fore meritò speremus. Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, vetus est verbum. De præclara Poesi etiam *Venusinus* ille vates:

Ter. Heaut. Proe. Liseng. ap. M. Can.

Judicis argutum quæ non formidat acumen,
Hæc placuit semel, *hæc* decies *repetita placebit.*

Horat. de de Arte Poet.

Sed quod de præclarâ poesi *Venusinus* sibi spondet, oppidò nimis hic præclarum foret, longeque gloriosius, quàm ut ipse in votis haberem. Neque sanè adeo sum mihi *Suffenus*, aut inepte φίλαυτος,

ut meas haſce lucubrationes rudes, & impolitas, tali fato dignas putem. Juvandi quidem certe utilitatem mihi ſcopum deſtinavi; eamque, placendi curæ, non hic modò, ſed in universâ etiam ſuſcepti muneris executione, ſemper prætuli. Quanquam apud rectas mentes, hæc duo ſejungi non oporteat: par enim eſt & æquum, eadem ſemper placere, quæ ſemper prodeſſe poſſunt. Qua propter, hæc mecum dum reputo, ne tenuem hanc noſtram opellam, gratam minùs, parúmve acceptam mei nunc auditores habituri ſint, cauſam ſubverendi nullam video. Quin & amicorum quoque (illorum, quos ſupra dixi, velle priores meditationes meas reproduci, & à paucis hactenus viſas, omnibus exhiberi) hortatubus ac deſideriis obſequendi, non deeſt voluntas; eoque promptior, quo fidentiùs de juventute Academicâ, & Hiſtoriarum amatoribus, me ſic non leviter promeriturum affirment. Quorum judiciis, quaſi præ amore non ſynceris, licet haud planè diffidam; cogito tamen ſeriò & frequenter, (cum *Plinio Secundo* emendatiſſimo ſcriptore) *quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum; nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis & ſæpe tra-*
Lib. 7. Epiſt. 17 *ctandum, quod placere, & ſemper, & omnibus cupias.* Hac propter (Academici) me non ita pridem ſtatuiſſe dixi, meditationes illas diligenter & accurate recognoſcere, recognitas parte non contemnendâ augere, auctas meis demùm Auditoribus recitare, adeóque exponere; neque ſic tamen priùs orbi literato ſiſtere, quàm ab aliis pluribus, edecumati judicii viris, harúmque literarum peritis, non improbabiles habitas cognoverim. Paucis incompertum opinor, nec me quidem latet, quot & quanta hujus atque omnis ævi ingenia obrepere ſoleat ſui ſuſpectus, & nimia confidentia. Hanc igitur (Adoleſcentes) ſuadeo, tanquam peſtem fugiamus omnes, & à nobis procul amandemus. Parcè de nobiſmet ipſis ſentiamus. Noſtro pede ac modulo, noſmet ac noſtra metiamur: nec quidquam

quidquam de nobis magnificentiùs credamus, quàm cujus revera conſcii ſumus. Modeſtia, modeſtia eſt, quæ omnem decet ætatem; omnemque ducit recto calle ad ſolidam gloriam. Sine ea præcipites ferimur; & pro gloriâ ludibrium hominibus debemus; pro famâ dedecus, ignominiam, contemptumque reportamus. Sed ut pergamus; legiſtis unquam vel audiviſtis illud *Mimographi*? *Animus vereri qui ſcit, ſcit tutò ingredi*, vel ut alii legunt, *ſcit tutò aggredi*? dubium mihi non eſt, quin audiveritis: effatum ἀξιόπιστον credite, ſed & monitum quantivis pretii, in re militari præſertim: ac reverà non magis verum, in illis militiæ ſagatæ (quam vocant) periculis, quàm in iſtis noſtræ togatæ & Scholaſticæ palæſtris. Id quidem probè novit (quem modò nominavi) elegantiſſimus *Plinius Secundus*: ideoque ſuo parum fiſus ingenio, aliorum ſæpe judicium, conſiliumque, imò ſemper requiſivit; quoties quid meditatus fuiſſet, quod in publicum prodire vellet. Audite ipſum: *Recitaturus* (inquit) *oratiunculam, quam publicare cogito, advocavi aliquos, ut vererer, paucos, ut verùm audirem.* Atque alibi; *nullum emendandi genus omitto: ac primùm, quæ ſtripſi, mecum ipſe pertracto, deinde, duobus, aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda, notáſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus, aut altero penſito, noviſſime pluribus recito.* Amo herculè, immo veneror (politiſſime *Secunde*) hanc tuam cautam modeſtiam, prudentem hanc ingenii diffidentiam; quam examuſſim imitari vehementer ipſe cupio; & aliis imitandum fidenter propino. Nec tantùm ſingularem ejus modeſtiam (Auditores) & unicam fere μελεξοφεσσύνην vobis hîc commendo; ſed ipſum etiam recitandi morem imprimis laudo. O pulchrum valdè morem! ac noſtro hoc ſcripturientium ævo magnoperè expetendum! *Scribimus indocti, doctique* paſſim, & effrænata quædam libido chartas commaculandi ubique dominatur. Hinc tot effœta, ari-

Lib. 5. ep. 13.

Lib. 7. ep. 17.

da, jejuna; tot cruda semper & inchoata in vulgus trudi solent. O igitur si mos ille antiquus recitandi, saltem privatim & inter amicos posset revocari! quam utilis foret vel *sistendis præcocibus quibusdam & diffluentibus ingeniis, vel aliàs dirigendis!* quàm gratum etiam & optabile videretur cordatis hominibus, eruditorum & benevolentium judiciis, sensibusque scripta ac publicanda, priùs censenda submittere! *vix quenquam enim inveniæs, quem sua non fallunt scripta, & auctorem ipsum* (divi Ambrosii verba) *frequenter prætereant; & sicuti deformes liberi suos, ut plurimùm, delectant parentes: ita etiam indecores sermones, suos plerumque palpant scriptores.* Cordatis itaque hominibus pergratus indubiè foret mos ille, quem secutus est *Plinius*, quemque ego nunc jam, imitator non otiosus, affectari decrevi. Atqui fortasse (dicet quispiam) ostentatio hæc plerisque videbitur, & κενοδοξία: inanis gloriolæ ambitiosa quædam cupiditas. Immo inquam ego, nihil minùs: quin potiùs modestia, prudentia, verecunda sui æstimatio, αὐθαδείας καὶ ἀλαζονείας fuga & detestatio; ideo enim sua recitat ipse scripta, vel aliis perlegenda submittit, *ut aliorum judicia noscat, consilia exquirat, verum audiat*, ut si quid eum fugerit, admoneatur; si quid obscuriùs dictum fuerit, illustretur; si quid non rectè, corrigatur: juxta illud αἱ ἀναγνώσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις, recitationes pariunt emendationes. Vultis ite um *Plinio* aures præbere, & suas recitandi causas juxta & utilitates audire? Sic igitur ad *Aristonem* scribit. *Has* (inquit) *recitandi causas sequor, Primùm quòd ipse, qui recitat, aliquantò acriùs scriptis suis auditorum reverentia intendit. Deinde, quod de quibus dubitat, quasi ex consilii sententia statuit. Multa etiam a multis admonetur, & si non admoneatur, quid quisque sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure, silentio. Quæ satis apertis notis judicium ab humanitate discernunt. Atque adeo*

Lipſ. ep. 48. cent. 2. ad Bel. ubi multa de Recitat.

Amb. Ep. l. 6. ep. 40. ad Sabinum

Theophraſti.

Lib. 5. ep. 3.

si cui fortè eorum qui interfuerunt, curæ fuerit, eadem illa legere, intelliget me, quædam aut commutasse, aut præterisse, fortasse etiam ex suo judicio, quamvis ipse nihil dixerit mihi. Videtis jam (auditores) quales fuerint *Plinianæ* recitandi causæ: quotuplicesque inde exurgant utilitates, satis manifestum est. Quod si nostri temporis scriptores eisdem rationibus moti, eundem recitandi morem de industriâ æmulari satagerent, ecquis eos reprehensione dignos pronunciaret? ecquis ambitiosæ vanitatis reos ageret? quid si *M. Catonis* vitilitigatores passim occurrant? qui nihil quicquam tam recte ab aliis dictum factumve agnoscant, quod vellicare non audeant? quid si hariolatores etiam non vereantur esse? ac de alienâ mente, tam promptè, quàm pravè conjicere? eorum malignas præcipitesque conjecturas, prudentes omnes, & cordati viri præterfluere sinunt; rectæque conscientiæ præmio libenter acquiescunt. Quin & ultro fatemur olim id moris fuisse, ambitiosorum quorundam, ac φιλοδόξων hominum, vulgi famam actionum suarum finem statuere, auram popularem captare; grande & insanum plebeculæ *Sophos* aucupari: eugè! bellè! facetè! atque ejusmodi nugatorias audientium acclamationes recitando consectari. O inepti, vani, futiles homunciones! O misera gloriolæ mancipia! liberaliora nostra speramus ingenia; pectora magis generosa. Norint id minime sapientis esse, opinioni ac famæ tantùm velificare: ὁ σοφὸς οὐδὲν ἐπιτηδεύει ἢ πράττειν τοῦ εὐδοκιμεῖν, dixit Græcorum non ignobilis auctor. Alium igitur volumus, ut nostri sibi recitandi, aut scripta cum aliis communicandi finem proponant; aliud sequantur consilium; nimirum, ut quæcunque in publicum rei literariæ bonum elucubrare atque vulgare concessum fuerit, diligentiùs emendata, limatiùs expolita, omni denique modo probabilia in manus hominum perveniant. Nempe hæc castigatissimi *Novocomensis* unica cura fuit, non

Plin. l. 7. ep. 17. *ut dum recitaret, sed dum legeretur, laudari posset.* Et tamen (neque dissimulamus) haud displicet nobis, illa *Satyrici* responsio.

Pers. sat. 1. *Non ego dum recito, si fortè quid aptiùs exit,*
Laudari metuam; nec enim mihi cornea fibra est.
Sed recti finemque extremumque esse recuso,
Euge tuum & bellè!

Jam vero (Academici) meipsum quod attinet, si provinciam quam nactus sum, commodissimè administrare velim, si in eâ plurimùm prodesse cupiam (cujus rei desiderio flagrare me profiteor) quis vestrum (nisi planè tyro sit, & horum studiorum omninò rudis) non novit recitandi ac relegendi necessitatem quandam sæpè mihi impositam, pro ratione auditorum meorum, qui quotidiè mutant, & successione ac vicissitudine quotidiè renovantur? præsertim quum accesserint novitii, & qui super hoc argumento, quod præ manibus jam tenemus, instrui atque informari multum opus, ne dicam necesse habeant. At regerit fortassis eorum non nemo, dicendo; frustrà nos recitationibus moraris; quandoquidem hæc ipsa publici juris facere in animum nuper induxeris: quod si feceris, pensiculatiùs & tranquillo in otio, ea legere cuivis licebit. At inquam, jam antea dixi, ideo me recitare, ut pleniora & correctiora prodeant. Addo aliam rationem, nec inferioris momenti. Præcepta cujuslibet disciplinæ, sicuti omnes concedunt, ab ipso dictantis sive docentis ore, fœliciùs imbibuntur, quàm è libris hauriuntur: & cur non idem sentiamus de lectionis Historicæ regulis? Certè ea fuit Plinii, toties à nobis citati, hac ex parte sententia; siquidem ad

Lib. 2. ep 3. *Nepotem* suum scribens. *Dices, inquit, habeo hîc quos légam, non minùs disertos; etiam: at legendi semper erit occasio, audiendi non semper, multò magis, ut vulgò dicitur, viva vox afficit. Nam licet*

acriora

acriora sint quæ legas, altiùs tamen in animo sedent; quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit. A nobis etiam stat *D. Hieronymus*, in epistola ad *Paulinum*. *Habet*, inquit, *nescio quid latentis energiæ viva vox; & in aures discipuli, de auctoris ore transfusa, fortiùs sonant.* Ideoque *Fab. Quintilianus*, maximus Artis Rhetoricæ magister, in Oratoris sui gratiam ita præcipit. *Præceptor* (inquit) *aliquid, immo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant discipuli; licèt enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa (ut dicitur) vox, alit pleniùs, præcipuéque præceptoris, quem discipuli, si modò rectè sint instituti, & amant & verentur.* Neque aliam fuisse mentem *Marci Tullii* liquidò constat; quippe in perfecto Oratore; *carent* (inquit) *libri spiritu illo, propter quem majora eadem illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur, videri solent.* Hinc illud: in *Demosthene magna pars Demosthenis abest, quòd legitur potiùs quàm auditur.* Atque huc optimè quadrant *Horatiana* illa, quibus facetè & admodum urbanè deridet Epicureum illum, à quo *Catius* in arte culinariâ institutus fuerat.

Lib. 1. c. 2.

Val. Max. l. 8. c. 10.

Lib. 2. Sat. 4.

Docte Cati, per amicitiam Divosque rogatus
Ducere me auditum, perges quocunque momento.
Nam quamvis referas memori mihi pectora cuncta;
Non tamen interpres tantundem juveris: adde
Vultum habitumque hominis: quem tu vidisse beatus,
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam, vitæ præcepta beatæ.

Hæc quum ita se habeant (Auditores) quid deinceps obstat, quo minùs ad opus destinatum nosmet alacriter accingamus? quod securi vestræ benevolentiæ, jam nunc facimus, & proximâ lectione opus ipsum aggrediemur. Interim, ne dum nos

de

de ratione & methodo legendi Hiſtorias diſſertamus, contra *Methodum* peccemus, ſi novitiis Auditoribus noſtris (quorum gratiâ imprimis ſuſceptus eſt hic labor) minus conſtet quaſnam Hiſtorias intelligamus: operæ pretium fore putamus, primo definitionem, inde diviſionem Hiſtoriarum præmittere, eaſque breviter explicare, quò majori cum perſpicuitate munus noſtrum penſumque modò ſuſceptum, ad extremum uſque exequamur. Definitio igitur, à nobis olim poſita eſt hujuſmodi, quam hic retinere placet. *Hiſtoria eſt notitia, & explicatio rerum ſingularium, eo fine ſuſcepta, ut earum memoria conſervetur, atque inde univerſalia evidentiùs confirmentur, quibus ad benè beatéque vivendum inſtruamur.* Dico, *notitia juxta & explicatio*; quia de Hiſtoriâ quatenùs legendâ, nos acturi ſumus: cujus genus, *notitiam atque explicationem* ſtatuimus: pro objecto ſive materiâ, *res ſingulares* pono: hoc eſt, res geſtas publicas vel privatas, memoriâ hominum dignas. Finem multiplicem aſſigno: ut memoria rerum ſingularium conſervetur; nec non ut ex ſingularibus, præcepta univerſalia eliciantur, & confirmentur: denique ut hiſce inſtructiores fiamus ad benè beatéque vivendum. Hinc enim eſt quod *M. Tullius* Hiſtoriam *vitæ Magiſtram* dixerit. Atque huc ſpectant lactea *Titi Livii* verba, in præfatione ad Hiſtoriam ſuam. *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi, tuæque Reipub. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

Secundùm hanc noſtram definitionem, ſubjiciamus quoque diviſiones, minimè ſubtiles, aut argutas (neque enim hujus loci eſſe putamus) ſed populariores, & magis communes. Ab antiquis ſcio, uti etiam à recentioribus nonnullis, Hiſtoria diſtribuitur in *Divinam*, quæ de Deo, rebuſque divinis tractat;

tractat; *Naturalem*, quæ de rebus naturæ earumque causis agit; & *Humanam*, quæ hominis actiones, vitam in societate agentis explicat. Hanc postremam solummodò respicit nostra definitio; & hanc distinguimus, in *Politicam*, & *Ecclesiasticam*. Atque harum utramque, in *Universalem*, ac *particularem* Historiam. *Politica* Historia, quam etiam *civilem* dicimus, est quæ Imperiorum, Rerum Publicarum, civitatum initia, constitutiones, incrementa, conversiones, res denique gestas exponit; *Ecclesiastica*, quæ præcipuè res Ecclesiæ tractat, etsi *Monarchiarum* & regnorum negotia interponat. *Universalis* (sive Politica sit, sive Ecclesiastica) est quæ universorum, vel etiam multorum, maximéque illustrium populorum, Rerumque publicarum, aut Ecclesiarum res gestas per omnia sæcula complectitur. *Particularis*, quæ unius populi civitatis, vel Reipub. aut unius particularis Ecclesiæ actiones, sive res gestas comprehendit. De hisce omnibus distinctè, & suo ordine legendis, nostra *Methodus* instituenda est. Alia porro Historiarum divisio est, quæ nostræ considerationi sese offert, & à junioribus præsertim notatu digna, hæc est; à circumstantiis & Methodo narrandi, sive explicandi ducitur. Siquidem Historiæ, aliæ dicuntur *Chronica*, eæ scilicet quæ tempus in quo res quælibet gesta sit, denotant. Aliæ *Vitæ* appellantur, quæ personas singularium quorundam virorum, eorumque res gestas, juxtà & mores descriptos complectuntur. Aliæ denique *Relationes* indigitantur; quibus id operæ imprimis datur, ut actiones hominum memoratu dignæ, & quævis Rerumpub. negotia utcunque fideliter & peripicuè narrentur. Quod primum membrum attinet, omnes Historiæ, tempus in quo res gestæ fuerint, adnotare aut solent, aut debent; cæca enim est quælibet narratio, fabulæque similisque, sine temporis notatione: & tamen omnes eadem temporum intervalla haudquaquam obser-

observant: nec eundem in rebus narrandis ordinem tenent. Hinc Chronici generis, varias species esse dicimus; *Annales*, *Fastos*, *Ephemerides* sive *Diaria*, *Menologias*, *Bimestria*, *Trimestria*, *Semestria*, *Decades*, *Centurias*, *Commentarios*. De quibus omnibus, inter *Præmetia* Historica fusius disputavimus. *Chronici* generis Scriptores, sunt *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Dionysius Halicar.* *Justinus*, T. *Livius*, *Sabellicus*, & hujusmodi. Βιογεγράφοι seu *Vitarum* Scriptores, personas (uti dictum est) repræsentandas sibi proponunt, ad easque (quod notandum esset) maximâ ex parte concurrunt mixti generis actiones; publicæ, privatæ, civiles, domesticæ, &c. In hoc censu reponuntur *Suetonius*, *Plutarchus*, *Cor. Tacitus*, *Dion Cassius*, *Æmilius Probus*, *atque alii*. Διηγηματογράφοι, sive *Relationum* Scriptores, sunt Historici, qui rerum memorabilium narrationes integras, rerum gestarum & negotiorum omnis generis relationes plenas perpetuasque instituunt; quales sunt *Xenophontis* Κύρου ἀνάβασις, Sive *expeditio Cyri*, *Salustii Catilinaria*, *Halicarnassei Legationes*, & hujusmodi. De quibus omnibus legendis, sequenti dissertatione (propitiante Deo) audietis.

Dixi *Octob.* 17. 1635.

DE RATIONE ET METHODO *Legendi Hiſtorias.*

PARS PRIMA.

SECT. I.

Ad fructuoſam Hiſtoriarum Lectionem tria requiruntur. Inde tres hujus diſſertationis partes proponuntur.

UT fructuoſa magis fiat Hiſtoriarum Lectio, largumque ſecum ferat operæ ſuæ pretium; tria mihi videntur ſtudioſo cuique inſigniter neceſſaria. Primò, ut rectus idemque conſtans ſervetur ordo; ne confuſè, vagè, deſultoriè legat. Secundò, perſpicax adſit & intelligens judicium; ut quæcunque legerit, dextrè capiat; & quæ ſint elegenda, probè diſcernat. Tertiò, ſedula & accurata adhibeatur induſtria; ut electa cujuſcunque generis, velut annona, in horrea quædam diſpoſitè recon-

recondantur. Tria igitur quasi capita, præsentis nostræ dissertationis statuere animus est: Quorum *primum*; Auctores præcipuè legendos continebit, eorumque ordinem quo sint legendi indicabit. *Secundum*; quis sit idoneus historiarum lector habendus, docebit. *Tertium*; fructus colligendi perspicuam monstrabit viam: nec non, modum & rationem eos, tanquam in cellâ quâdam promptuariâ, dispensandi, explicabit.

SECT. II.

Historiarum series qualis instituenda. Quomodo ordinanda. Temporum intervalla tria observanda. Epocha quid. Quotuplex. Cataclysmi. Quibus temporibus inciderint. Intervallum ἄδηλον. μυθικόν. Olympiades, intervallum Historicum.

QUod *primum* attinet; Auctorum series & catena ejusmodi instituatur, quæ temporum intervalla, *Summorumque Imperiorum* successiones ἀκριβῶς, & ad amussim imitetur. Temporum autem intervalla, quatenus Historiam, & rerum gestarum memoriam respiciunt, ex *Varrone* notat *Censorinus* tria. Primum, ab hominum principio ad *Cataclysmum* priorem, quod propter ignorantiam (inquit) ἄδηλον vocatur. Secundum à *Cataclysmo* priore, ad *Olympiadem* primam; quod, quia in eo multa fabulosè referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium à Primâ *Olympiade* ad nos, (ubi intelligit *Cæsares* & tempus deinceps,) quod dicitur ἱστορικὸν; quia res in eo gestæ veris Historiis continentur. Hæc temporum intervalla (uti videtis) quibusdam *Epochis* distinguuntur. *Epocha* verò, illustre quoddam

De die Natali. c. 21.

dam temporis principium dicitur, à quo reliqua tempora numeramus. Et duplices quidem observamus *Epochas*: *Ecclesiasticas*, & *Politicas*. Illæ in *Sacris Scripturis*, & *Historiis Ecclesiasticis* usurpantur; quales sunt: Ab *Orbe condito*, sive à Creatione: à *Cataclysmo* sive Diluvio: *à Turre Babylonicâ*, vel à linguarum confusione: à migratione ex *Ægypto*; & hujusmodi. Hæ autem sequentes, in *profanis* Historiis & Auctoribus *Ethnicis*, legi solent. Ex. grat. Ab *Excidio Trojano*: ab *Olympiade* primâ: ab *Expeditione Cyri*: à Transitu *Xerxis*: &c. Ita hoc in loco *Censorini*: ab hominum principio sive ab initio *Mundi*, ad *Cataclysmum*. Et notandum est quod dicit *Cataclysmum* priorem: *Cataclysmi* enim sive Diluvia tria magna in Historiis memorantur. Primum erat Diluvium universale, tempore *Noachi Patriarchæ*; de quo in *Sacro Codice* scribit *Moses*; quod in Annum Mundi 1656. incidit. Secundum erat *Ogygium* in *Achaiâ*, quod totam ferè provinciam vastavit: & quia *Ogygii* (qui tunc *Elusinæ* conditor, & Rex,) temporibus effusum est, nomen loco & tempori dedit, juxta *Orosium*. Hoc in annum M. 2185. incidit; florente tunc *Jacobo Patriarchu*. Tertium erat *Deucaleoneum*, *à Deucaleone* sic dictum; cujus tempore, *aquarum illuvies* (*Orosii* verba) *majorem partem populorum Thessaliæ absumpsit, paucis per refugia montium liberatis*; *maxime in monte Parnasso*; *in cujus circuitu, Deucaleon tunc regno potiebatur*; *qui tunc ad se ratibus confugientes susceptos, per gemina Parnassi juga, fovit alitque*: à quo propterea Genus humanum reparatum ferunt. Hoc diluvium incidit in annum Mundi * 2437. Tempore *Cecropis Atheniensium* Regis; & quasi annos ter quinos ante *Israelitarum* Egressum ex *Ægypto*.

Oros. l. 1. cap. 7.

Lib. 1. c. 9.

* *hanc logiam sequimur Scaligerianam, quod semel in universum nimium velim. August. de C. D. l. 18. c. 10. v. Justin. l. 2. c. 6.*

Jam verò primum illud intervallum, quod *Varroni* (doctissimo licet) *Annos* videbatur; Nobis

Christianis ἀναλογον potiùs, & ex sacrâ paginâ meridiano Sole clarius est: Annosque novimus continere mille sexcentos quinquaginta & sex. Quorum Historiam primis sex capitibus *Geneseos*, à *Mose* brevissimo compendio descriptam habemus. Neque alibi per omnia quæ extant literarum monumenta, aut quæ reperiri possunt, occurrit certi quicquam, de rebus ante *Diluvium* gestis, ullibi legendum.

* *Olympias τετραετηρὶς ἐνιαύσιον. Hercules* instituit. *Iphitus* instauravit. *An. M.* 3174. & ab hoc anno numerantur *Olympiades, sive quaternorum annorum circuitus. V. Scal. Anima. in Euseb. p.* 66.

Secundum intervallum à *Diluvio* primo, ad primam* *Olympiadem* (hoc est, ad primum illud certamen quod quarto quoque anno, in honorem *Jovis Olympii* à *Græcis* celebrabatur; & in annum quartum, aut quintum supra tricesimum, *Uzziæ* Regis *Judæorum* incidit:) annos complectitur mille quingentos octodecim, nimirum ab anno M. 1656. ad annum M. 3174. *Mythicum* autem fabulosumque à *Varrone* dicitur hoc intervallum, idque non sine ratione, quandoquidem huc poeticarum fabularum argumenta pleraque referri solent. Et licèt in poematis *Græcis*, nec non in Historicorum nonnullis, de rebus paulò antiquioribus, *De bello Trojano*, expeditione *Argonautica*, de *Perseo*, *Oedipo*, *Hercule*, *Theseo*, &c. narrationes quædam extant, quas *Ovidius* in suo *Chronico* pleraque complexus est: tamen verè, ut *Africanus* inquit, omnia plena sunt confusionis & dissonantiæ, & certâ annorum distinctione carent; nec de toto illo intermedio 400. annorum tempore, quod inter excidium *Trojæ* & *Olympiadem* primam interjectum est, quicquam ἀξιόλογον in *Græcorum* monumentis proditum est. Multò minùs de rebus ante tempora *Trojana* gestis.

In Oratione ad Græcos. Hinc *Justinus Martyr*; διὰ τοῦτο ἀγνοεῖν ὑμᾶς προσήκει, ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῆς ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται. &c. *Neque hoc vos ignorare decet, nihil à Græcis ante Olympiadas accuratè scriptum esse.* *De præpar. Ev. cap.* 10. Et *Eusebius*, μέχρι μὲν τῆς ὀλυμπιάδων, &c. *Usque ad Olympiadas nihil certò perscriptum est*

à Græcis: ſed omnia ſunt confuſa, neque ante id tempus uſpiam conſentiunt. Nihilominùs, totius hujus fabuloſi intervalli certam nos Chriſtiani habemus hiſtoriam, & (quod Eccleſiam ſpectat) amplam ſatis & luculentam, à *Moſe* ac *Prophetis*, divinis illis *Sancti Spiritûs* amanuenſibus, literis conſecratam: cui etiam de *Gentium Nationúmque* imperiis, & de rebus ab iis geſtis, haud pauca immiſcentur; quorum ad veritatem, dubioſa illa & incerta narrationum, quæ de iiſdem temporibus in profanis pleriſque hiſtoricis habentur, examinanda cenſemus.

Denique *Tertium* intervallum, (quod ſolum volunt hiſtoricum eſſe, & *Varro* & *Cenſorinus*;) ab *Olympiade* primâ ad *Cenſorini* ætatem, annos ſupra mille & quatuordecim comprehendit: ad quos refertur hiſtoriæ veteris profanæ totum illud, quicquid hodiéque extat integrum, & certâ temporum notatione diſtinctum.

Scripſit Cenſorinus circa an. Chri. 240. ab V.C. 991 ut ipſe, cap. 21.

SECT. III.

Summorum Imperiorum ſeries, & ſucceſſio. Fatalis perhibetur. Quadruplex eminenter probatur. Medorum & Perſarum unicum Imperium aſſeritur. Singula, Prophetarum oraculis præmonſtrata. Summorum appellatio, fruſtrà à Bodino cavillata. Romanum, omnium maximum Imperium.

QUA propter, cùm intra duo poſteriora temporum intervalla (*Mythicum* videlicet, & *Hiſtoricum*,) quatuor ſumma, & (in quantum ſciri poſſit) in genere humano præcipua, ſucceſſivè inciderint *Imperia*; quibus terrarum orbis pars maxima

paruiſſe dicitur, & ſub quibus eorum pleraque, quæ in totâ hiſtoriâ continentur, geſta fuiſſe memorantur; placétne, ut quænam ſummorum iſtorum *Imperiorum* fuerit ſeries, qualiſque ſucceſſio, proponamus? Id pro nobis faciet, neſcio quis *Æmilius Sura*, apud *Velleium Paterculum*. *Aſſyrii* (inquit ille) *Principes omnium gentium, rerum potiti ſunt; deinde Medi; poſteà Perſæ; deinde Macedones; exinde duobus Regibus, Philippo & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haud multò poſt Carthaginem ſubactam devictis, ſumma Imperii ad populum Rom. pervenit.* Hanc ipſam *Summorum imperiorum* ſucceſſionem, fatali quâdam neceſſitate, eo ordine diſpoſitam, *Arrianus Nicomedienſis* aſſereré videtur: ἐχλῶ ἤδη χὴ Πέρσας τοὺς Μακεδόνων ἀφαιρεθῆναι τῆς Ἀσίας τὴν ἀρχὴν, καθάπερ τῶν Μήδων μὲν τοὺς Περσῶν, &c. h. e. *oportebat Aſiæ Imperium Perſis à Macedonibus adimi, quemadmodum Perſæ Medis, ac prius Medi Aſſyriis ademerant.*

Lib. 1. cap. 6.

Lib. 2. de expedit. Alexan. p. 94. Ed. Blanc.

Planè idem *Claudianus* poeta,

---Sic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes.
Subjecit Perſen Macedo; ceſſurus & ipſe
Romanis, hæc auguriis firmata Sibyllæ.

De laudibus Stilic. l. 3.

Eandem omnino ſucceſſionem *Imperiorum*, *Dionyſ. Halicarnaſſeus* memorat in procœmio *Antiquitatum Romanarum*; ubi collationem ſingulorum inſtituit, & reliquis omnibus *Romanum* longè præfert. Verùm hîc obiter notemus, quod licet *Æmilius Sura*, *Arrianus*, *Halicarnaſſeus*, aliique ſatis multi *Auctores* vetuſti, inter Summa *Medorum* diſtinctè numerant *Imperium*; nos tamen *Medos* & *Perſas* unicum conſtituiſſe *Imperium*, è ſacris literis docemur: tunc præſertim, ubi ſummo dominatu *Aſſyrios* privâſſent: ideóque quatuor tantùm numero fuiſſe *Monarchias* illuſtres, & maximè notabiles, *Eccleſiæ* veteri

veteri cum primis infestas, vulgò observatum est. Quas * visione quatuor *Bestiarum*, *Danielis Prophetæ*; quatuor quadrigarum *Zachariæ*; Regi *Nabuchodonosori*, ingentis *Colossi* imagine, quadruplici materiâ constante repræsentatas, sacra volumina testantur. Ita enim & *Patres* antiqui, & recentiores etiam plerique interpretes, istas prophetias intelligunt. Recentiores autem ut missos faciamus, ex antiquioribus tres tantùm nobis sufficient ad probandum, quòd jam olim à multis sæculis receptum fuerit, quatuor *Monarchias* prædictis tribus *Visionibus* designari. *Isidorus Pelusiota*, ante annos mille ducentos, quatuor *Bestiarum visionem*, ad hanc mentem interpretatus est. τοῦ θεσπεσίου Δανιὴλ ἡ περιβόητος ὅρασις &c. *Divini viri Danielis, illa celebris atque hominum sermone pervulgata visio, Assyriorum & Medorum ac Macedonum regnum, ut uniusmodi atque ex unâ quodque natione conflatum, uni belluæ comparavit; aliud nimirum Ursæ, aliud Leænæ, aliud Pardo. Quarta autem visio, hoc est horrenda bellua, (utpote ingentem stuporem afferens) ferreis dentibus septa, æreisque unguibus armata, devorans & comminuens, & conculcans, nec ad ullius animantis similitudinem accedens, Romanorum Imperium perspicuè designabat; utpote ex omnibus nationibus & tribubus compactum, omnique robore & gloriâ in seipso præditum. Neque enim uno nomine exprimendum vidit propheta principatum illum, qui potentiæ suæ jugum, in omnes extendit, atque Dominicæ incarnationis tempore in infinitum imperium processit.* Hactenus *Pelusiota* de quatuor *Bestiis*. Jam *Zachariæ* quadrigas *Beatus Hieronymus*, *Pelusiota* paulò antiquior, huc etiam refert. *In quadrigâ primâ* (inquit) *Equi rufi erant, cruenti & sanguinarii, & Babyloniâ crudelitate terribiles: In quadrigâ secundâ equi nigri: regnum Medorum atque Persarum, &c. In quadrigâ tertiâ equi albi. Macedones: sub quorum rege Antiocho, Machabæorum*

* Isa. 21 Dan. 7. Ester. 1. 3, &c. Dan. 7. 17. Zac. 6. 2, 3. Dan. 2. 37, 38, &c.

Lib. 1. ep 218. pag. 63. Edit. Paris. 1638.

Hieron. in Zach. 6. 1.

victoriam legimus. In quadrigâ quartâ equi varii sortes. Scimus enim Romanorum Reges, alios in gentem Judæam fuisse clementes, ut Caium Cæsarem; Augustum, & Claudium; alios persecutores atque terribiles; ut C. Caligulam, Neronem, Vespasianum & Hadrianum. Hæc B. Hieronymus de Zachariæ quadrigis. Denique stupendus ille *Nabuchodonosoris Colossus*, explicatione *Danielis* ipsius, quatuor regna significat. Beatus autem *Sulpitius* disertim applicat, & quatuor istas quas diximus *Monarchias* prænunciatas fuisse, nominatim affirmat. *Secundùm Prophetæ interpretationem* (inquit) *imago visa, mundi figuram gerit. Caput aureum Chaldæorum Imperium est. Siquidem id primum & opulentissimum fuisse accepimus. Pectus & Brachia argentea, secundum regnum annunciant. Cyrus enim, victis Chaldæis atque Medis, Imperium ad Persas contulit: in ventre æreo tertium regnum portendi pronunciatur: idque impletum videmus: siquidem Alexander ereptum Persis Imperium, Macedoniæ vindicavit. Crura ferrea Imperium quartum, idque Romanum intelligitur; præ omnibus ante regnis validissimum: pedes verò partim ferrei, partim fictiles, dividendum esse Romanum regnum, ita ut nunquam inter se coeant, præfigurant. Quod æquè impletum est.* ita B. *Sulpitius*. Hæc aliquantò longiùs produximus, à quibus tamen supersedisse poteramus, nisi hanc opellam à nobis expressissset *Johannis Bodini* viri impensè docti argutatio; quâ decantatam illam regnorum antiquioris mundi divisionem in quatuor *Monarchias, nuperâ auctoritate, & insulsâ Neotericorum quorundam opinione niti* astruit. Nobis verò ex supradictis, contrà liquidò paret; *Summa* quatuor *Imperia*, antiquitùs observata, & designata fuisse. Quorum priora duo, in *Asiâ* successivè floruerunt, ideóque *Asiatica* dicta: duo reliqua, suo ordine in *Europâ*, eâdémque ratione *Europea* nuncupata. Has appellationes, nec non *Imperiorum* distinctio-

Sacræ Hist. l. 2.

Methodi c. 7.

ſtinctiones probare, ſuâque auctoritate confirmare, nobis videtur ipſe etiam *Velleius* loco ſuprà citato. *Inſequenti tempore* (inquit) *Imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis mille ſeptingentis, tranſlatum eſt ad Medos, &c.* Verùm, inquam, haud tanti quidem eſt, ut de appellatione, ſive etiam de diſtinctione *Imperiorum* prolixiùs litigemus. Breviter ergo, dicimus longè teſtatiſſimum illud eſſe, apud omnem etiam antiquitatem notiſſimum, adeò latè olim per totam *Aſiam* dominatos fuiſſe *Aſſyrios & Chaldæos*; poſteà *Medos* & *Perſas*, ut *Summa* tenuiſſe totius orbis (quà tunc habitabatur) *Imperia*, jure meritóque dicantur : idem etiam de *Græcis* ſuo tempore, atque inde multò magis de *Romanis* affirmari poteſt : à quibus non *Aſiæ* modò, & *Europæ*, ſed & *Africæ* quoque partem, ſi non maximam, certè potiorem ſubjugatam, ex Hiſtoriis novimus. Unde *Megalopolitanus* : Ῥωμαῖοι γε μὲν ὅ τινα μέρη, σχεδὸν δὲ πᾶσαν πεποιημένοι τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον αὐτοῖς, &c. *Romani non partibus ſolummodo aliquot, ſed univerſo ferè terrarum orbe, in jus ditionémque ſuam coacto, Imperium ſuum in tantum evexerunt faſtigium, ut prædicare quidem illius fœlicitatem, præſens ætas meritò queat : ſuperare verò illud, nulla unquam ſæcula ſint valitura.*

Lib. 1. c. 6.

SECT. IV.

Aſſyrio-Chaldaici Imperii inſtitutio ac duratio. Item Medo-Perſici, inde Græcanici. Romani Imperii initium ante Jul. Cæſarem. Inde ad Carolum M. quot anni interceſſerint. Denique ad Carolum V.

UT progrediamur igitur, primum illud Imperium *Aſſyrio-Chaldaicum* (ſic enim lubet appellare)

pellare) à *Nemrodo* (qui etiàm à nonnullis *Belus* dicebatur) inſtitutum eſt, An. M. 1717. aut circa. Durationis erat longiſſimæ, utique annos plus minùs mille ſeptingentos complectens; nam per totum quaſi intervallum ſecundum *Cenſorini*, & porrò ad annum uſque ducenteſimum triceſimum octavum tertii intervalli, excurrit illud Imperium; haud quidem ſemper integrum, ſed fractum nonnunquam, atque imminutum; ſicuti à doctiſſimo *Joſepho Scaligero* notatum eſt. Amplitudo enim ejus, initio quidem immenſa fuit, poſtea per ſubditarum nationum defectiones, in multas quaſi lacinias divulſum eſt; Regibus Aſſyriorum in luxum ſolutis, & quidvis potiùs quàm arma, & ſalutem regni ſui meditantibus. Verùm à primâ ejus origine, ad captam à *Cyro Babylonem*, quo tempore ad *Medos* & *Perſas* transferebatur, interceſſerunt anni paulò minùs ſeptingenti ſupra mille. Nam licèt *Aſſyrios* Imperium tenuiſſe annos ter centenos tantùm ſupra mille, autumet *Juſtinus*; *Georgius Monachus*, ter centenos ſexaginta; *Diodorus Siculus*, quadringentos: Omnes tamen intelligendos auguror, de ſpatio quo regnabant poſteri *Nemrodis* & *Nini*, qui illius Imperii fundamenta jecerunt circa A. M. 1717. præſertim *Nini*, à quo *Sardanapalus* (teſtante *Velleio*) tertio & triceſimo lòco (ita ut ſemper ſucceſſor regni paterni foret filius) ultimus regnabat. *Nini* verò familiam excepit *Phul Belochus*, & ejus poſteritas: inde *Merodach Baladan*, ejuſque progenies, uſque ad interitum *Baltazaris*, qui regum *Babylonicorum* extremus, urbe à *Cyro* captâ periit. Ita quidem *Funccius*, *Reinerus Reineccius*, *Viginertus*, atque alii ex ſacrâ Scripturâ ferè, colligere videntur. Verùm *Joſephus Scaliger*, *Dionyſ. Petavius*, *Jac. Capellus*, atque alii, ex *Beroſo Megaſthene*, ac *Ptolomæo*, interitum *Baltazaris* prævertiſſe *Babylonis* expugnationem per *Cyrum*, annos circa ſeptendecim contendunt. *Baltazar* enim conſpiratione

Scalig. Can. Iſagog. l. 3. p. 315.

Vell. Pat. l. 1. c. 6. A. M. 3076.

ſpiratione ſuorum, quos ob pravam indolem à ſe alienos fecerat, interfectus eſt, Olymp. 55. cui ſucceſſit *Nabonidus* quidam, origine *Medus* (*à Daniele Darius Medus* appellatus) idque communi ſententiâ conjuratorum. Hic autem decimo ſeptimo imperii ſui anno, ab *Cyro* Perſarum Rege bello ſuperatus, ac *Babylone* exutus, vitâ & *Carmaniæ* præfecturâ donatur: atque ſic Imperium ad *Perſas* tranſlatum, anno videlicet 2. *Olympiadis* 60. & anno M. 3412. Haud igitur difficile videtur ex præmiſſis demonſtrare, *Monarchiam Aſſyrio-Caldaicam* prima ſuâ inchoatione, ad hunc, quem poſuimus, Epilogiſmum duraſſe paullò minùs annis mille ſeptingentis. Quod inſuper ex iis confirmari poteſt, quæ retuliſſe perhibetur *Calliſthenes*, *Ariſtotelis* diſcipulus. Is enim *Alexandrum M.* in expeditione *Aſiaticâ* ſecutus, rogatu Magiſtri ſui, captâ *Babylone*, diligenter à *Babylonicæ* antiquitatis peritis, aſtrorum obſervationes, & Regum primæ illius & antiquiſſimæ *Monarchiæ* ſucceſſiones, nec non annorum numerum inquiſivit. Quaſcunque autem nanciſci potuit *Babyloniorum* antiquitates, ἀναγραφὰς ἀστρονομικὰς, in *Græciam* tranſmiſit; quas mille nongentos & ter annos complexas fuiſſe, teſtatur alicubi *Simplicius*.

Secunda *Monarchia*, *Medo-Perſica* indigitata, à captâ *Babylone* per *Cyrum*, ad eandem ab *Alexandro Macedone* occupatam (*Dario Codommano*, Rege decimo & ultimo *Perſarum* victo) non ultra decem annos ſupra ducentos continuaſſe dicitur. *Alexander* enim *Babylonem* intravit anno 3. Olympiadis 112. anno M. 3620.

Tertia verò *Monarchia*, *Græca* vocata, & ab *Alexandro* M. poſt *Darium* victum, inchoata, uſque ad *Perſeum Philippi* Secundi *Macedonici* filium à *Paulo Æmylio* debellatum, & *Macedoniam* in provinciam redactam, perduraſſe æſtimatur: quod ſpatium, annos paullò plus centum ſexaginta compre-

hendit. *Perſeus* enim à *L. Æmylio Paulo* victus, captus, ac triumphatus eſt, an. ab V. C. 586. an. M. 3782. atque circa id tempus, ad immenſam illam magnitudinem ſuam, à *Polybio* in tantum prædicatum accreverat *Imperium Romanum:* quod poſteà latiùs adhuc ſeſe extendit; verùm ab hoc tempore, quarta *Monarchia* facta eſt. Siquidem huc ejus initium diſertis verbis refert *Æmilius* ille *Sura*, (quem ex *Paterculo* ſuprà citavimus:) *duobus* inquiens *regibus Philippo & Antiocho devictis, ſumma Imperii ad populum R. pervenit.* Quod eiſdem ferè verbis affirmat etiam *Polybius*; *Regno Macedonico everſo, Romani orbem terrarum ſuo Imperio ſubjecerunt:* πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον αὐτοῖς ἐπίσαντο. Immò, uti ex eodem *Polybio* colligere eſt, certatim ſeſe addixerunt populi eorum obſequio, ab iiſque pacis inter ſe, ac belli arbitria ſumpſerunt. Quod *Florus* itidem noſter confirmat: *Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes, præſidia ſibi ab hâc urbe petebant.* Iterùm *Polyb.* *Hoc tempore in confeſſo apud omnes erat, atque adeò confeſſionem hanc neceſſitas omnibus exprimebat, parendam porro eſſe Romanis, & illorum juſſa capeſſenda.* Denique huc ipſe Propheta *Daniel Monarchiæ* quartæ initium refert, ſi rectè opinetur doctiſſimus *Melanchon*, qui hunc in modum loquitur. *Cum Daniel quartam Monarchiam nominat & pingit, non tantùm à Julio & Auguſto eam orditur, ſed complectitur tempus, quo urbs Roma ſummum Imperium tenuit, etiam ante bella civilia.* Qua propter ſi hinc initium durationis hujus *Monarchiæ* putemus; ad *Jul. Cæſarem* anni numerantur, 118. inde ad *Conſtantinum* M. 356. poſt, ad *Auguſtulum*, qui ab *Odoacro* rege *Herulorum* coactus eſt ſeſe abdicare, reperiuntur anni ſupra 170. inde denique ad *Carolum* M. 325. Sicut ab everſione regni *Macedonici*, ad *Carolum* M. interſint anni, 978. inde ad *Carolum* V. ſequuntur anni, 720. ita à victo *Perſeo*,

Lib. 1.

Lib. 3 p. 159, & 160.

Lib. 2. c. 7.

Lib. 3. p. 160.

Chro. l. 3. p. 146.

Perſeo, ad *Carolum* V. numerantur Ann. 1688.

SECT. V.

Quatuor iſthæc imperia quare dicebantur Summa.

NOn me latet, alias multas reſpub. & dynaſtias, alia regna atque imperia hinc illinc, per orbem terrarum, ſuperiorum etiam trium *Summorum Imperiorum* tempore floruiſſe; imprimis autem, dum Prima & Secunda vigebat *Monarchia*: e. g. *Ægyptiorum*, *Sicyoniorum*, *Spartanorum*, *Æthiopum*, aliorum; de quibus frequens mentio apud Antiquos habetur; horúmque nonnullos latè aliquando rerum potitos legimus;

Venit ad octaſum, mundique extrema Seſoſtrin,
Et Pharios currus regum cervicibus egit. Lucan. l. 10.

Ita cecinit *Lucanus*. Et *Juſtinus*, *Vexorem* tradit regem *Ægypti*, ad *Pontum* uſque produxiſſe imperium. *Strabo* etiam *Tearchonem Æthiopem* uſque in *Europam* cum exercitu proceſſiſſe teſtis eſt. Denique, Rerum dominos aliquando *Æthiopes* fuiſſe claros & potentes, uſque ad *Trojana* tempora, *Memnone* regnante, ſcribit *Plinius*. Præ cæteris tamen omnibus, prædictas quatuor *Monarchias* longè eminuiſſe, notius eſt, quàm ut probatione diutiùs immoremur. Namque id ſemper meminiſſe oportet, haud ita à nobis quatuor *Summa Imperia Monarchias* vocatas, quaſi omnes omninò regiones & gentes complecterentur, ſed quòd magnam orbis terrarum partem tenuerint, tantamque habuerint potentiam, ut cæteros reges compeſcere, iiſque leges imponere, facili labore poſſent. Siquidem *idcirco* Lib. 15. Lib. 6. c. 29.

Chron. l. 1. p. 10. *circo voluit Deus Monarchias constitui, (Melanthonis* verba) *ut homines legibus, judiciis, & disciplinâ probabili regerentur.*

SECT. VI.

Historiarum lectio undè auspicanda. Epitomæ justæ non penitùs damnandæ. Synopseis Historiarum. Chronologi. Alia etiam compendia nominatim commendantur. Qui denique Auctores præcipuè circa universalem Historiam sint consulendi. Raulæus inter præcipuos. Sed Historia Biblica omnium prima, & primò ediscenda.

QUapropter, si quis *Monarchiarum* sive *Imperiorum* istorum, adeóque totius mundi Historias, cum uberiori fructu percurrere cupiat; priusquam illud immensum pelagus ingrediatur, compendium aliquod (suadeo) deguſtet; & à succinctâ aliquâ *Chronologiâ*, aut brevi aliquâ Historiarum *Synopsi* incipiat. Inde enim series temporum, *Imperiorum* successiones, generis humani præcipuas mutationes, insimul discere poterit. Inde exemplar ideamque τῆς ὁπτικῆς ἱστορίας, totius universalis Historiæ, uno quasi intuitu contemplandam facili negotio (si voluerit) comparabit. Id *Ludovici Vivis* consilium: *A principio* (inquit) *legendus aliquis, qui ab ultimis temporibus ad nostram memoriam, aut ei proximam, historiam tenore uno contexat, ut summâ quâdam proponantur omnia.* Namque reverâ, licèt negari non possit, quod vulgò dici solet, compendia nonnunquam dispendia fuisse; Auctoribusque præstantissimis cladem atque interi-

Lib 5. de Trad. Discip.

tum

tum attuliſſe; *Epitomas* tamen cum abbreviationibus juſtis, ſi viâ quâdam planâ & ad incedendum expeditâ, rationem proficiendi demonſtrent, haud prorſus contemnimus. Quinimò, ſicut infantes modicè manu alienâ ducti, paſſibus incertis ambulare diſcunt: Ita in re Hiſtoricâ, ab epitomis & abbreviationibus, juvenibus ordiendum eſſe omninò perſuaſum habeamus; donec probè jactis fundamentis, proceſſu temporis fontes ipſi, cum fructu & utilitate ab iis frequentari, adeóque exhauriri poſſint. Proderit igitur haud parùm, vel *Synopſin Beureri* legiſſe, vel *Sleidani* compendium de quatuor *Summis Imperiis*, eleganti, concinno, rotundo orationis genere ſcriptum; (ita de eo *Reineccius*) & quod ex eorum numero ſtatuere nos oportet, de quibus Poeta; *Victurus genium debet habere liber.* Vel denique *Melanchthonis Chronicon*; *quod qui non deguſtaverit*, (ſi *Stephano* cuidam *Prætorio* auſcultemus) is verè bardus eſt. Quippe inquit, *eruditiſſima & elegantiſſima Epitome eſt omnium ferè Hiſtoriarum totius mundi.* Alia etiam, nec inferioris notæ ſcripta, Lectori noſtro Hiſtoriæ ſtudioſo commendari, jure meritóque poſſunt. Quale eſt *Reineri Reineccî Syntagma* de Familiis, quæ in *Monarchiis* Rerum potitæ ſunt, opus quidem laborioſum, & exquiſitum; cujus ceu χειραγωγία, per amœnos Hiſtoriarum campos, facilius multò, jucundiùs, fœliciúſque iter ſuum inſtituere poterit. Sed & *Jacobi Capelli*, (viri multæ eruditionis, & harum literarum callentiſſimi,) *Hiſtoriam Sacram* & *Exoticam*, accuratâ quidem diligentiâ ad temporum rationem concinnatam, meritâ ſuâ laude neutiquam privandam cenſeo: dignam videlicet lectione perquàm ſeriâ, & in ipſis ſtudii Hiſtorici primordiis; quam utinam ad hæc noſtra tempora produxiſſet; nam in Nativitate *Auguſti* deſinit. Verùm eodem in genere ſingularem navavit operam nuperrimè, *Dionyſius Petavius è Societate Jeſu*, qui

Franken. l. 1. Inſt. H.

Epiſt. ad Henr. Meibomium.

Lib. de formandis ſtud. p. 37.

A. V. C. 691.

qui *Temporum Rationarium* dedit, in quo, ætatum omnium Sacra profanaque Historia, Chronologicis probationibus munita, summatim traditur, ab Orbe condito, ad Annum Christi. 1632. Inter Chronologos autem celebriores si cupiat assuescere paulisper, (quod ut faciat etiam, plurimùm interierit) præter *Capellum* & *Petavium*, quos in eodem censu pono, *Funccium* adire poterit, *Buntingum*, *Bucholcerum*, *Heluicum*, aut denique *Sethum Calvitium*, qui nuperâ suæ *Chronologiæ* editione, operosam adeò diligentiam adhibuit, ut nihil quicquam omiserit, quo verum Historiarum tempus exquisitè doceatur. Quòd si post *Chronologos* diutiùs adhuc & plenius in *Universali Historiâ* libeat versari; * *Justinus* legi potest: qui sub *Antonino* floruisse putatur; neque *eo quisquam alius inter Latinos*, * *tot Imperiorum tempora politiùs aut elegantiùs perstrinxit*. Inde *Herodotus*, tum *Diodorus Siculus*, postea *Polybius*: de quibus plura mox erunt dicenda. Hos autem sequi possunt nonnulli ex recentioribus: quos inter, principem locum obtinere meretur *Gualterus Raulæus* noster, Eques auratus, vir clari nominis, & ob singularem fortitudinem ac prudentiam, meliori fato dignus. Is universalem Historiam ab initio Mundi usque ad *Macedonici* Imperii, sive tertiæ *Monarchiæ* occasum, ex probatissimis Auctoribus coagmentavit; nostræ quidem gentis idiomate vernaculo, sed accurato admodùm judicio, methodo perspicuâ, Stylo elegante ac virili. Quin & omnis ævi res gestas, ante aliquot annos digerere aggressus est, vir incomparabilis *Gerardus Johannes* * *Vossius*; illud opus videre, & unà vobiscum frui (Auditores) utinam daretur! Quid enim aliud quàm eximium, & supra ingeniorum, non hujus tantùm seculi, sed superiorum etiam multorum aleam positum, à tanto antiquitatis & Historiarum condo promo expectandum? Utcunque tamen hosce universos præcedat *Historia Bibli-*

* *Claruit circa an. Chr.* 140. *Voss de Ar. H. l.*

* *Omnium pene geminum res à Nino usque ad Augustum complectitur.*

* *V. Epi. ded. l. de Ar. Hist.*

ca,

ca, quæ omnium antiquiſſima eſt, atque ἀναντιῤῥήτως veriſſima. Atque huc tendit, gravis admodùm & ſeria *Caroli Sigonii* moris vulgati in ſtudio antiquitatis inſtituendo reprehenſio, juxtà & monitio. *Ut in pleriſque aliis rebus inſtituendis*, (inquit) *ſic in jaciendis ad rerum veterum temporumque præteritorum cognitionem fundamentis, neſcio quo modo pravæ cujuſdam conſuetudinis æſtu abrepti, vehementer erramus; ab iis fermè luſtrandis monumentis exordientes, quæ falſorum Deorum traditiones & commentitias fictorum Heroum actiones à Græcis, acutiſſimis hominibus, ſed planè veritatis ignaris, proditas complectuntur. Quibus neque ad aliquem prudentiæ uſum, neque ad ullum pietatis fructum excolimur. Cùm ſi quid in nobis ſenſûs, ne dicam ſanitatis ineſſet, ab iis potiùs quæ ſacris continentur Hebræorum literis, initium ducere deberemus. Nam ſi prima rerum principia quærimus, non altiùs repetere, quàm ab ipſo mundi hominumque, quod ibi tractatur, opificio poſſumus; ſi vera, nihil tam verum exiſtit, quàm quod Dei ipſius viventis ore prolatum eſt; ſi gravia, quid magnificentius iis inveniri monumentis poteſt, in quibus ſancta Dei mandata, ſalutaria promiſſa, certa oracula, cæteráque his adnexa ſalutis noſtræ adminicula concluduntur? porrò autem, unde aut virtutum exempla præſtantiora ad perſequendum, aut vitiorum deteſtationes acriores ad declinandum, aut actiones inſigniores ad memorandum, quàm ab ipſis Hebræorum commentariis petî poſſunt? in quibus ſolis apertè docetur, quantùm humanum genus, aut religione colendâ ſummo præſentis Dei auxilio ſublevetur, aut eâ negligendâ acri ejuſdem iracundiâ conteratur.*

SECT. VII.

Aſſyrio-Chaldaica unde petenda Hiſtoria.

De

De Berosо, Ctesia, Megasthene, eorumque supposititiis Scriptis. Ad Josephum potiùs in eorum defectu recurrendum. In Diodoro Siculo magna jactura aliundè sarcienda. Præsertim ex Josepho, & Historiâ propheticâ. Diogenes Laërtius laudatur.

JAm verò, si ad partes per *Imperia* summa descendere placeat, & Historias eorum separatim suo ordine persequi; Res *Assyrio-Chalduicas* qui narrant, * *Berosum* habemus; *Ctesiam*; *Megasthenem*: habemus dixi? immò (quod maximè dolent Historiarum cultores) non habemus. Fragmenta quædam * *Ctesiæ*, fortassè non notha, atque ista de rebus tantùm *Persicis*, nam *Assyriaca* protinùs interierunt, habemus; paucas * *Megasthenis* lacinias, & adulteratas quasdam *Berosi* rapsodias, à *Viterbiensi Monacho*, institore subdolo suppositas; quibus parum fidei adhibendum censent, viri longè doctissimi. Etenim de *Ctesia*, *Josephi Scaligeri* maximi philologi tale est judicium, nimirùm, *ineptum esse Græculum, & modò Herodoto adversetur, nihil pensi habere: multa ab eo humanitùs, multa etiam consultò per ζηλοτυπίαν peccari, atque id non obscurè cognosci ex Photii parietinis.* Floruit temporibus *Cyri* junioris, & ab *Artaxerxe* prælio captus, ei medicinam fecit. *Megasthenі* quoque fidem detrahit ipse *Strabo*, etiam genuino illi, quem toties citat: quantò magis viri eruditi, fictitio isti *Anniano*, *Megasthenі* ignoranter dicto? Ille autem cum *Seleuco Nicanore* vixit, teste *Clemente Alexandrino*; iste, figmentum planè *Annianum*. Ejusdem furfuris *Berosum* illum esse qui circumfertur, autumant plerique doctorum. Audite *Ludvv. Vivem*; *libellus* (inquit ille) *circumfertur, Berosi Babylonii*

* *Claruit ante Ch.* 250.
* *Clar. ante Chr.* 375.
* *Ante Chr.* 290.
Scalig. de em. Temp. in notis.
Strabo l. 14.
Lib. 2.
Strom. l. 1
Lib. 5. *de Tra. disc.*

nii Antiquitates; ſed commentum eſt, quod indoctis, & otioſis hominibus mirè allubeſcit. Cujuſmodi *ſunt, Xenophontis Æquivoca, tum Archilochi, Catonis, Sempronii, & Fabii Pictoris fragmenta, quæ eodem ſunt libro ab Annio Viterbienſi conſarruminata, commentiſque reddita magis ridicula. Non quin inſint quædam in illis vera, nam alioqui frontem non haberet narratio; ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitium eſt, nec illius, cujus titulum mentitur.* Hactenus doctiſſimus *Vives.* Atque idcirco tum ille, tum alii, nos ad *Joſephum, Juſtinum Trogi Epitomatorem, & Diodori Siculi Antiquitates* mandant. Et meritò quidem ad *Diodori Siculi Antiquitates,* (ſi extarent integræ) quas veterum nonnulli ἀπλῶς *βιβλιοθήκην,* vel etiam *βιβλιοθήκας* nominare non dubitarunt. Siquidem ipſe ſuâ Præfatione nos docet, qualem ſeculorum priſcorum memoriam libris ſuis conſignaſſet, Ejus n. hæc ſunt verba: *Ex libris noſtris* (inquit) *primi quidem ſex, continent res ante Trojanum bellum geſtas, eaque quæ fabulis de ſeculo iſtoc prodita fuerunt, horumque priorum tres Barbarorum, proximè ſequentes Græcorum Antiquitates continent. In ſequentibus undecim, res ubique locorum geſtas, à bello Trojano uſque ad Alexandri interitum deſcripſimus.* Ita *Siceliota.* Verùm quinque illi qui ſequebantur poſt quintum, (quem *βίβλον ὑποθηκὴν* ipſe indigitat, quia in eo de *Inſulis* tractat) immenſâ rei Hiſtoricæ jacturâ periêre. Nam in illis erat memoria totius vetuſtatis regnorum Orientis: quæ multùm *Hiſtoriæ Sacræ,* (*Veteris* nimirùm *Inſtrumenti* libris) allucere poſſent: uti notat doctiſſimus ille *Joſ. Scaliger.* Hanc tam deplorandam jacturam æquiore animo ferendam cenſeremus, ſi præter illos ſuprà nominatos, ſupereſſent *Theopompus, Euphorus, Calliſthenes, Timæus,* atque alii, ex quibus ſua aſſiduo labore congeſſerat *Diodorus.* De quibus videte eruditiſſimum *Voſſium, lib. de H. Gr.* Habet quidem fateor *Sicelio-*

Cla. ante Chr. an. 60.

Lib. 1. p. 5. edit. Hanov. 1604.

Ad Euſ. an. 1967

ta

ta ſuos reprehenſores, propter libros illos priores, quos diximus hîc in primis legendos; eoſque inter, *Ludov. Vivem*, qui miratur *Plinium* dicere potuiſſe, *Diodorum primùm apud Græcos nugari deſiiſſe*; *cùm nihil* (inquit) *ſit eo nugacius*. Sed eruditum illum *Cenſorem* dicimus non ſatis animadvertiſſe, *Diodorum* non diffiteri, iſtorum temporum Hiſtoriam fabulis multis eſſe permiſtam, eaſque aliter atque aliter apud *Veteres* traditas: ſed contentum eſſe referre, quæ veritati maximè conſentanea putaret: ac ne ſic quidem haberi ea vult pro uſquequaque veris: ſed ſatiùs putat, quomodocunque res priſcas noſſe, quàm eas penitùs ignorare: Sicuti vir acerrimi judicii ſummæque eruditionis, *Gerardus Joh. Voſſius* obſervavit; quem videte. In defectu igitur Auctorum quos nominavimus, & ad ſarciendam utcunque jacturam factam inter *Siceliotæ* libros priores, advocanda ſunt ſubſidia, ab *Euſebio Chronico*; ubi priſca multa digito deſignata videbimus: à *Plutarchi Theſeo*, *Liurgo*, & *Solone*: à deſcriptione *Veteris Græciæ* per *Pauſaniam*: ab *Oroſii* libro primo. Præſertim verò ab *Hiſtoriâ Propheticâ*, in quâ ſolâ, pleraque eorum, quæ certæ ac indubitatæ fidei de *Aſſyriis* & *Chaldæis*, (poſt interitum *Sardanapali*) haberi poſſunt, reperiuntur; etiam uſque ad initium *Monarchiæ Medo-Perſicæ*, & paullò ulteriùs. Neque alibi uſpiam ferè apud *Antiquos* de *Rep. Judaicâ* (ſi *Joſephum* excipiamus) quidquam legere conceditur. Is reverà, ubi vetus *Teſtamentum* deſinit, reliqua gentis *Judaicæ*, uſque ad ann. decimum tertium principatûs *Domitiani Cæſaris*, ætatis verò ſuæ quinquageſimum ſextum, in *Archæologiâ* deducit. Sed de *Joſepho* ſuo loco. A *Diogenis Læertii* vitis quoque hauriri poſſunt multa ſcitu digniſſima; quæ primæ *Monarchiæ* Hiſtoriam locupletare poſſunt. Præſertim Hiſtoriam centuriæ poſtremæ; quâ floruerunt ſeptem *Græciæ* Sapientes: Nec non *Pythagoras*

Lib. 2. de cauſ. cor. art. & li. 5. de ira. diſc.

Lib. 2. de Hiſt. Gr. c 2.

Clar. an. Chr. 140.

goras ille ἀθεότητος, aliique *Philosophi* multi; quorum vitas descripsit Laërtius, aureo libello illo (sicuti H. Stephanus,) opere utilissimo, & auro contra non caro, sicuti doctissimus *Vossius* affirmare non dubitat. *l.* 2. *de Hist. Gr. c.* 13.

SECT. VIII.

Herodotus undè suam inchoaverit Historiam; ubique desierit. Ejus laus; quo tempore floruerit. Secundæ Monarchiæ initium. Argumenta singulorum librorum Herodoti recensentur. Musarum nomina cur eis imposita. Contra Lud. Vivem excusatur. Ex quibus Auctoribus locupletior, vel etiam illustrior fieri possit ejus Historia.

Claruit ante Chr. an. 440. *Olym.* 84.

Historiam propheticam immediatè sequitur *Herodotus*; *Ethnicæ* pater Historiæ: idque divinâ cùm bonitate, tùm providentiâ factum; ut ferè in eo ipso quasi momento, quo desinit *Prophetica Historia*, *Halicarnassensis Herodotus* ordiatur suam. Nam cùm *Prophetæ* ea quæ *Spiritu* S. digniora essent visa, in sacris suis scriptis ab ineunte Mundo, ad *Cyrum* usque enarrassent; *Herodotus* à *Gyge Lydorum* Rege (*Hezekiæ* & *Manassi Judæorum* Regibus συγχρονος) auspicatus, circa ann. M. 3238. quasi annos centum & quinquaginta ante *Cyri* regnum in *Persiâ*; mox ad *Cyrum* Magnum illum *Medo-persici* Imperii fundatorem devenit. Atque ita *Medorum* & *Persarum* Historiam, stylo sine salebris, sedati amnis instar fluente, (uti *Cic.* in *Oratore* loquitur) usque ad turpem illam atque ignominiosam *Xerxis* è *Græciâ* fugam deduxit. Ea

autem contigit, ann. 2. Olymp. 75. an. M. 3471. quo tempore etiam *Herodotus* floruit, & usque ad initium belli *Peloponnesiaci* vixit. Id *Dionysius* ejus popularis hisce verbis docet. ὁ δ' Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος ἡνικόμην ὀλίγω πρότερον ἦρξε Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῆς Πελοποννησιακῶν. Nimirum ab anno primo Olymp. 74. ad primum belli Peloponnesiaci, h. e. Olymp. 87. annum secundum; (ita enim ejus ætatem putat magnus *Scaliger*) & intervallum Olympiadum præcisè xiii. facit. h. e. annorum 52. *quot*, inquit, *vixit dulcissima* τῆς Ἰλιάδος μοῦσα. Atque ita pergit *Scaliger* in ejus præconio: *Vetustissimus omnium Solutæ orationis Scriptorum, qui hodiè extant: scrinium originum Græcarum & barbararum, Auctor à doctis nunquam deponendus, à semidoctis, & pædagogis, & simiolis nunquam tractandus.* Cæterùm, utcunque diutiùs vixerit *Herodotus*, Historiam suam non ultrà *Xerxis* tempora propagavit. Continuam autem ducentorum triginta quat. ann. seriem, libris novem complexus est; quos *novem Musarum* nominibus distinxit. Vultis singulorum librorum argumenta? dabo quàm brevissima. Libro primo, præter ea quæ de *Lydorum* regno Regibusque à *Gyge* ad *Crœsum*, de vetere *Ioniâ*, de moribus *Persarum*, *Babyloniorum*, ac nonnullis aliis narrat; *Cyri* principis *Monarchæ Medo-Persici* nataleis exponit: indè miraculosam ejus conservationem, porrò educationem, & res gestas eleganter describit. Libro Secundo, *Ægyptum* universam graphicè depingit, *Ægyptiorum* mores prodit, regumque seriem commemorat. Tertio *Cambysis* Historiam contexit; inde *Magi*, *Smerdim Cyri* simulantis, atque ita menses septem regnantis, dolum, interitumque explicat. Tum *Darii Hystaspidæ* electionem subjungit; mox provinciarum *Imperii Persici* enumerationem instituit: *Babylonis* denique à *Dario* receptionem adnectit, operâ nimirum fidelissimâ *Zopyri*, in cujus laudibus con-

Anima. in Euseb. Chr. p. 97

Clio.

Euterpe.

Thalia.

concludit. Quartus liber *Scythiæ* descriptionem satis accuratam exhibet, nec non infœlicem *Darii* contra *Scythas* expeditionem. Ibidem etiam *Myniarum* legimus Historiam, urbemque *Cyrenem*, ab iisdem in *Lybiâ* conditam, regionis insuper illius gentes prolixè descriptas. Liber Quintus, *Persarum* legationem ad *Amyntam Macedoniæ* regem continet, nec non *Sisamnis* injusti judicis justam vindictam; *Aristagoræ Milesii* seditionem & exitum: statum denique *civitatis Atticæ Lacedæmoniorum & Corinthiorum*, qualis tempore *Darii Hystaspidæ* fuerit, ostendit. Sextus *Histiæi* seditiosi supplicium tradit: Regum *Laconicorum* originem indicat: *Darii* apparatum & bellum adversus *Græcos* exponit, pugnamque ad *Marathonem*, quâ *Miltiades Persas* fortiter profligavit. Septimus deliberationem luculentissimam de bello suscipiendo adversus *Græcos*, à *Xerxe* habitam, deinde famosissimam ejus expeditionem in *Græciam*, & prælium ad *Thermopylas* complectitur. Octavus prælium ad *Salaminam* Insulam describit. Nonus, præter *Lycidæ* cujusdam pœnas, duas narrat pugnas, uno eodemque die pugnatas: ad *Plateas* primam, diluculo diei: alteram ad *Mycalen Asiæ* promontorium, eamque vesperi: quibus utrisque *Persæ* devicti, & è *Græciâ* penitùs ejecti fuere. Atque hisce novem libris, præter *Medorum* ac *Persarum* Historiam, *Lydorum*, *Ionum*, *Liciorum*, *Ægyptiorum*, *Myniarum*, *Græcorum*, *Macedonum*, aliarumque nationum res gestas, mores, religiones, intertextas reperietis; tantâ sermonis puritate, elegantiâ, suavitate, ut ipsæ Musæ à veteribus fingantur ore *Herodoti* locutæ esse: eamque ob causam libris hisce *Musarum* Nomina ab aliis (non ab ipso Auctore) imposita, nonnulli opinantur. Doctissimus tamen *Vossius* (quod hîc notare placuit) aliter sentit: *Eâque ratione* (inquit) *opus suum novem Musarum nominibus inscripsit, quâ tres Æschinis orationes, ob*

Melpomene.

Terpsichore.

Erato.

Polyhymnia.

Urania.

Calliope.

Lib. de Scr. Græc. c. 3.

numerum, ſimulque gratiam ſermonis, Gratias dixere: & novem ejus Epiſtolas Muſas vocarunt, à Muſarum numero, teſte Photio, Tmem. 61. Satis autem liquere aſſerit idem vir doctiſſimus, *non ita nuncupari Herodoti libros, ut mendacia titulo ipſo excuſentur, quod cenſuit Ludovicus Vives; nempe quaſi in ipſo operis ingreſſu commoneri nos opus fuerit, quædam in eo ad animos oblectandos, aliquantò licentiùs dici, quod Muſis permittitur.* Nam licèt quaſdam narrationes recitet *Herodotus*, fabulis non abſimiles; totum tamen Hiſtoriæ corpus, ſingulari fide, & diligenti veritatis ſtudio coagmentatum eſt. De aliis verò narrationibus plerunque præfatur ipſe, ſe eas non quòd veras eſſe exiſtimet, ſed ut ab aliis acceperit, recitare. ἐγὼ δ' (inquit) ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα: πειθεσθαι γε μὲν οὐ παντὰ παντὶ ὀφείλω. i. *Ego quæ fando cognovi, exponere narratione meâ debeo omnia, credere autem vera eſſe omnia, non debeo: quod in totâ Hiſtoriâ meminiſſe lectorem volo.* Jam temporum iſtorum Hiſtoriam de quibus ſcripſit *Herodotus*, non nihil amplificare poſſumus, aut confirmare, lectione *Juſtini, lib.* 2, 3, & 7. lectione etiam vitarum ducum iſtorum celebrium, *Ariſtidis, Themiſtoclis, Cimonis, Miltiadis*, & *Pauſaniæ, à Plutarcho & C. Nepote* deſcriptarum. Adjicere porrò licet *Philoſophorum συγχρόνων* vitas à *Laërtio*; videlicet, *Anaximandri, Zenonis, Empedoclis, Heracliti, Democriti*, & aliorum ejuſdem ævi.

SECT. IX.

De Thucydide. Ejus elogia. Undè & quouſque deducat Hiſtoriam ſuam, quam octo libris complexus eſt. Eorum argumenta breviter & ſingulatim explicantur: quinam Auctores de iiſdem temporibus

bus ac bellis cum Thucydide ſcripſerint, indicatur.

HErodoto ſuccedit *Thucydides*, dicendi artificio, juxtà & fide clariſſ. Hiſtoricus. Cujus elogia à doctiſſimis virîs poſita, hîc etiam repetere non gravabor; indè enim fortaſſis Hiſtoriarum ſtudioſi ad ſeriam ejus lectionem acriùs accendentur. *M. T. Cicero* ſic: *Thucydides* (inquit) *omnes dicendi artificio meâ ſententiâ facilè vicit, ut verborum propè numerum, ſententiarum numero conſequatur: ita porrò verbis aptus, & preſſus, ut neſcias utrùm res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur.* *Fabius Quintilianus*, ſic: *Denſus, & brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: dulcis, & candidus, & fuſus Herodotus: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior; ille concionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate.* Recentiorum etiam audiamus judicium. *Juſtus Lipſius* ita de eo loquitur. *Thucydides* (inquit) *res nec multas nec magnas nimis ſcripſit, ſed palmam fortaſſe præripit omnibus, qui multas & magnas. Elocutione totâ gravis & brevis, denſus ſententiis, ſanus judiciis: occultè ubique inſtruens, actioneſque, vitamque dirigens, orationibus & excurſibus pænè divinus. Quem quò ſæpiùs legas, plus auferas; & nunquam tamen dimittat te ſine ſiti.* Iſaacus Caſaubonus. *Magnus & vir, & Scriptor Thucydides; qui à gerendis rebus, ad eaſdem ſtylo perſequendas quum ſeſe contuliſſet, Hiſtoriæ ad uſum politicorum ſcriptæ mortalium, credo, primus exemplum poſt-futuris mirandum potiùs quàm imitandum dedit.* Chriſtophorus Colerus. *Thucydides Hiſtoriam conſummavit, cùm Herodotus prior exornaſſet. Volve, & in ſinu geſta illum theſaurum. Bellum Peloponneſiacum deſcripſit, vidit, & partìm etiam attigit. Et tu illud apud eum non legere; ſed ſpectare videare. Præterea apud eundem tantum verborum graviſſimo-*

Claruit ante Chr. 460. Olymp. 87.

De Ora. l. 2.

De Inſt. Orat. l. 10. c. 1.

In not. ad Joſ. l. 1. c. 9.

Præfat. ad Polyb.

Epiſt. de ſtud. politica.

rum, quantum ſententiarum reperias. Res explicat prudenter, ſeverè, graviter. Undè planum fit quantum homini politico conferre poſſit. Qui de bello & pace deliberant, hunc arctiſſimo ſibi nexu devinciant conſiliarium, & omne punctum ferat Thucydides. Is igitur (ut pergamus) à *Xerxis* è *Græciâ* diſceſſu, (ubi deſinit *Herodotus*) uſque ad viceſimum primum *Belli Peloponneſiaci*, annorum ferè ſeptuaginta Hiſtoriam, octo libris definivit. Etſi enim bellum ſuo tempore geſtum, inter *Athenienſes* & *Peloponneſios*, (cujus & ipſe pars magna fuit) ex profeſſo deſcribendum ſuſceperat; libro tamen primo, ſub ipſo ingreſſu, *Veteris Græciæ* ſtatum, ab *Argonautarum* uſque, & belli *Trojani* temporibus repetit; magnitudinemque *Peloponneſiaci* cum anteactis bellis conferens, ejuſque cauſas, prætextus, & occaſiones exponens, annorum quinquaginta, (qui inter *Xerxis* fugam, & hujus belli initium interceſſêre,) Hiſtoriam, à propoſito nonnihil digrediens, præmittit. Horum verò quinquaginta annorum, ſi lector plenam & perfectam deſideret Hiſtoriam, priuſquam ulteriùs progrediatur in *Thucydide*; adjungat hoc in loco *Plutarchi*, vel etiam *Cornel. Nepotis Themiſtoclem, Ariſtidem, Pauſaniam*, & *Cimonem. Diodori Siculi lib.* 11, & 12. *Juſtini* etiam *l.* 2, & 3. huc facere poſſunt. Tum demum pergat in *Thucydide*, qui libro ſecundo bellum ipſum narrare aggreditur; ejus initii tempus primo limine deſignans, ordinemque totius operis exponens, nec non quæ fuerint primæ belli faces, & à quibus pugna primùm inita oſtendit. Indè ſequitur Regis *Laconici* ad ſuos hortatio: *Periclea* auctoritatis juxtà & Eloquentiæ prædicatio, horrendæ peſtis *Atticæ* deſcriptio. Poſt hæc *Phormionis*, *Athenienſium* ducis præſtantiam, victoriaſque navales celebrat. Tum *Potideæ* deditionem, *Plateenſium* obſidionem, *Thracum* denique adverſùs *Perdiccam Macedonem* caſſam expeditionem commemorat.

morat. Atque ita trium primorum annorum Historiam nobis exhibet. Libro tertio, trium immediatè sequentium annorum res gestæ continentur: *Mitylenæorum* scilicet, ac reliquorum *Lesbiorum* ad *Lacedæmonios* defectio: quibus in potestatem denuò ab *Athenienſibus* redactis, illustris admodùm de eorum supplicio habetur deliberatio. *Pachetis Attici* ducis crudelitas notatur. Urbs *Platea* capta, & solo æquata. *Corcyræorum* seditio describpta. Belli *Siculi* semina. *Demosthenis* adversus *Ætolos* infausta pugna: adversus *Ambraciotas* magis prospera. Libro quarto, *Pylus* communita, obsessa, defensa; & *Nobilitas Spartana*, ibidem victa, & capta legitur. Res à *Brasidâ* insigni *Lacedæmoniorum* duce fœliciter in *Thraciâ* gestæ narrantur; atque hæc trium etiam annorum historiam conficiunt. Quintus inde liber, septem ferè annorum res gestas comprehendit: nimirum *Brasidæ* ducis *Spartani* & *Cleonis Attici* prælium ad *Amphipolim Thraciæ* urbem, ubi interiêre ambo, pœnasque inquietudinis suæ meritas pertulêre. Tum varia utrinque fœdera, infirma omnia, & inconstantia. *Meliorum* stolidam & amentem pertinaciam, cujus denique tristis narratur eventus. Libro Sexto Auctor, primo *Siciliæ Antiquæ* descriptionem, historiasque veteres nonnullas repetit. Tum prætextus belli *Siculi*, & pulchras quasdam circa illud proponit deliberationes: dissuadente *Niciâ*, *Alcibiade* verò impellente, atque incitante. Ad hæc, portenta nonnulla, quæ expeditionem *Siculam* antecessêre, memorat. Denique *Alcibiadis* ad *Lacedæmonios* defectionem, & res nonnullas in *Siciliâ* gestas, post *Atticæ* classis appulsum, recenset; quæ anno decimo septimo hujus belli acciderunt. Libro Septimo *Micalessus Beotiæ* civitas capitur à *Thracibus*, qui ibidem immaniter sæviunt: indè bellum *Siculum* persequitur Auctor, quod quidem Athenienſibus oppidò infœliciter cessit, easque in-

genti admodùm clade mulctavit; ducibus *Demosthene* & *Niciâ* captis, atque invito *Gylippo*, cui sese dediderant, interfectis. Hæc autem annis decimo octavo & decimo nono belli *Peloponnesiaci* gesta sunt. Libro denique octavo, post cladem *Athenis* nunciatam, sequitur defectio fœderatorum *Atheniensium*, ad *Lacedæmonios* hostes: fœdus etiam inter *Persici* regis *Satrapas* & *Spartanos*. Posthæc *Democratia Atheniensium* mutatur in Statum *quadringentorum virorum*; qui paullò post iterùm dissolvitur: *Alcibiades* ad classem *Atticam* revocatur. Postremò classem *Laconicam*, & ducem *Mindarum*, *Thrasybulus* ac *Thrasylus Athenienses*, post dubium certamen ad *Abydum*, vicerunt. Atque hæc victoria contigit, anno 2 Olymp. 92. anno hujus belli 21, tempore æstivo, quo desinit *Thucydidis* Historia. an. M. 3539. Cum *Thucydide* legendi sunt, *Plutarchi*, & *Cornelii Nepotis*, *Pericles*, *Alcibiades*, *Chabrias*, *Thrasybulus*, *Nicias*. Item *Diodori Siculi* lib. 13us, *Justini* 4, & 5. denique *Orosii* lib. 1. c. 14, 15. ex quibus plenior aliquantò fiet Historia, & locupletior.

SECT. X.

De Xenophonte. Laudes ejus & elogia. quando, & quo ordine legendus. Quadraginta octo annorum Historiam dedit. Quam ex Plutarcho, Justino, Diodoro Siculo amplificare licet.

Claruit ante Chr. 410. Laert. & Suid. in ejus vitâ

THucydideæ Historiæ filum continuat *Xenophon*, *Attica Musa*, & *Apes Attica*, ob melleam dicendi suavitatem, nuncupatus. Cujus etiam voce *Musas* quasi locutas vulgò ferri solitum, testatur *Cicero* in *Oratore*. Luculentum *Xenophontis* elogi-

um

um extat apud *Dionem Chryſoſtomum*, in oratione de dicendi exercitio, ubi mirè ad ejus lectionem adhortatur: atque inter alia ait, vel ejus ſolius lectionem ſufficere poſſe homini politico. Neque inter ejus laudes minima hæc eſt, quam refert *Diogenes Laërtius*, in ejus vitâ circa finem. *Fertur* (inquit) *Xenophon Thucydidis libros eatenus latentes, quam ſubducere poſſet, ipſe primus, in ejus viri gloriam, in lucem dediſſe.* Quo ſuo facto, quantam ſibi ab omnibus, ſive eloquentiæ, ſive Hiſtoriæ *Græcæ* ſtudioſis mereatur gratiam, nemo non intelligit. Hiſce paria, ei recentiores etiam Critici tribuunt elogia. *Xenophon* (inquit *Lipſius*) *in Hiſtoriâ ſuavis quidem & fidus, certè circumſpectus Scriptor: è quo tamen hauriás magis prudentiam civilem, quàm ut ultrò eam propinet.* Et tamen *Chriſto. Colerus. Prudentia certè in libris Xenophontis ante cæteras virtutes palmam obtinet. Elucet eximiè ex Cyri inſtitutione & expeditione illâ in Artaxerxem, in quâ etiam patefecit, quantus ipſe Imperator eſſet.* Regibus itaque & principibus ἔσοπτρον; Imperatoribus, ut *Alexandro Homerus*, ἐφόδιον ſit *Xenophon. Tergemina Xenophontis gloria* (inquit *Voſſius*) *nam de facundiâ viri nihil dicam; fuit & Philoſophus, & Hiſtoricus, & bello dux bonus*, &c. Reverà, Hic à Philoſophiâ profectus, princeps Hiſtorias ſcribere aggreſſus eſt. Elegantes illos de pædiâ ſive Inſtitutione *Cyri* libros miſſos faciemus, quòd ſuperiora ſpectent tempora, (de quibus *Herodotus*) neque ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad Imperii juſti effigiem concinnati dicantur. Ἑλληνικῶν ſive Rerum *Græcarum* ſui temporis Hiſtorias compoſuit, ſeptem libris: quorum Primus & Secundus, immediatè poſt *Thucydidem* legendi: reſiduum enim belli *Peloponneſiaci* complectuntur. Ac ubi deſinit *Thucydides*, indè (quaſi narrationis telam pertexens) orditur *Xenophon*; quæque porrò inter *Athenienſes* ac *Lacedæmonios* geſta fuerint, poſt illam anno 2° Olym. 92. 3550. juxta

In not. ad Pol. l. 1. c. 9.

Epiſt. de ſtud. politico.

Cyri magiſtri Imperator laudatiſſimus Scipio Afr. nunquam è manibus deponere ſolebat.

Floruit max. an. 40. Olym. 94. Laer. A M.

juxta Abydum, *Thrasybuli* de *Mindaro* victoriam navalem, (de quâ suprà dictum) usque ad *Athenas* à *Lysandro* captas, anno 4. Olym. 93. luculenter exponit. Quædam etiam *Medo-Persica* hisce libris interserit: nimirum quomodò *Medi* à *Dario* rege *Persarum* defecissent, séque denuò ejus imperio submiserint: quomodò *Cyrus* minor *Darii* filius, ad patrem valetudine laborantem, in *Asiam* superiorem abierit, datis, in usum belli contra *Athenienses*, *Lysandro* pecuniis. Quomodò denique vivendi finem fecerit *Darius Nothus*, regnique successionem *Artaxerxes Mnemon*, ejus filius natu major, consecutus sit. Extremò demùm libro Secundo, *Triginta Tyranni*, qui per biennium *Athenis* enormiter grassati essent, à *Thrasybulo* sublati sunt. Pax etiam atque ἀμνηστία, sive injuriarum oblivio, inter *Athenienses* jurejurando sancita. Atque ita Bello *Peloponnesiaco* finis impositus: quod bellum *Thucydides* ἀξιολογότατον vocat τῶν προγεγενημένων, & μακρότατον; Ac verè quidem: in annum enim vicesimum septimum, sive etiam octavum, uti ex *Xenophonte* liquet, protractum est. Hæc, inquam, *Xenophon* duobus primis Ἑλληνικῶν libris; quibus absolutis, Ἀναβάσεως septem libros, hoc est de *Cyri Junioris* expeditione, sive de *Ascensu* ejus in *Asiam* superiorem, contra *Artaxerxem Mnemonem* fratrem suum natu majorem, ab eodem *Xenophonte* scriptos interponat Lector. Quibus memoriæ proditum habemus, quo pacto *Cyrus* copias *Græcas* collegerit: & cum iis adversùs fratrem adscenderit: tum quî pugna commissa fuerit, & ipse perierit: indè quâ ratione duces Græcorum (post pugnam) contra fidem datam occisi fuerint. Denique, ut ipse *Xenophon*, *Cyri* in hâc expeditione sequutus signa, post ejus mortem, dux à militibus *Græcis* electus, eos à penitissimâ quidem *Perside*, quotidiè contra *Barbaros*, aut alias difficultates dimicans, in patriam reduxerit; ann. 1°. Olym. 95.

His

His jam expeditis, redeat Lector ad Ἑλληνικῶν libros, quibus rerum cùm Perſicarum, tum Græcarum narrationes luculentæ continuantur, uſque ad pugnam *Mantinenſem*, quâ *Thebani Lacedæmonios* vicerunt, ſub ductu *Epaminondæ*: qui dum non ducis tantùm, verùm etiam fortiſſimi militis officio fungitur, graviter vulneratus, paullo poſt occubuit; & cum eo, vires quoque reip. *Thebanorum* ceciderunt. Anno 2. Olym. 104. ſic ut quadraginta & octo annorum Hiſtoriam, facundam quidem, nec reverà minùs rerum fœcundam, nobis ſuppeditaverit *Grylli* filius. Hanc tamen ampliorem, & locupletiorem efficere poterit Lector, ſi (uti inter legendum *Thucydidem*, *Plutarchi Periclem*, *Niciam*, *Alcibiadem*) ita cum *Xenophonte* adjunxerit *Plutarchi & Nepotis Lyſandrum*, *Ageſilaum*, *Artaxerxem*, *Thraſybulum*, *Chabriam*, *Cononem*, *Datamen*. Namque hi omnes, intra illud temporis intervallum, de quo *Thucydides* & *Xenophon* ſcribunt, floruere: & eorundem temporum Hiſtoriæ, materiam minimè contemnendam ſuffecêre. *Juſtini* quoque 4, 5, & 6, huc advocari poſſunt: etiam 13, 14, 15, libb. *Diodori Siculi*. Quem auctorem proximo in loco diligenter legendum propono.

SECT XI.

Diodori Siculi pulcherrimum elogium. Hiſtoriam ſcripturus, varias regiones peragravit. Xenophonteam continuat Hiſtoriã l. 15. circa finem. Inde Philip. Maced. res geſtas narrat. l. 16. Mox ad Alexand. M. pergit, & Tertiæ Monarchiæ inſtitutionem deſcribit.

Floruit Dio. Siculus temporibus J. Cæſ. & Auguſti. Olym. 183

NAM licèt aliquot annorum centurias antiquitate *Xenophonti* cedat, in hâc noſtrâ tamen Auctorum

Auctorum serie, succedat velim immediatè *Diodorus Siculus*; non unus de multis, sed celeberrimus Scriptor, & cui antiquitatis cognitione, vix habet Græcia quem conferat. Quod quidem judicio Theologi cujusdam nostratis valdè eruditi, abundè confirmari potest, elogio illo quo præsul admodùm Reverendus, & harum, immo omnis generis, literarum peritissimus, super hoc Auctore usus est. *Laudatissimus cumprimis* (inquit) *Auctor, Diod. Siculus, qui summâ fide, labore immenso, curâ & solertiâ singulari, Historicas construxit Bibliothecas (quemadmodum loquitur Justinus Martyr) suas & aliorum, in hoc ipso genere πραγματείας, humanarum actionum buccinam; sed ut ipse illas nominavit, commune quoddam χρηματιστήριον, & ἀκίνδυνον τοῦ συμφέροντος διδασκαλίαν.* Rectè dixit, *immenso labore*, doctissimus Præsul; nempe triginta annos (uti de se fatetur Auctor) huic scribendæ Historiæ impendit, variis, interim, regionibus discendi gratiâ peragratis, periculisque, ut fit, obitis & superatis. Recte & Ipse, *κοινὸν χρηματιστήριον*. Apud hunc enim varias antiquitates, *Ægyptiacas*, *Assyriacas*, *Libycas*, *Persicas*, *Græcas*, aliarumque nationum res gestas ante bellum *Trojanum*, summatim prioribus * quinque libris explicatas habemus; sicuti jam suprà notavimus. Insequentes quinque libri, à quinto videlicet ad undecimum, periêre. Ab initio verò libri undecimi, ad decimum sextum, eorum temporum Historia, de quibus *Thucydides* & *Xenophon* (uti suprà jam dictum est) scripsêre, continetur. Extremò autem decimo quinto, Historiam *Xenophonteam* continuare, & quasi pertexere, haud temerè dici potest. Ipse enim in fine an. 2. Olymp. 104. ita expressè loquitur, *Hoc anno* (inquit) *Xenophon Atheniensis, Græcorum Historiam cum Epaminondæ interitu* concludit. Atque inde pergit *Siceliota*, ad annum 3. ejusdem Olympiadis, quo bellum *Artaxerxis* cum rebellibus *Persis*, & cum *Ægyptio*,

Cicest. Episc. in præf. ad Apparatum.

* *Priores editiones latinæ sex libros numerant; erroris ansam præbuit libri primi divisio in partes duas ab Auctore ipso instituta, unde interpres latinus, & Volaterranus, atq; alii decepti fuerunt, qui sex libros ex illisquinque conficiunt.*

gyptio, perſtringit: ibidem etiam reliqua *Ageſilai* facinora exponit. Nec non utriuſque mortem, *Ageſilai* ſcilicet & *Artaxerxis*, (cui in regno *Perſarum* ſucceſſit *Ochus*) denarrat. A. M. 3588. Libro decimo ſexto, *Philippi Macedonis Amyntæ* filii res geſtas recenſet, ab ingreſſu in regnum, ad vitæ uſque exitum. Eodemque libro, alia, quæ per cognitas terræ partes accidêre, commemorat. Iſtius libri decimi ſexti Hiſtoriam illuſtrare atque amplificare poſſunt, *Corn. Nepotis Chabrias*, *Dion*, *Iphicrates*, *Timotheus*, *Phocion*, & *Timoleon*; horum ducum præſtantiſſimorum geſta, hæc tempora admodùm clara reddidêre: ab Olympiade CVa. ad Olympiadem CXIam, à cujus ann. 2° incipit *Diodori* liber decimus ſeptimus, *Alexandri* Magni egregia narrare facinora, & quomodo is *Monarchiam Tertiam* inſtituerit, docere: Viz. Olym. 112.

SECT. XII.

Alexandri M. res geſtas varii ſcriptores executi ſunt. Arrianus, & Q. Curtius. Eorum elogia. Quo tempore floruerint. Succeſſores Alexandri proſequitur Diodorus. Cui utiles ſuppetias, alii Auctores ferre poſſunt.

MAgni autem illius *Monarchæ* res geſtas, alii tam *Græci* quàm *Latini* uberiùs expoſuerunt. Nimirum *Plutarchus* in *Alexandri* vitâ, nec non duobus aliis libris de *Alexandri* fortunâ peculiariter ſcriptis. Et *Arrianus Nicomedienſis*, ſeptem libris, eleganti ac planè *Xenophonteo* dicendi genere compoſitis. Septem libris dico, quia octavum illum qui vulgò circumfertur, de *Alexandri* expeditione *Indicâ*, ſingularem eſſe librum conſtat ex *Photio*; *Plutarchi elogia vi. infrà, Sect. 17.*

tio; tum ex fine libri ſeptimi; quemadmodum notavit doctiſſimus *Voſſius*. Hi duo Græcè: Latinè verò *Juſtinus* lib. 10, & 11. Q. etiam *Curtius Rufus*, Scriptor valdè bonus & argutus, ſed ἀκέφαλος; vel hominum, vel temporum, vel utrorumque iniquitate factus. *Arrianus* & *Quintus Curtius, floridus uterque* (inquit *Colerus*) *ſed nitidior Curtius, & quovis melle dulcior. Lectorem citùs defatigatum, quàm ſatiatum dimittat. Sententiæ paſſim directæ & obliquæ, quibus mirè illuſtretur vita humana.* Idem de *Curtio J. Lipſii* judicium. *Hiſtoricus* (inquit,) *me judice, probus, legitimuſque, ſi quiſquam fuit. Mira in ſermone ejus felicitas, in narrationibus lepos. Aſtrictus idem & profluens; ſubtilis & clarus; ſine curâ ullâ accuratus. Verus in judiciis, argutus in ſententiis, in orationibus ſuprà quàm dixerim facundus. Acidalius.* Q. Curtius rerum Alexandri M. Latinus ſuper omnes Græcos diligens, verus, candidus & prorſus integerrimus ſcriptor, ſi integrum haberemus. Sub *Veſpaſiano* floruiſſe *Curtium*, & Hiſtoriam ſuam edidiſſe, prolixâ diſputatione probabiliter oſtendit doctiſſimus *Voſſius*. Neque ſuo privandus eſt elogio *Arrianus*; qui inter Hiſtoricos *Græcos* tantæ in ſcribendo integritatis eſſe perhibetur, ut φιλαληθὴς veritatis conſectator, ſtudioſuſque cognominatus ſit, atque ita etiamnum honeſtetur in libris *Cælii Rhodogini*. Fuit autem Philoſophus ex *Nicomediâ* oriundus, atque *Adriano*, ac *Antonino* imperantibus, *Romæ* clarus, novus *Xenophon* cognomento indigitatus; uti teſtatur *Cattaneus* in Commentariis ad *Plinii* Epiſtolas. Hi, inquam, de Magno *Alexandro* fuſiùs ſcripſerunt. Ejus ſucceſſorum Hiſtoriam proſequitur idem *Diodorus Siculus*, libris, 18, 19 & 20; ab Olympiadis CXIV anno ſecundo, ad finem Olympiadis CXIX. A. M. 3650. Cujus intervalli Hiſtoriam pleniorem adhuc reddere poterit Lector, ſi admittere placeat *Juſtini* libros 13, 14, & 15; *Plutarchi Demetrium*, atque

Lib. 2. de Hiſt. Gr. c. 11.

Epiſt. de ſtudio politico.

In not. ad 1. lib. Polit. c. 9

Præf. ad l. 4.

Claruit circa an. Ch. 80. (quantùm licet conjicere.)

Lib. de Hi. Lat. 1. c. 28.

Claruit Arrianus poſt Chr. 145. (pr. ipſius, & Suid.)

Lib. 1. c. ultimo.

Lib 1. ep. 2.

atque *Eumenem*. Et quia *Siceliotæ* noſtri poſteriores viginti libri, quibus Hiſtoriam univerſalem uſque ad expeditionem *Julii Cæſaris* in *Britanniam* (h. e. uſque ad Olympiadem CLXXXam) continuaſſet, periêre; Velim ut hiſtoriæ ſtudioſus, *Juſtinum* adhuc non dimittat, ſed reliquos ejus percurrat libros, uſque ad viceſimum nonum; quibus ſubjungat *Plutarchi Pyrrhum, Aratum, Agidem, Cleomenem* & *Philopœmena*. Nec non Eclogas illas, ſive *Excerpta* ex *Diodori lib. ſex*, qui viceſimum ſequuntur, & in editione *Laurentii Rhodomanni* extant. In illis haud pauca de *Agathocle Siciliæ* Tyranno; de rebus in *Siciliâ* geſtis; de *Pyrrho* ibidem belligerante; de primo bello *Punico*, notatu non indigna reperiet. Neque multum puto à rectâ methodo legendi Hiſtorias deviabit, ſi à *Juſtino* nequicquam nunc recedat, donec libros reliquos, uſque ad penultimum, abſolverit.

SECT. XIII.

Polybius ubi legendus. Quorum temporum hiſtoriam ſcripſerit. Quomodo animum ad ſcribendum appulerit. Quantus vir fuerit. Quibus elogiis celebratus. Ejus Hiſtoriæ pars maxima periit, aut in fragmenta diſſipatur. Librorum ſuperſtitum contenta.

SIN autem; poſt *Diodorum Siculum*, *Polybius* legendus accedat: prudens Scriptor ſi quis alius. Eorum temporum res geſtas literis conſignandas ſibi proponit, quibus & incepiſſe, & conſummata fuiſſe, traduntur Romani Imperii incrementa. Quod ut feliciùs ac certiùs effectum daret, itinera quoque longinqua, & pericula haud mediocria ſuſcepit; *Floruit Polybius ante Chr. 220. Olymp. 140 Suid.*

ſuſcepit; in peragrandis Africâ, Hiſpaniis, Galliis, ipſiſque Alpibus; indè Hiſtoriam ſuam compoſuit univerſalem, annorum quinquaginta trium. Qualis autem, quantuſque vir fuerit, ex eo promptum eſt conjicere, quòd tot ſtatuas ei erexerint Græci: ad *Palantium*, *Mantineam*, *Tegeam*, *Megalopolim*, & alias *Arcadiæ* urbes. Quarum inſcriptiones (inquit *Pauſanias*) teſtabantur; Alia, *vagatum eum fuiſſe per terras & maria omnia*; *amicum & ſocium Romanorum fuiſſe, quos etiam iratos Græcis placavit.* Alia, *Græciam nihil ab initio offenſuram fuiſſe, ſi Polybii conſiliis paruiſſet: jam verò graviter affectæ, unum illum præſidio fuiſſe.* Quid quod ipſe *Pauſanias* teſtetur, tantum eum fuiſſe politicum, ut quæcunque monitu ejus geſſerit Romanus Impe. omnia benè ei eveniſſe: in quibus verò minùs ſe ejus viri dicto audientem præbuit, in iis offendiſſe. Tantum etiam, ut civitates planè omnes, quæ ſe *Achæis* contribuiſſent, eum Rerum ſuarum publicarum Auctorem, legumque latorem habuerint. Hinc non dubitamus, quin meritiſſimò à doctis viris ampliſſima elogia Hiſtoriæ ejus ſint tributa. Exempli gratiâ; *à Joh. Bodino. Polybius non modò æqualis ubique, & ſui ſimilis; ſed etiam intelligens, gravis, in laudibus parcus, in reprehenſionibus acerbus, ac veluti prudens legiſlator, & bonus Imperator. Multa de re militari urbanâque diſciplinâ, multa de Hiſtorici officio diſputat.* Neque differt ab hiſce *Juſtus Lipſius*, diffuſior in ejus laude. *Polybius, judicio & prudentiâ Thucydidi haud diſpar, curâ & ſtylo ſolutior; qui excedit, abrumpit, diffundit, & ſæpè non tam narrat, quàm ex profeſſo docet. Sed recta & ſalutaria ubique ejus monita, & quem ego, hoc magis Principibus commendatum velim, quòd anxiâ in eum inquiſitione non opus; ſed ſenſus ſuos aperit, & revelat ipſe*; &c. Verum *Polybii* excellentiam, & in quantum aliis præſtet Hiſtoricis, luculenter demonſtravit eruditiſſimus *Caſaubonus*, in Præfatione ſuâ ad *Polybium.*

Pauſan. in Arca.

Lib. 8.

Methodi, c. 4.

Inter not. ad 1. lib. Polit. c. 9

Polybium. Scripsit libros quadraginta, quorum sos quinque priores, suâ integritate conspicuos, habemus: reliquorum fragmenta tantùm & excerpta quædam, multo labore, & singulari industriâ dicti *Clarissimi Casauboni*, in unum collecta, & quatenus licuit, suo nitori restituta. Primis duobus libris quos Apparatûs, sive præparationis libellos nuncupat, Reip. *Romanæ* tempora strictìm attingit; à captâ *Româ* per *Gallos*, duce *Brenno*, ad primum extra *Italiam* cum classe transitum: & paulò uberiùs, à primâ trajectione in *Siciliam*, quando bellum *Punicum* primò est conflatum, ad *Punici* Secundi annum primum. Quas ille res cum *Græcanicis*, aliorumque populorum, ratione temporum congruentibus, in illâ duorum librorum præparatione comparat. In quibus (verba sunt ipsius doctissimi *Casauboni*) *multa studiosi invenient, nusquam alibi tam benè descripta: Quædam omninò apud alium nullum, neque Græcum, neque Latinum invenienda.* Tres qui deindè sequuntur, propter subjecti magnitudinem, varietatem ingentem, accuratam ejus tractationem, doctrinæ denique, quà civilis, quà bellicæ, uberrimam copiam, ut magni duces, ac viri politici, eos diligentissimè frequentissiméque versent, meritò merentur. Reliqui libri (quorum frusta quædam & fragmenta supersunt) pari accuratione compositi, Historiam continuabant ad finem belli *Macedonici Secundi* cum *Perseo*, & ad ultimam regni *Macedonici* eversionem. Ita ut jam constet Historiarum studiosis, me in hâc lectionis Historicæ dispositione atque ordine, viam eoúsque monstrasse, quò digitum intenderat (ille quem suprà nominavi, nescio quis) *Æmilius Sura.* Nempe ad illud ævi, quo populi Romani magnitudo in tantum creverat, ut penes eos summum totius ferè orbis Imperium fuisse, non immeritò dicere possimus. Id autem eo anno adimpletum autumamus quo *Macedonia* in provinciam redacta est, uti

Olym. 98 *V. C.* 365
Olymp. 128. *V. C.* 489. *Olym.* 140 *V. C.* 534 *A. M.* 3731.

ſuprà probavimus. Nimirum, An. ab V. C. 587. A. M. 3784.

SECT. XIV.

De quartâ Monarchiâ Romanorum. Ad ejus Hiſtoriam tranſitio. Utriuſque laudes. Hiſtoricorum Romanorum fata deplorantur.

QUapropter, quum inter eminentia illa quatuor, & *Summa* Mundi *Imperia*, de quibus loquuti ſumus, *Romanorum* iſtud maximè eminuiſſe conſtet: quumque eorum reſpub. (uti prudenter obſervat, ex *Polybio*, eruditiſſimus *Caſaubonus*) ſi qua unquam alia, omnes temporum diverſitates, ſecundùm naturæ communis leges, ſit experta; noſtro Hiſtoriarum Lectori plurimùm expediet, retrò hìc tempora aliquantùm ſpectare, & ipſa *Romanorum* primordia (quæ durante adhuc primâ *Monarchiâ* contigerunt) repetere, atque indè ad incrementa deſcendere; poſteà, ipſorum ad interitum inclinationem contemplari: recto temporum atque Auctorum ordine diligenter obſervato, atque ita demum, ad exitum hujus intervalli perveniet, quod nobis tertio loco definivit ex Varrone *Cenſorinus*. Et reverà, ut Lector noſter Hiſtoriarum ſtudioſus magis prompto, attentoque magis animo, huc ſeſe applicet, *Juſt. Lipſium*, virum inter philologos haud immeritò magnum, & de Hiſtoriâ *Romanâ* optime meritum, ſeriò invitantem audiat. *In Romanâ* (inquit) *Hiſtoriâ, ubertim rerum & eventuum, eorumque inſignium; & quæ plures Scriptores illuſtrarunt. O magnum, O pulchrum imperium! & addo diuturnum. Ideòque non mirum, ſi viris factiſque brevia illa & fugacia Græcorum ſuperavit.* Græci præceptis

Cent. 3. miſc. ep. 61.

præceptis valent, (*ait quispiam*) Romani exemplis. *Et herculès ita est: non fuit gens, puto non erit, quæ plura, vel in militiâ vel in pace, laudis & virtutis suppeditabit. Itaque ad hanc (mi adolescens) ad hanc segetem veni, manipulos frugum collige, & in usum tuum reconde.* Et meritò quidem (*Fuste Lipsi!*) Nam quod olim *T. Livius*, *Aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam Respub. nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* *Et* M. T. Cicero; *quæ tanta gravitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides? quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?* Firmat omnia *Val. Maximus.* *Nostra urbs omni genere mirificorum exemplorum, totum Orbem terrarum replevit.* Atque hinc sanè *Romanorum* Historicorum fata lugendi, justa nimis emergit occasio. Nam ut parentes leviùs ferunt, non natos sibi liberos, quàm postèa denatos: sic nobis fortasse, si de principum illorum Historicorum scriptis nunquam audissemus, dolor nullus advenisset. Nunc cùm fragmenta intuemur, & titulos pulcherrimorum operum videre contingit, angimur desiderio, & torquemur animitùs; quòd magna pars eorum penitùs interierit; quòd reliqua, aut vetustate corrupta, aut temporum invidiâ fœdè mutilata, aut sciolorum manibus interpolata, pessimèque tractata fuerint: id quod neminem antiquitatis indagatorem fugere queat. *Trogus*, optimus Auctor, & quem diserti ssimis viris in *Probo* annumerat *Vopiscus*, desideratur totus, nisi quod ejus operis *Epitomam* habemus satis elegantem; ex quâ tamen, de integro *Trogi* opere judicare, desipere esse affirmat doctissimus *Bongarsius*. *Salustii* optima periit Historia. De *T. Livio* minimum supereſt. Non multum de *Tacito*. Dimidiatus extat *Ammianus*. Eandem passi sunt temporum injuriam, *Græci* rerum *Romanarum* Scriptores; (quemadmodum suprà quoque notavimus,) *Polybi-*

Livius in prooem. libri.

Cic. Tusculan. qu. l. 1.

Lib. 2. c. 7. 5.

In Annot ad Justin.

us, Diodorus, Dionyſius, Dion Caſſius : qui ſi extarent integri, perfectam haberemus Rerum *Romanarum* memoriam, ab U. C. ad annum paullò minùs milleſimum. Sed contenti ſimus hoc *Catone*; divinâ factum providentiâ eſt, ut ex iis quæ adhuc ſuperſunt reliquiis, Hiſtoriæ Romanæ corpus concinnari poſſit venuſtum ſatis; cujus imaginem, ab Auctore noſtro *L. Annæo Floro*, brevi quâdam tabellâ graphicè depictam, reperietis.

SECT. XV.

Romanæ Hiſtoriæ curſus unde auſpicandus. L. Annæus Florus commendatur. Doctorum de eo judicia. Non eſt idem cum Livii Epitomaſte. Ejus hallucinationes excuſantur. Ejus ſcribendi Methodus. Unde errores veroſimiliter irrepſerint. Sigonii & Onuphrii Faſti Conſulares, item Pighii Annales, laudantur.

Floruit L. Flor. ann Chr. 201. ab V. C. 953

HAnc igitur tabellam, *Hiſtoriæ Romanæ* ſtudioſum, oculis atque animo intentis perluſtrare, intueri, contemplari, primo loco hortantur viri doctiſſimi, & rei Hiſtoricæ peritiſſimi. Nec immeritò; cùm ſit rerum *Romanarum* Compendium (ſi quid in *Juſto Lipſio* ſit judicii) compoſitè, diſertè, eleganter Scriptum. Neque ibi ſiſtit ejus cenſura: addit porrò: *ſubtilitas quidem & brevitas ſæpè mira; & ſententiarum quædam gemmulæ, cum judicio inſertæ, & veritate.* Nec divertit ab hac cenſurâ, quem ſupra ſæpius advocavi, *Chriſtoph. Coleſtud. politico.* *rus*, J. Ctus, vir inſigniter doctus. Ejus verba ſunt. *Nihilo me herculè injucundiùs terſiſſimum illum libellum legas, quàm Apellis tabulas intueare. Ita compoſitus,*

Elect. l. 2 c. 5.

Epiſt. de

positus, ita elegans est! Miror judicium, quod ubique cum subtilitate & brevitate sententiarum, in tanto rerum acervo & varietate, instirit. Horum utrique præivit jam olim Auctorum censor prædoctus *L. Vives, in libro de tradendis disciplinis*, ubi palàm affirmat, eo opusculo nihil posse fingi, in suo genere vel acutius, vel lepidius. In eo tamen frustrà esse, tum ipse *Vives*, tum alii viri docti putantur, qui *Florum* hunc nostrum eundem esse censent, cum *T. Livii* Epitomaste, qui singulorum ferè *Livii* librorum argumenta reliquit: multò magis illi, qui *Florum* nostrum *Livianæ* Historiæ Epitomen, hoc suo compendio dare voluisse opinantur: siquidem nec *Livianam* observat Methodum; & à *T. Livio* sæpè discedit. Atqui, ut huic *Floro* detrahant nonnulli, latæ eum culpæ reum esse objiciunt, tempora confundendo; id quod priùs gestum est, posteriùs commemorando; *Imperatorum* nomina & munia, frequenter aut perturbando, aut permiscendo: sic ut non possit non sæpiùs hallucinari, qui hunc ducem sequi velit. Haud ibo inficias, hujusmodi errores apud hunc Auctorem nonnunquam reperiri: nec dicam utrùm per incogitantiam, an per negligentiam, an denique per insciti am admissi fuerint. In quibusdam tamen excusari eum posse, mea fert opinio. Nam quòd temporum confusionem objiciunt, sciant, quòd narrationes suas per capita & species instituat, potiùs quàm per tempora: homogenea ab heterogeneis, & contrà, segregans: bella à conjurationibus: civiles discordias à militaribus expeditionibus distinctè exponens. Utcunque, quod de *Paulo Diacono* magnus quidam *Philologus*, id ego de *L. Annæo Floro* lubens usurpaverim; Nemo Chronologorum tam fatuus fuerit, ut exactam Fastorum seriem à *L. Floro* petat, ceu calculatore jurato. Deindè, quod nominum & munierum perturbationem attinet; ejusmodi sphalmata, quis nescit librariorum incuriâ nonnunquam,

Lib. 5. p. 356.

nonnunquam veterum notarum imperitiâ, irrepere ſolita? præſertim in nominibus Imperatorum, ac magiſtratuum Rom. Nec non in annorum numeris tranſcribendis. Nec me latet, quid *Andræas Schottus*, vir impensè doctus, alicubi conqueſtus eſt: *Nominum affinitæ*, (inquit) *vocumque cognatio, diti non poteſt quantas in Hiſtoriâ Romanæ Reipub. familiiſque ipſius dijudicandis, tenebras ſemper offuderit; & quantum bodieque faceſſat hominibus Antiquitatis ſtudioſis, veterum Scriptorum interpretibus.* Itaque duces hac ex parte longè certiores ſibi adſciſcere Lector noſter, ſi velit, poteſt, (& ut velit ſuadeo) *Caroli Sigonii*, vel *Onuphrii Faſtos Conſulares & Triumphos:* nam in iis Hiſtoriam *Romanam*, breviter & ordine adumbratam reperiet. Vel etiam *Stephani Vinandi Pighii Annales Magiſtratuum*, & *Provinciarum S. P. Q. R.* Extra quos nullum aptiorem commentarium, non ad *Florum* noſtrum modò, ſed ad ipſum *T. Livium* etiam, ad *Dionyſ Halicarnaſſeum*, *Dionem*, omneſque adeò *Romanarum* rerum Scriptores, nec ſperari, nec optari quidem poſſe, affirmat eruditiſſimus ille Jeſuita *Schottus*, modò nominatus. Denique, quum in pulcherrimo alicujus puellæ corpore, ob cæteras eximiæ formæ dotes, ſi quid fortè nævi occurrat inſpectanti, facilè condonetur; cur non pauculos quotidam errores, in tam concinno alioquin utiliſque opere, non promptè Auctori ignoſcamus?

Obſerv. Hiſt. l. 3. c. 34.

Claruit Sigonius ann. Chr. 1583.

Onuphrius an. 1580.

Pighius 1595.

SECT. XVI.

In lectione Romanæ Hiſtoriæ, quo ordine pergendum. Dionyſius Halicarnaſſ. laudatur. Hiſtoria ejus, quot annorum ſeriem contineat. Cur ei principem locum tribu-

tribuamus, ratio redditur, & ex J. Bodino confirmatur.

POst imaginem verò & umbram attentiùs inſpectam, corpus ipſum *Romanæ* Hiſtoriæ, per ſuas partes, luſtrare & explorare pergat: quod hoc Auctorum ordine, ſi me audiat, faciet. *Dionyſius Halicarnaſſeus*, omnium confeſſione, Scriptor graviſſimus, & in *Romanis* Antiquitatibus perveſtigandis, deſcribendiſque accuratiſſimus perhibetur. Eum igitur agmen ducere volo. Quippe, ut liquidò liqueret undè genus ſuum hauſerint *Romani*, ea primùm quæ de *Aboriginum* populo, & priſcis *Italiæ* gentibus, non ex fabulis tantùm & vulgi rumoribus inaudiverat, ſed ex libris etiam *Portii Catonis, Fabii Max. Valerii Antiatis*, aliorumque plurium didicerat, refert: mox pertexit Hiſtoriam viginti libris, uſque ad primum bellum *Punicum*; quod cœpit anno 3° vel 4° Olym. 128. anno U.C. 488. Verùm ex iſtis viginti libris, quos teſte *Photio* reliquit, undecim tantùm ad nos pervenerunt, in quibus annorum tercentum & duodecim Hiſtoriam, multâ fide & curâ deſcriptam, habemus. Nec temerè primus huic *Dionyſio* tribuitur locus, in hac noſtrâ Auctorum catenâ; facem enim lucidiſſimam prælucebit philiſtorico noſtro, ſine quâ fieri non poteſt, quin frequenter hæreat, cæcutiatque, & in nocte denſiſſimâ ambulet, dum *Latinas* tantùm verſat Hiſtorias. Vultis rationem? multiplicem nobis ſuppeditabit *Johannes Bodinus, Methodi Cap.* 4. ubi de hoc Auctore ſententiam ſuam profert hiſce verbis. *Dionyſius Halicarnaſſeus, præter moderatum dicendi genus, & Atticam puritatem, Antiquitates Romanas ab ipſius Urbis origine, tantâ diligentiâ conſcripſit, ut Græcos omnes & Latinos ſuperaſſe videatur. Nam quæ Latini quaſi pervulgata neglexerunt, putà Sacrificia, ludos, triumphos, Magiſtratu-*

Floruit an. Chri. an. 26. ab V.C. 725

um insignia, tum universam Romanorum in gubernandâ Rep. disciplinam, censum, auspicia, Comitia, totiusque populi difficilem in classes ac tribus partitionem; postremò Senatûs auctoritatem, jussa plebis, magistratuum imperia, populi potestatem, unus omnium accuratissimè tradidisse mihi videtur. Quæ ut planiùs intelligerentur, Græcorum leges ac ritus, cum Romanis institutis comparat, ut cùm jura Clientelarum, quæ Romulus instituit (quanquam ea quoque Gallorum communia fuisse tradit Cæsar) ab Athenienſibus & Theſſalis altiùs repetit. Ac Romanorum Dictatorem parem potestatem habuisse, atque Harmosten Lacedæmoniorum; Archum Theſſalorum; Æsymneten Mytelenæorum. Leges autem Romuli, Numæ, Servii, unà cum antiquâ Romanorum origine, sine hoc Auctore penitùs interiissent; quæ Latini, quasi pervulgata, negligenter omiserunt. Atque id ferè omnibus Historicis contigisse videmus, ut quæ vulgò cognita sunt, Reipub. instituta prætermittant; quasi exteris æquè ac civibus nota, vel etiam immutabilia fore judicarent. Hactenus *Bodinus*. Quantus autem vir fuerit *Dionysius Halicar*, si quis scire porrò desideret, quantæque sint ejus Historiæ utilitates; legat operas varias *Henrici Stephani*, Historiæ *Halicar.* adjectas. Vixit sub *Augusto Cæsare*; ita ipse in Præfat. *Varroni* domesticum fuisse & familiarem, & ex ejus fontibus optima quæque hausisse, vult *Johannes Bodinus. lib. 3. de Rep. c. 3.*

SECT. XVII.

T. Livius abundè, nec immeritò, laudatur. Quo tempore vixerit. Quot libros scripserit. Eorum divisio unde. Quo ordine legendi. Quomodo eorum Historia vel ampli-

amplificanda, vel in defectu ſupplenda. Plutarchi laudes & Elogia.

POST hunc *Dionyſium*, ſequatur Latinæ princeps Hiſtoriæ, *T. Livius*: Eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis: (id ei eulogium tribuitur apud *Tacitum* à *Cremutio Cordo*) quod prolixiùs confirmat *Quintilianus*, ubi eum cum *Herodoto* componit. *Non indignetur* (inquit) *ſibi Herodotus æquari T. Livium, cùm in narrando miræ jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus ſuprà quàm enarrari poteſt eloquentem, ita dicuntur omnia, cùm in rebus, tum perſonis accommodata. Sed affectus quidem, præcipuè eos qui ſunt dulciores* (*ut parciſſimè dicam*) *nemo Hiſtoricorum commendavit magis, ideóque immortalem illam Saluſtii velocitatem, diverſis virtutibus conſecutus eſt.* Neque his inferius (licèt recentius) eſt *Caſauboni* viri clarlſſimi atque eruditiſſimi de eo teſtimonium: *magnus* (*Deus bone!*) *Auctor T. Livius; lacteâ quâdam ubertate dictionis divinitùs facundus, amans virtutum, oſor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum ſagi* (*etſi non eo uſu, neque experientiâ, egregiè tamen*) *peritus: denique, ſi quid judico, hoc ſolum ingenium* (*de Hiſtoricis* loquor) *Pop. Romanus par imperio ſuo habuit.* Solidæ ſunt hæ laudes, & ſatis prolixæ, quibus ornatur *T. Livius*; neque tamen mihi poſſum temperare, quin huc etiam adſcribam *Johannis Alarienſis Epiſcopi* de eo cenſuram; quam adeò miratur *Lud. Vives.* Et reverà ſpero me quoque ſic facturum rem ſtudioſis utilem juxtà & gratam: ſiquidem virtutes oſtendet, quas in Hiſtoriâ ſequamur, & quæ fugiamus vitia: ſive hæc ille in *T. Livio* obſervarit, ſive in ratione Hiſtoriæ componendæ, ſive in collatione amborum. *Non illum* (inquit) *varietas confuſum, non ſimplicitas Hiſtoriæ faſtidientem reddit. In tenui, quod perſæpe accidit,*

Clarnit an. 12. à Chr.

Annal. 4

Lib. 10. c. 1.

In præf. ad Poly.

De ratio. dicen. l. 3 p. 194. 1. de Hiſto.

accidit, atque humili rerum materiâ, non eſt exanguis, aridus & jejunus: in copiâ verò ac magnitudine, non turgeſcens ac vaſtus; plenus citra tumorem; æquabilis ac lenis citra mollitiem, nec luxuriosè effluens, nec nimiâ ſterilitate tabeſcens. In aſperis rebus non ſalebroſus, neque languens; in mollibus, non violentâ & coactâ oratione ſubſultans; non ita tamen copioſus, ut nimius; neque ita ſuavis, ut laſcivus; nec adeò levis, ut remiſſus: non ſic triſtis, ut horridus; neque ita ſimplex, ut nudus; aut adeò comptus, ut affectatâ compoſitione calamiſtris videatur inuſtus: par verbis materia, par ſententia rebus. In re geſtâ exprimendâ, gravis atque magnificus, & tamen ſuccinctus ac proprius. In narratione naturalis, & ſemper ſpectatus, ordinem minimè confundens, & rerum eventa non præcurrens: minimè in gratiam adulator, aut reprehendendo parcus in veniam, non amarulentus in noxam. Ipſi quoque Senatui, ordini illi orbis terræ moderatori venerando, Populoque Rom. terrarum principi, ſi vel temeritate præcipites, vel errore Lapſi, vel quâcunque forent ratione ſupra modum juſtumque evecti, nequaquam parcens: Res etiam adverſariorum debitâ commendatione non defraudans, ut modò narrator tantùm, modò cenſor eſſe videatur: atque ita ſeverus, & tetricus, ut ne Cenſoribus quidem graviſſimis, quibus nihil Romæ ſanctius fuit, ubi facto uſus fuerit, unquam ignoverit. At verò in concionibus, ante omnia verborum parcus, ſententiarum dives; multò eſt verbis, quàm ſenſu reſtrictior, atque conciſior, in quâ parte non cæteros Scriptores tantùm, ſed ſeipſum quoque longè antecellit. Hæc ille de *Livio* inquit *Lud. Vives*, atque adeò de Hiſtorico optimo. Sub *Auguſto* ſuam edidit Hiſtoriam; quarto *Tiberii* anno mortem obiit. Libros ſcripſit centum & quadraginta, (quos in *Decades*, non ipſe, ſed faſtidioſa legentium ſcindit ignavia; *Petrarchæ* opinione.) Verùm ex his triginta quinque ſoli ſuperſunt. Quorum tres quidem priores,

Variarum. Ep. 22.

ores, multa habent cum *Dionyſio* communia, tantâ tamen ſermonis ſuavitate atque elegantiâ deſcripta, ut repititionis Lectorem pigere nequaquam poſſit. Reliquis Septem libris primæ decadis, Hiſtoriam continuat Auctor, ad Annum U. C. 461. Jam verò, priuſquam ulteriùs progrediatur Lector noſter, quamvis locupletiſſimam fortaſſis primorum temporum *Romanorum* ex *Dionyſio Halicarnaſſeo*, & ex prædictis *T. Livii* libris, Hiſtoriam nactus jam fuerit; hoc in loco tamen haud inutiliter legi poſſunt, *Plutarchi Romulus*; *Numa Pompilius*; *Valer. Poplicola*; *Coriolanus*, & *Camillus*. Haud inutiliter dixi? ecquid ejus Auctoris ſine magno emolumento, & operæ pretio legi poteſt? præſertim ſi lector ſeriùs accedat, perſpicax & judicandi peritus? Theſauros ſapientiæ, doctrinæ, Hiſtoriæ, in *Plutarcho* reperire eſt. Immo ſunt qui ejus monumenta (*Parallela* dico majora, & *Moralia*) omnium veterum Hiſtoriæ Scriptorum, omnium denique qui præclarè, rectè, ac ſapienter aliquid aut fecerunt, aut dixerunt, (ſeu Græcos, ſeu Latinos putemus;) *Bibliothecas* eſſe affirmarunt. Ut non immeritò *Theodorus Gaza*, interrogatus aliquando, quemnam Auctorem ſibi reliquum fieri vellet, ſi cæteris omnibus carendum eſſet; Unum *Plutarchum* reſponderit. Hac propter, eum toties Hiſtoriarum ſtudioſis, ſuprà & deinceps, commendamus; atque per partes legendum, ſed ſuo quaſque tempore præcipimus. Per partes (inquam,) quia (uti *J. Lipſius*) *non Hiſtoriam propriè, ſed particulas Hiſtoriæ ſcripſit, & ablegit, illuſtrium virorum vitas*: Et tamen inibi (ſi *Coleri* judicio ſtemus) *omnibus numeris leges Hiſtoriæ abſolvit, magis quàm Suetonius, aut alius talis.* Utcunque dignus herculè, ſi quis alius (opinione *Lipſii*) *principe Scriptor, qui judicium mirificè format, & diffusâ ac planâ quâdam ſcribendi viâ ad virtutem ubique & prudentiam ducit.*

In not. ad polit. li. 1. c. 9.

Epiſt. de ſtud. pol.

Loc. cit.

SECT.

SECT. XVIII.

T. Livii Decas Secunda, h.e. à libro 10. ad 21. tota interiit. Quomodo, & undè ea Hiſtoria ſuppleri poſſit. Appianus Alexandrinus. De eo quid cenſeant viri doctiſſimi.

SED ut pergamus quo eundum erat; in *T. Livio*, à libro ejus decimo, ad viceſimum primum, tota Decas ſecunda deſideratur. Hiſtoria ſcilicet annorum ſeptuaginta, ab anno videlicet U. C. 461. ad annum U. C. 531. intra quod temporis intervallum, (præter alia notatu apprimè digna) incidiſſe dicuntur, Bellum *Tarentinum* cum *Pyrrho Epirota*; Bellum *Punicum* Primum; Bellum *Liguſticum*, *Illyricum*, & *Gallicum*. Huic igitur defectui ſupplendo, inſerviunt *Epitomaſtis* illius (Auctoris noſtri cognominis) argumenta. Ad conſummandam verò iſtorum temporum Hiſtoriam, adſciſcendus eſt *Plutarchi Pyrrhus*, nec non *Juſtini* liber decimus ſeptimus, inde decimus octavus. Denique viceſimus ſecundus, & viceſimus tertius. Hiſce adjungenda quatuordecim capita libri quarti *Oroſii*. Et quatuor prima capita Libri tertii *Hiſtoriæ Miſcellæ Diaconi*. Præcipuè verò *Polybii* lib. 1us, & 2us. Ubi de bello *Punico* primo, licèt plenam non habeamus Hiſtoriam, plura tamen quàm apud omnes *Latinos* qui extant, inveniemus. Idem de bellis quæ *Romani* geſſerunt cum *Gallis* in *Italiâ* degentibus, cenſendum. Hùc etiam poſſunt advocari, *Fabius Maximus Plutarchi*, & *M. Marcellus*; qui fortiter inprimis & fœliciter contra *Ligures* & *Gallos Ciſalpinos* pugnavêre: ſicuti poſteà fecerunt bello *Punico Secundo* adversùs *Carthaginenſes*. Siquidem

Floruit Oroſius poſt Chr. ann. 415. Diacon. 787.

quidem ille, primus *Annibalem* morâ fregit; hic eum posse vinci, primus docuit; uti scribit Auctor de *Viris Illust.* Postremò, *Johannes Zonaras*, qui res *Romanas* ab urbe conditâ, ad *Constantinum magnum* breviter perstrinxit, tomo Secundo *Annalium*, potest fortassis adminiculi huc aliquid conferre, ad lacunam illam in Historiâ *Livianâ* explendam: nonnihil etiam *Appianus Alexandrinus*, in *Punicis* & *Illyricis*, Scriptor ex censurâ *Photii*, quoad ejus fieri potuit, veritatis amans. Militaris disciplinæ (si quis alius) enarrator: sed unus est ex omnibus Historicis, qui Romanorum provincias, opes, exercitus, totiusque Imperii descriptionem ad intuendum, velut in subjectâ tabulâ, proponit; uti observavit *Johannes Bodinus*. In eorum tamen antiquitate sæpissimè offendit, inquit idem *Bodinus*. Et *Josephus Scaliger*, in *Animadversionibus Eusebianis*, eum in Historiâ vel *admodùm infantem fuisse* autumat, vel *multa ejus Syriacis esse adsuta*. Quin & doctissimus *Vossius*, eum *Polybio* multum debere, ac *Plutarchum* ad verbum exscribere solitum, affirmat. Reverà *Franc. Balduinus* aliquot *Plutarchi* in *Crasso* paginas, de bello *Parthico*, in libris quoque *Appiani* repetitas legi fatetur. Verùm id esse factum suspicatur, non ab ipso *Appiano*, qui *Plutarcho* fuit æqualis; sed à librariis, ut supplerent aliquam in *Appiani* commentariis lacunam.

Cap. 43.

Biblioth. cod. 57. *Clarnit App. an. Chr.* 123.

Methodi Lib. 2. *c.* 4

Balduin. l. 1. *de In. Hist. p.* 87

SECT. XIX.

Ad reliquos viginti quinque libros T. Livii ubi pergendum. Eorum Historiam quinam alii Auctores confirmare, aut illustrare possint. Decades novem posteriores cum dimidiâ prorsùs desiderantur. Unde resarcienda earum jactura. Salustii Histo-

Hiſtoria laudatur. Item Cæſaris Commentarii; ab eruditis priſci ævi, juxtà & modernis.

HIſce utcunque ſubſidiis auctus Lector noſter, Hiſtoriæ ſtudioſus, ad librum XXI. *T. Livii* procedat, (h. e. ad *Decadem Tertiam.*) Indè continenter pergat omnes reliquos, quotquot ſuperſunt, diligenter ordine percurrere; (duas videlicet *Decades*, & dimidiatam) in quibus, Hiſtoriam minimè interciſam, annorum quinquaginta & ſex, videre poteſt, uſque ad annum **U. C.** 587; ſed & unà cum iſtis *T. Livii* viginti quinque libris, (totidem enim, poſt primam *Decadem* commune naufragium evaſerunt,) præter illos *Plutarchi* ſuprà nominatos, *Fabium* & *Marcellum*; conjungat *Hannibalem*, *Scipionem Africanum*, *T. Quinctium Flaminium*, *Paulum Æmylium*, *Catonem Majorem*, ſive *Cenſorium* vocatum. Horum enim quilibet intra ſpatium prædictum floruit, eorumque ſingulares Hiſtorias, & unà rerum *Romanarum* ſucceſſus, *Plutarchus* literis aliquantò fuſiùs, nec minùs luculenter conſignavit. A libro 45° *T. Livii*, novem *Decades* cum dimidiâ, (quatuordecim enim ſcripſerat) h. e. nonaginta & quinque libri, communi (inquam) illo, & deplorando naufragio periêre: Hiſtoria nimirum annorum 157, uſque ad mortem *Druſi Neronis*, *Auguſti Cæſaris* privigni, qui bellum *Germanicum* ultra *Rhenum* adminiſtrans, fato eſt functus. **A. U. C.** 744. Horum librorum periochæ, ab *Epitomatore* ſuprà nominato collectæ, extant: quibus amplificandis, poſt *Majorem Catonem Plutarchi*, ſequantur legendi duo *Gracchi*, *Marius*, *Sylla*, *Cato Minor* ſive *Uticenſis*, *Sertorius*, *Lucullus*, *Pompeius M. M. Craſſus*, *Cicero*, *Antonius*, & *M. Brutus*, ſuo quiſque tempore. Hos inter, *Saluſtii* Bellum *Jugurthinum* ponat Lector. *Catilinarium* adjungat,

&

& *Cæſaris* Commentarios. Quos Auctores etiam, inter principes Hiſtoricos numeravit Antiquitas. *Saluſtium, Quintilianus Thucydidi* opponere non veretur. *Tacitus* eum Rerum *Romanarum* Auctorem florentiſſimum nuncupat. *A Martiale Epigrammatiſtâ, Criſpus Romanâ primus in Hiſtoriâ*, dicitur. Indè *Colerus ad Staniſlaum Zelenium. Cogita* (inquit) *in Saluſtio omnia fuiſſe, quæ in perfectum Hiſtoricum cadunt, vel antiquorum teſtimonio.* Et poſteà: *Bellum Catilinarium memoriter tenes: ſed fruſtrà, niſi conſideras profundam illius viri Reipub. ſcientiam, quam ille vel breviculo illo libello prodidit. Non minori arte Bellum Jugurthinum confecit. Duæ* * *illæ Epiſtolæ de Reipub. Ordinandâ ad Cæſarem, nonne Cælo delapſæ videntur?* * Juſtus Lipſius; *Saluſtium, ſi mei arbitrii res ſit, in hoc luſtro principem Senatûs Hiſtorici legere non dubitem.* Jam verò *Cæſaris* Commentarios, quis non laude digniſſimos, & diligenter à juventute legendos unquam cenſuit? *Cicero* valdè probandos affirmavit. *Aulus Hirtius*, etiam admirandos. *Adeò probantur* (inquit) *omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei* (pergit) *major noſtra, quàm reliquorum eſt admiratio. Cæteri enim, quàm benè, atque emendatè, nos etiam, quàm facilè, atque celeriter, eos perſcripſerit, ſcimus.* Quid Critici hodierni? haud minoris æſtimant. Clariſſimus *Voſſius. Scriptor eſt purus & elegans, inque verborum ſtructurâ accuratus, ac omninò placidi inſtar fluminis procurrens: interea* Πολιτικὸς, *ac gravis in ſententiis: quo Xenophontem exſuperat: cæteroquin ei non diſſimilis multùm.* Et poſteà; *ſanè ex eo haurire eſt maximarum & utiliſſimarum rerum copiam: quam qui verborum elegantiâ contenti negligunt, minùs etiam pueris ſapiunt, qui nunquam ſe ita arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant.* Librum de Bello *Africano*, ſive ſit *Cæſaris*, ſive *Oppii*, ſive *Hirtii*, reliquis

Claruit Saluſt. ante Chr. 44. ab V. C. 707. Li. 10 c. 1. Hiſt. 3 Lib. 14. Epiſt. de ſtud. pol.

* *Quæ tamen an Saluſtii ſint, non convenit inter eruditos.*

* *Epiſt. ad Maximil. 2. Imp.*

Claruit Cæſar ante Chr. 42. Cic. in Bruto. In præf. l. 8. de Bello Gall. Lib. 1. de Hiſt. La. c. 13.

Epiſt. de ſtud. poſt. reliquis omnibus præfert *Colerus*. *Ita non ſanguine & colore tantùm, ſed robore ac nervis ea commentatio* (inquit) *præſtat. Habent certè principes, & militares viri, quod legant & imitentur, aut mirentur potiùs. Quis enim Cæſarem imitetur?* A *Colero*, & *Voſſio*, *J. Lipſius* de *Cæſare* nonnihil diverſum ſentit. Sic n. ſcribit. *Ex iis qui ſuperant Hiſtoricis*, C. *Cæſar laudatur imprimis. Si ut diſertus narrator, libens aſſentio: eſt n. ejus viri pura oratio, ſine fuco & calamiſtris ornata, vel Romanis, vel Atticis Muſis digniſſima. Sin ut perfectus Hiſtoricus, dubitare me dicam, cùm & nonnulli fidem ejus in Hiſtoriâ Civili requirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ Πολιτικὸν totum ei deſit. Itaque ipſe Cæſar, cæteroqui minimè ſui contemptor, Commentarios inſcripſit, non Hiſtorias; & hoc ipſo laudem veram meruit, quòd falſam contempſit.*

Epiſt. ad Maximil. Imp.

SECT. XX.

De Dione Caſſio, & ejus Hiſtoriâ. Quot libros ſcripſerit. Eorum quot perierint, & quantâ jacturâ. Inter optimos Scriptores quàm meritò cenſendus Velleius Paterculus. Ejus virtutes indicantur. Sed & nævi non diſſimulantur. Ad Cæſariorum temporum Scriptores tranſitur.

Floruit Dio à Chr. an. 231.

POſſunt etiam poſt *Lucullum Plutarchi*, *Dionis Caſſii* ſive *Cocceii* (inter nobileis Hiſtoricos meritò numerati) *Reliquiæ* huc accerſiri. A *Quinti Metelli* rebus in *Cretâ* geſtis, Anno U. C. 686. incipiunt. Dein *Pompeii* egregia facinora exponunt, à bello pyratico auſpicando, atque ita *Romanam* continuant Hiſtoriam ad mortem *Claudii Cæſaris*, An. U. C. 806. Scripſit quidem *Dion* Hiſtoriarum

Phot. Biblioth. cod. 71.

rum libros octoginta, inchoando ab *Æneæ in Italiam* adventu, & *Albâ* urbe, ac *Româ* conditâ. Undè continenter pergebat; & in ejus, qui *Heliogabalus* est cognominatus, cæde finivit. Sed primi triginta quatuor libri periere; sequentes viginti quinque extant; qui indè sequebantur, pariter intercidêrunt. Quanta autem fuerit istorum quinquaginta quinque librorum jactura, ex iis quæ de eo refert *Johannes Bodinus*, æquo cuivis rerum æstimatori, facile est conjicere. *Cum enim* (inquit) *Dio totum vitæ suæ tempus, in repub. gerendâ consumpserit, ac per omnes honorum gradus, bis ad consulatum evectus, deinde proconsul factus, provincias summâ cum suâ laude gubernârit, magnam denique bonarum artium scientiam, cum usu conjunxerit, quis dubitet eum inter optimos Scriptores censere? Profectò Comitiorum, ac magistratuum Romanorum totiusque publici juris disciplinam, accuratè collegit. Principum verò consecrationes, & ἀποθεώσεις unus tradidit, & ea quæ Tacitus Imperii Arcana vocat, pænè solus evulgavit. Fuit enim publici consilii diligens indagator.* Aut si compendiosâ magis viâ uti velit noster Lector, reliquamque Historiam, quâ *T. Livius* deficit, uno quasi filo pertextam legere; *Velleius Paterculus* non ineptè potest admitti: *explicator veteris Historiæ luculentus, & pressus, & efficax in primis.* Ita de eo *Aldus Manutius. Probus & fidus, donec ad Cæsarum res venias, ubi haud usquequaque verus: adulatione enim multa celat, aut velat; immo & palàm aliter narrat: disertus tamen ubique, & eloquentiâ quâdam facili, ac profluente.* Ita *Just. Lipsius.* Ejus dicendi genere nihil puriùs, ac suaviùs fluere potest: Antiquitates Romanorum ab ultimo principio, tantâ brevitate ac perspicuitate (si quidem integer extaret) comprehendit, ut nemini secundus esse videatur. *Laudes etiam illustrium virorum, egregiâ quâdam oratione, & magno viro dignâ, commendare solet:* ita *Johannes Bodinus.* Dubius

Methodi Cap. 4.

Claruit sub Tib. (teste ipso) ann. Chr. 27.

In Scholiis ad Vell. In animadv. ad Vell. Pater.

Cap. 4. Meth.

obus libris ejus, compendium hiſtoriæ *Romanæ* conſtare vulgò receptum eſt. Prioris libri fruſta tantùm (uti loquitur *Rhenanus*) ſuperſunt ; à nono tamen capite editionis *Gruterianæ*, ſi Lector incipiat, Hiſtoriam à *Perſeo Macedonum* rege devicto, ad *Tiberiani* Imperii annum decimum ſextum, continuatam reperiet. Cum *Velleio*, *Plutarchi* vitas, illas quas ſuprà indicavi, ſuo ordine, & cùm libuerit, ad ampliandam Hiſtoriam conjungat, & ſic denique ad *Cæſariorum* temporum *Scriptores* accedat.

SECT. XXI.

Hiſtoria Cæſarum à Suetonio & Tacito primò petenda. De utroque præclara doctiſſimorum virorum teſtimonia. Circa Tacitum variant celeberrimorum Criticorum judicia, ne dicam pugnant. Et Suetonio & Tacito lux à Dione Caſſio.

In Firmo. c. 1. An. Chr. 127. EOS inter, à *Suetonio Tranquillo* incipiat, emendatiſſimo & candidiſſimo Scriptore : id ei Elogium à *Vopiſco*. Floruit ſub *Trajano*, & *Adriano* Imperatoribus. Huic etiam ab epiſtolis fuit : *Plinio Secundo* valdè charus : nec immeritò ; *probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimumque virum* eum appellat, in Epiſtolâ quâdam ad *Trajanum*. Undè recentiorum *Criticorum* de eo teſtimonia, veriſſima eſſe conjicio. Quale eſt illud *Lud. Vivis*. *Græcorum* (inquit) & *Latinorum Scriptorum diligentiſſimus, atque incorruptiſſimus : Res duodecim Cæſarum videtur mihi integerrimè exponere, qui in optimis principibus, nec vitia nec ſuſpiciones vitiorum tacet : in peſſimis verò etiam colores virtutum non diſſimulat.* *Vivem* ſequitur *Colerus* ferè, quoad rem, ſed & de ſtylo

Spartia. in Adriano c. 11

l. 10. ep. 95.

Lib. 5. de Tra. diſ.

Epiſt. de ſtud. pol.

ſtylo addit. *Oratio ejus brevis & nervoſa eſt. Nemo ritus publicos diligentiùs miſcuit. Emendatiſſimus & candidiſſimus eſt, nemini obnoxius. Quis enim ingenia & mores principum liberiùs unquam? Aulici & Politici non exiguum fructum ex hoc, & ſimul exemplum capiant fugiendæ adulationis ab ipſo Suetonio.* Cum *Suetonio Tranquillo*, *Tacitum* admittere poteſt Lector noſter, magni & acerrimi ingenii Hiſtoricum; qui de temporibus iiſdem cum *Suetonio* ſcribit. Novæ cujuſdam gravis, conciſæ, & ſententioſæ eloquentiæ genere, eximiè præditum, aiunt Critici. De uſu tamen ac utilitate ejus Auctoris variant, imò fortean pugnant doctiſſimorum virorum judicia. *Juſtus Lipſius* Criticorum Coryphæus: *Utilem magnumque ſcriptorem (Deus bone!) & quem in manibus eorum eſſe expediat, in quorum manu gubernaculum & reipub. clavus.* Iterùm, *Acer Scriptor (dii boni!) & prudens: & quem ſi unquam in manibus hominum verſari utile fuit, his certè temporibus, & hâc ſcenâ rerum expediat. Non ille Annibalis funeſtas Romanis victorias, non ſpecioſam Lucretiæ necem, non vatum prodigia, aut Etruſca portenta recenſet, & quæ alia ſunt oblectandi magis quam inſtruendi Lectoris: hîc mihi quiſque principum Aulas, principum interiorem vitam, conſilia, juſſa, facta conſideret, & obviâ in pleriſque noſtrorum temporum ſimilitudine, ab iisdem cauſis pares exitus animo præcipiat. Invenies ſub tyrannide adulationes, delationes, non ignota huic ſeculo mala; nihil ſincerum, nihil ſimplex, & nec apud amicos tutam fidem; frequentatas accuſationes majeſtatis, unicum crimen eorum qui crimine vacabant; cumulatas illuſtrium virorum neces, & pacem quovis bello ſæviorem. Triſtia ex iis pleraque, fateor, & legentibus mœſta: ſed ſingulis noſtrûm à Thraſeâ jam moriente dictum putemus,* ſpecta juvenis, & omen quidem dii prohibeant, cæterum in ea tempora natus es, ut firmare animum expediat

Claruit *Tac. anno Chr.* 108

Epiſt. ad Ord. Bat.

Epiſt. ded. ad Maximil. 2. Imp.

conſtantibus exemplis. *Accedit genus ipſum ſermonis minimè ſordidum aut vulgare, diſtinctum crebris, & neſcio unde ex abdito erutis ſententiis, quas vel veritate vel brevitate vicem oraculi poſſis accipere.* Denique; *mirabilis omnino Scriptor, & qui ſeriò hoc ipſum agit, quod non agit. Nec enim Hiſtoria ſolùm eſt: ſed velut hortus & ſeminarium præceptorum.* Not. ad l. 1. pol. c. 9. *Lipſii* judicium planè ſequitur *Coleru.* Ita enim ſcribit; *Nos cenſuram Lipſii unà cum Tacito æſtimamus. Tu Aulam & Palatia cogitas, & cogitas ſeriò? Amabò te, diſce priùs ex Tacito Aulicorum fortunam, & ingenia principum parumper inſpice. Sit tibi ad latus Cornelius, verus ille Comes Palatinus. Nec eſt quòd te moveant Centauri nonnulli, aut rupicones, qui hæc talia antiqua nimis, & noſtris moribus aliena cavillantur. Non, inquam, ita eſt. Eadem fabula nunc luditur, quæ olim; eædem virtutes & vitia repreſentantur: Tantùm perſonæ mutatæ ſunt; ſed quæ doctum & prudentem ſpectatorem deſiderent.* Epiſt. de ſtud. pol. *A Lipſii* & *Coleri* ſententiâ, hac ex parte, longè abit *Iſaacus Caſaubonus*, virtute atque eruditione juxtà admirandus. Is enim, ubi alios Hiſtoricos cum *Polybio* ſuo comparat, de *Tacito* affirmat, ſi à fortunâ non eſſet deſtitutus, quæ ei dignam ſuâ facultate materiam negavit, quemvis è Principibus, ſive *Romanorum*, ſive etiam *Græcorum* Hiſtoricorum, videtur potuiſſe provocare: *ſed ejuſmodi tempora conſtat* (inquit) *ab eo, præſertim in Annalibus, eſſe deſcripta, quibus nulla unquam fuerunt turpiſſimis vitiis fœdiora; neque aut virtutum ſteriliora, aut virtutibus inimiciora.* Mox utriuſque, *Polybii* ac *Taciti* materias particulatiùs, ac ſummatim recenſens, tandem ſic concludit. *Tacitum igitur, facilè nos quidem excuſamus: illos excuſari non poſſe judicamus, qui unicum hunc Hiſtoricum, omnibus aliis anteponunt. Unum Tacitum Politicis hominibus aſſiduè terendum pronunciant: Unum eſſe unde principes, & principum Conſiliarii documenta regendæ Reipub.*

petere

petere debeant. Cujus abſurditatem ſententiæ ſi vellemus exagitare, facilè probaremus, qui ita ſentiunt, eos tyrannidis principes hodiernos accuſare, vel palàm tyrannidis inſtituta videri velle eos docere. Quid enim, præſertim juveni, lectione illorum Annalium eſſe queat perniciosius? Ut bona exempla, ſi ſæpè ob oculos verſentur, proficiunt, etiam non ſentientibus nobis: ſic mala nocent; paulatìm namque deſcendunt in animos, & vim præceptorum obtinent, frequenter legere, aut frequenter audire. Jam verò ut pergamus. Utrumque, *Suetonium* & *Tacitum*, rectiùs intelliget Lector noſter, & majori claritate percurret, poſt *Dionem* ſuprà nominatum; ita *Colerus* expreſsè ſuadet. *Tacitum tu & Suetonium vis rectiùs intelligere? Dionem obducito. Illud ſcire te velim, unam illam Mæcenatis orationem ad Auguſtum, inſignem ac politicam, reliquorum omnium inſtar eſſe. Eſt & Agrippæ illa ſatis ſplendida. In cæteris rebus, ac narrationibus,* ἐλλωτισμὸν *ſuſpicionem non effugit.*

Epiſt. de ſtud. pol. p. 190.

SECT. XXII.

Quomodò ad alios Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores tranſeundum. viz. Spartianum, Capitolinum, Vulcatium, & reliquos non levitèr æſtimandos Auctores. Juſti Lipſii de iis judicium; ita Caſauboni. Herodianus ſuo loco cum ſuperioribus legendus. Quouſque in Hiſtoriâ proceſſerint iſti: quos inter, Aurelius Victor, & Pomponius Lætus meritò admittendi.

HIS expeditis, ſi *Nervæ Cocceii* & *Trajani*, duorum inſignium bonitate principum, vitas

ex *Aurelio Victore*, *Xiphilino*, aut alio quopiam ἐκ τῶν βιογράφων adnectat, immediatè & recto ordine sequetur *Spartiani Adrianus*, *Capitolini Antoninus*, cæterique Imperatores, quorum vitæ ac res gestæ, à sex illis *Historiæ Augustæ* Scriptoribus, non tam diserte, quàm verè in literas referuntur; quos accuratè emendatos, atque illustratos, *Isaacus Casaubonus*, novissimi hujus sæculi immortale decus, & *Claud. Salmasius*, rerum literarumque veterum usque ad miraculum doctus, haud ita pridem nobis dederunt. Hosce Auctores, licèt exili quidem ac levidensi testimonio prosequatur *Casper Barthius* alicubi, & ipso ævo *Theodosiano*, vel etiam *Justinianæo* latinitatem in plerisque deformiorem pronunciet: nolim quisquam, utilitatis parùm ex eorum lectione comparari posse putet. *Justo Lipsio* potiùs auscultet, atque etiam *Casaubono*. Quorum ille breviter sic. *Alius Scriptor in aliam rem utilis. Spartiano, Lampridio, Capitolino, Vulcatio, & illis quasi partium secundarum Historicis, eloquentiæ non multum, rerum & morum veterum immensam copiam est haurire.* Iste verò fusiùs & pleniore elogio. *Horum Auctorum lectio cùm omnibus & Historiæ & morum antiquorum studiosis necessaria, nedum utilis; tum vel maximè iis, qui cognitione juris civilis Romanorum delectantur. Quam multa enim toto sparsim opere invenias, quæ ad Jurisprudentiæ studia propriè pertineant? quàm multis locis, aut novum jus aliquod introductum, aut vetus antiquatum observatur? ut taceam, quòd absque his Scriptoribus fuisset, plurimos prudentes, quorum extant in Pandectis & nomina & fragmenta, ignoraremus: taceam item dictionis genus, in multis commune cum antiquis jurisconsultis. Quid? Tot principum pulcherrimas epistolas, tot gravissima Senatûs-consulta, tot alia publica monumenta, è Scriniis Augustorum, Actis Senatûs & Populi, aut nescio unde ex abdito eruta, quanti censemus facienda? Aut quem mihi dabis ex omni*

Floruere Spartianus, Lampridius, & Capitolinus, sub Constantio, Chloro, & Gal. ann. Ch. 295. Vulcatius sub Diocles. 289. Adv. l. 26. c. 16. Epist. quæst. l. 5. ep. 2.

In Prolegom. ad Histor. Aug.

omni veterum Auctorum numero, cui propter similem vel fidem, vel diligentiam tantùm debeamus. Nec prætermiserim eruditas illas, neque longè petitas, sedè re natas digressiones, quibus hi libri, tanquam segmentis purpuræ veri luminis, variis locis sunt ornati. Ita *Casaubonus*. Hi verò Auctores annorum plus minùs centum sexaginta septem (nisi me fallant Chronologi) Historiam Lectori nostro suppeditabunt. Certè septuaginta, atque eo ampliùs fuisse docebunt, qui horum temporum decursu, seu jure sive injuriâ, vel *Imperatorum*, vel saltem *Cæsarum* sint adepti nomina: quorum etiam nonnullorum vitas & res gestas, politissimus ac judicii non vulgaris Auctor *Herodianus*, disertè & elegantèr octo libris descripsit. Eum igitur si cum superioribus *Biographis*, suo tempore conjungat Lector noster; *Commodi* Imperatoris, aliorumque septem, qui eum sunt secuti, usque ad *Gordianos*, Historiam pleniorem, longéque illustriorem habiturus est. Siquidem in eo Scriptore, negotiorum personarumque varietatem multam, multam rerum novitatem deprehendet; crebra in utramque partem fortunæ, ceu vacillantis, exempla habebit: consilia admirabilia, & consiliorum inopinatos eventus observabit. Graves pro tempore sententias, & plenam ubique dignitatis, plenam suavitatis orationem comperiet. Denique *copiosam quandam ad instruendos mores supellectilem* (ita * *Politianus*) *inibi inveniet; & ceu speculum humanitatis agnoscet; in quod inspicere omnis vita, undè ea capere atque haurire documenta queat, per quæ vel publicis, vel privatis rationibus consulatur.* Legat igitur censeo, sive Græcè sive Latinè, hunc Auctorem; nam haud scio uter majorem laudem mereatur, *Herodianus* nè, quem in linguâ suâ, ubere verâ fluere non negaverim: an *Politianus*, qui *Herodiani* scripta, tantâ fœlicitate interpretatus est, ut non transtulisse, sed ipse composuisse videri possit. Utcunque,

Claruit Herodia. post Chr. an. 224.

In Herodia. Hist. præfat. Ad Innocent. 8. Pont. Max.

que, ſex illi priores *Biographi*, quorum ultimus eſt *Vopiſcus*, ſed eruditus admodùm & præ cæteris accuratus, Lectorem ultra annum U. C. milleſimum triceſimum ſextum deducet; ad mortem ſcilicet *Carini Cæſaris*, qui cum *Numeriano* poſt *Carum* imperâſſe, aut imperium affectâſſe, perhibetur. Fatendum eſt in hac ſerie, quam nobis exhibent Auctores iſti ſex βιογεγράφοι ſuperiùs nominati, hiatum quendam eſſe inter *Gordianum* Tertium, & *Valerianum* Imperatorem. *Gordiano* enim, non ſucceſſit immediatè *Valerianus*; ſed duo *Philippi*; iis *Decii*; deindè *Vibius Gallus*, cum filio *Voluſiano*; tum *Æmylianus Libycus*, quem immediatè *Valerianus* excepit. Alios plures recenſet clariſſimus *Caſaubonus*, uſque ad quindecim, Auguſtos vel Cæſares, intra novem vel ad ſummum decem annorum ſpatium, de quibus apud hos Scriptores nulla jam extat mentio. Huic itaque defectui ſupplementum quæratur ab *Aurelio Victore*, Auctore neque indiſerto, nec inarguto; quem, *virum ſobrietatis gratiâ multilaudum*, dicit *Ammianus Marcellinus*: & *Caſaubonus*, opuſculum ejus de vitis *Auguſtorum*, *elegantiſſimum* appellat. Vel à *Pomponio Læto*, *Antiquitatis & bonarum literarum* (ut in eâ ætate) *conſultiſſimo*; ac *inter præclara ſui ſeculi ingenia conſpicuo*; qui Romanæ Hiſtoriæ compendium, ab interitu *Gordiani* Junioris, paullò ultra *Heraclii* mortem, non ineptè concinnavit.

In Not. ad Trebell. Poll.

Floruit poſt Chr. ann. 395. (teſte ipſo.) Lib. 21. c. 18.

In No. ad Hi Auguſtam Poli. Miſcella. c. 73

Paul. Jovius. E. log. 40.

SECT. XXIII.

Poſt Conſtantinum Chlorum, uti & paullò antè, Hiſtoria nonnihil perturbata videtur: præſertim apud Latinos Scriptores. Euſebius, Zoſimus, Zonaras, explicatiorem reddere poſſunt. De Zoſimo & Zonara,

nara, eorumque scriptis; item de Jornande. Ammianus Marcellinus hîc locum habet. Lipsii & Balduini Jcti de eo censuræ.

SED quoniam temporum istorum, usque ad *Constantini* M. liberos, Historia satis est perplexa, & tenebris involuta, præsertim si Latinos tantùm Scriptores consulamus; non erit operæ dispendium, à Græcis, *Eusebio*, *Zosimo*, *Zonara*, aliove aliquo auctore suppetias petere, tam ad Imperatorum supradictorum, quàm ad sequentium, *Dioclesiani*, *Constantii* Chlori, *Galerii*, & *Constantini* M. Historias illustrandas. Namque hac ætate floruit *Eusebius*, nempe sub ipso *Constantino*, ac filiis ejus; & ob πολυμαθίαν καὶ πολυϊστορίαν valdè celebris fuit. De quo plura erunt dicenda, quum ad Scriptores Ecclesiasticos ventum erit. *Zosimus* Imperii declinationem descripsit, ab *Octaviano Cæsare* exorsus, ad urbem à *Gothis*, *Alarico* duce, captam, libris sex. Quorum primo, *Cæsares* priores, usque ad *Dioclesianum* brevitèr percurrit; reliquos paulò fusiùs & explicatiùs depingit, libris quinque posterioribus. Vixit tempore *Theodosii* Junioris. Dictio ejus brevis, perspicua, pura, & suavis. Ita de eo *Photius*. Homo fuit quidem Paganus, atque indè principes *Christianos* frequenter sugillat; propter quod tamen, ei fidem non temerè idcirco abrogandam censet *Leunclavius*: immò addit insuper; *Si quis eum, seposito animi adfectu, legerit, experietur hanc ipsius Historiam (ferè totam ex illarum rerum narratione contextam, quæ ab aliis memoriæ proditæ non sunt) ad cognoscendum jucundam, ad usum in vitâ civili sanè idoneam, & fructuosam esse.* Henricus etiam *Stephanus*, eum *veritatis, & eruendæ è tenebris, & in lucem proferendæ, valdè studiosum fuisse* persuasum habet. *Johannes* quidem *Zonaras*, Historiam καθολικὴν scripsit, ab initio mundi ad sui

à Chr. an. 325.

Cir. An. Chr. 410.

In præf. ad Sambucum.

Epist. ad Phi. Sydneium.

Claruit an. Chr. 1118. ſui ævi Imperatoris *Alexii Comneni* obitum. Eam in tres tomos diſpertivit. Tomo primo res *Orientales*, inprimis ab orbe condito, ad excidium uſque *Hieroſolymitanum* ſummatim recenſentur. Tomo Secundo, Hiſtoria *Romana*, ab U. C. uſque ad *Conſtantinum M.* breviter perſtringitur. Tertius denique Tomus, *Chriſtianorum* Imperatorum res geſtas complectitur, à *Conſtantino M.* ad *Alexii Comneni mortem.* Ex his igitur vel omnibus, vel aliquibus, Imperatorum ſuprà memoratorum Hiſtoria, explanatior juxtà & uberior fieri poteſt. Præſertim, ſi, dum ea quæ ſub *Gallieno*, proximiſque Romanorum Principibus, à *Gothis* geſta, ordine apud *Zoſimum* legantur, *Jornandes* advocetur, qui bonâ fide ſingula fuiſſe narrata, teſtis idoneus oſtendet. *Perpulchrè enim conveniunt* (*Leunclavii* verba ſunt) *quæ ab utriſque de Gothis commemorantur*; *nec aliud ferè diſcrimen eſt, quàm quòd à Jornande pleraque paullò plenius enarrentur, non omiſſis rerum circumſtantiis*; *quas non perinde Zoſimo ac Jornandi cognitas fuiſſe, minimè mirum videri debet. Gothus enim erat, vel Alanicâ natione Gothis affini, oriundus Jornandes. Et rectiùs haud dubiè res ille patrias tenebat, & Gothicos Scriptores, Græcis atque Romanis, ut ipſemet fatetur, adjunxerat.* Hinc rectà *Amm. Marcellinum* adeat Lector; fidei ac judicii apud rigidiſſimos cenſores ſatis clarum: ſuâ confeſſione Styli militaris, ac ſcabroſi. *Rem militarem ut miles, diligentiſſimè perſequitur. Et deſcriptiunculis non rarò divertit, nec rarò ſententias miſcet.* Ita de eo *J. Lipſius.* Et *Balduinus: Homo quidem militaris, ſed tam literatus miles, tamque veterum literarum ſtudioſus, ut nihil non perveſtiget. Uno verbo dicam, diligentiſſimus Scriptor eſt. Eſt quidem ſcabra ejus (hominis nempe Conſtantinopolitani) oratio Latina: ſed rebus eſt doctis referta, & variam, multiplicem, reconditamque lectionem includit; & verò Hiſtoriam, quam alius non expoſuerit, copioſè explicat.*

Floruit circa an. 540. *Præf ad Zoſim.*

Claruit an. Chr. 395.

Hæc

Hæc & plura de eo *Balduinus*. Scripſit libros XXXI: à principatu *Cæſaris Nervæ* exorſus, aduſque *Valentis* (in cujus Aulâ floruit) interitum: ſed ex his XIII communi naufragio peſsùm iverunt. In iis qui ſuperſunt, incipiens à *Gallo Cæſare*, circa Ann. Chr. 353. res *Conſtantii Cæſaris*, *Juliani*, *Joviani*, *Valentiniani* & *Valentis*, quarum ipſe magnam partem inſpector erat, enarratè deſcribit. Hic igitur ad Ann. U. C. 1128. Ann. ſcilicet à Chriſto Nato 378. Lectorem perducet.

SECT. XXIV.

Hiſtoria Miſcella Diaconi, item Jornandes de Rebus Geticis; nec non Procopius & Agathias, ſuum hîc locum habere poſſunt. Vel ſi placeat, Zonaræ Tomus Tertius. Quem ſequatur Nicetas Choniates. Tum Nicephorus Gregoras. Aut ſi prolixum nimis id videatur; poſt Zoſimum, Blondus Forlivienſis legi poteſt. Vel aliter, poſt Vopiſcum, Sigonii Hiſtoria Occidentalis admitti poteſt. Inde ad 7. vel 8 lib. primæ Decadis Blondi, pergat Lector.

POST *Ammianum*, ſi *Pauli Diaconi Hiſtoriam Miſcellam* accerſat Lector; eique comitem adjungat (quem ſuprà in ſubſidium *Zoſimo* aſſignavimus) *Jornandem*, *de Regnorum ac Temporum ſucceſſione*, nec non *de Rebus Geticis*; non inclinationem modò, quam à *Zoſimo* didicit, ſed etiam interitum ipſum *Romani* Imperii animadvertet. Et ne rerum fortè à ſuperioribus memoratarum, moleſta nimis, Clar. cir. an. Chr. 820.

mis, & tædio plena ſit repetitio : incipiat à 12° *libro Hiſtoriæ Miſcellæ*, qui à *Valentiniano* auſpicatur, & reliquos indè percurrat; quibus Hiſtoria uſque ad *Michaëlis Curopalatæ* tonſuram continuatur; h, e. ad an. *Chr.* 812. *Jornandem* etiam, ubi tempora & res geſtæ requirere videbuntur, adhibeat. Is enim de *Getarum* origine, necnon de rebus ab iis circa illa tempora geſtis (uti ſuprà innuimus) Hiſtoriam non contemnendam ſcripſit. *Clar. cir. an. Chr.* 532. *Procopius* etiam, qui de Bellis, *Perſico*, *Gothico* & *Vandalico*, *Juſtiniani* auſpiciis, ductu *Beliſarii* geſtis, ſeptem libros compoſuit, hoc in loco opportunè, & non ſine fructu legi poteſt. Siquidem in ejus libris, (ſi *Volaterrano* credamus) *tanta eſt rerum cognitio, ut quemvis curioſum alere; tot etiam (ut ſolet in hujuſmodi bellis) ducum vertigines, Stratagemata, conſilia ordinandi, captandi, refellendi, tergiverſandi, mitigandi, ut quemvis ignavum, prudentem planè hominem, ac publicis & privatis actionibus idoneum, reddere valeant. Magnum Scriptorem* eum *Notis ad Spartia. Meth. c. 4. Grute. diſcurſ.* vocat eruditiſſimus *Caſaubonus*. Et *Johannes Bodinus, inter ſelectos eum recenſere*, nullus dubitat. *Procopium* ſequatur *Agathias*, floridus & non *contemnendæ prudentiæ* Scriptor. Quod ſi *Zonaræ* (cu- *Clar. Atergat. cir. an. 567.* jus itidem ſuprà mentionem fecimus) Tomum tertium perlegere, & ſequi placeat; *Nicetas Choniates* proximum locum vendicat, tum *Nicephorus Gregoras*; qui quidem Auctores, narrationis quaſi filum, alter ab altero excipientes, Hiſtoriam, præſertim *Orientis* Imperii, uſque ad *Andronici Palæologi* poſterioris mortem, hoc eſt, ad Ann. Chr. 1341. pertexunt. Nec fraudabimus hoſce Auctores ſuis elogiis : quibus etiam à viris apprimè doctis honeſtantur. *Illi* (inquit *Chriſtophorus Colerus*) *qui ab oriente procedunt, floridum quoddam dicendi genus conſectantur, & nimio ſæpè mundo ſtudentes, ab immundo propiùs abſunt. Gregoras ad prudentiam civilem unicus eſt, fateor, & ſententia-*

1400.

1280.

rum

rum uber quoddam. Zonaras Reipub. ſatis gnarus fuit: & proficiant ex eo legum ſtudioſi. Choniates ab ineptiis ſæpè non abſtinet. Piè tamen multa, & aliquando de cauſis malorum publicorum non imprudentèr diſſerit. Verùm de his etiam infrà, loco fortaſsè magis idoneo.

Si autem totidem Auctorum lectione φιλοπόνως noſter defatigari videatur, & iter ſuum nonnihil cupiat in compendium contrahere. Poſt *Dionem*, aut *Suetonium*, *Zoſimum* ſibi adſumat: is (uti jam monuimus) Imperii declinationem ex profeſſo contemplandam proponit: ita ipſe de ſe teſtatur: Hiſtoriamque ab *Octaviano Cæſare*, ad urbem à *Gothis* captam, perpetuâ ſerie continuat. Hinc ad id tempus, quo *Carolus Magnus* diadema Imperiale obtinuerat, (quod hîc notatu indignum non eſt) per quadringentos ferè annos, Urbs *Roma*, & tota *Italia*, quæ multis ſeculis, formidini & terrori, exteris gentibus fuerat, calamitatum aut præſentium ſenſu, aut impendentium metu perculſa, nunquam quievit. Ab eo igitur tempore, quo Urbem victor ingreſſus eſt *Alaricus*, & deſiit *Zoſimi* Hiſtoria, pergit *Blondus Forlivienſis*, *Gothorum*, *Vandalorum*, *Longobardorum*, aliorumque nationum facta narrare; Hiſtoriamque mille triginta annorum pertexit. Nempe ad Annum Salutis Chriſtianæ, 1440. Aut ſi Lectori viſum fuerit, ubi *Vopiſcum* expediverit, haudquicquam à rectâ ſtudii Hiſtorici Methodo deviabit, ſi *Caroli Sigonii* Hiſtoriam de *Occidentali Imperio* admittat. Eam (uti profitetur ipſe) primò ſingulari diligentiâ, & accuratione collegit; deindè quàm veriſſimè, in maximâ rerum obſcuritate, temporum vetuſtate, ſcriptorum diſſentione potuit, literis conſignatam poſteritati commendavit. Incipit ab Anno Chr. 284. quo anno *Carinus*, à *Diocleſiano* ad *Murtium* victus, occubuit: Deſinit in morte *Juſtiniani*, qui obiit Imperii ſui anno 39. Chr. 565. *Poſthæc* (inquit)

A V C. 1162 A. Chr. 410.

Claruit an. 1450

Epiſt. prælim.

ipſo

ipso prorsus extincto Imperio, Res Romana in multa regna est distributa, Francorum & Burgundionum in Galliâ, Gothorum in Hispaniâ, Anglorum & Scotorum in Britanniâ, Longobardorum & Normannorum in Italiâ: Itemque Saracenorum in Africâ. Atque à *Sigonio* ad *Blondum* (si libuerit) procedat Lector; & à 7°, vel 8° primæ Decadis libro incipiat, & sic ad finem usque pergat.

SECT. XXV.

Breviorem adhuc Historiæ cursum ab initio Cæsarum, ad hoc usque seculum Lectori suppeditabunt, Johannes Cuspinianus, Paulus Jovius, & Augustus Thuanus.

* *Claruit an. Chr. 1540. sub Car. V.*

* *Cl 1540 Bodinus Meib. Melch. Cavus p. 538.*

Paulus Jovius in quamlibet partem nimius odio & amore, gratiâ & simultate. Et quoniam pecuniam amabat, in Historiâ quoque scribendâ, pecuniæ servus fuit.

Quod si breviorem adhuc Lector desideret Historiæ cursum, nec multorum Auctorum lectione delassari sustinebit; Historiam *Cæsaream* scripsit * *Johannes Cuspinianus*, solers antiquitatis indagator, à *Julio Cæsare*, usque ad *Maximiliani* I. mortem, luculentum sanè opus, & omnium Lectione dignissimum: utpote quo, dum vitas omnium ordine Imperatorum describat, non tantùm insignia eorum exempla, dicta, & facta, quicquid in illis honestum esset vel secùs, proponit: Sed universam etiam temporum seriem (suprà mille quingentos & viginti annos) integram connexamque, non interciśam aut mutilatam, posteritati reliquit. Ab eo ferè tempore orditur * *Paulus Jovius*, & Historiam non *Cæsaream*, sed universalem, splendidè satis, ac ornatè, per quinquaginta annorum spatium continuat. Sed parùm fidus in aliquibus putatur, & ad gratiam non pauca scripsisse perhibetur; in tantum, ut *Gorræus Parisiensis*, se quas finxisset

Amadisi

Amadisi fabulas, non minùs veras ac probabiles, quàm *Jovii* scripta fore, confisum affirmaverit. *Laudandus* tamen, (si *Justum Lipsium* audiamus) *legendusque, ob multiplicem & variam rerum seriem, quas redegit compositè, & dilucidè, in unum Historiæ corpus.* Eum excipit *Præses* ille celeberrimus, *Jacobus Augustus Thuanus*, qui inter Historicos postremæ hujus ætatis, facilè principatum obtinuit; Historiamque rerum per totum orbem gestarum, ab ann. Christ. incarnati 1545. ad annum usque 1608. stylo perquàm luculento propagavit.

SECT. XXVI.

Particularium Historiarum Scriptores quidam, lectu dignissimi, recensentur. Guicciardinus. Paulus Æmilius. Philippus Comminæus. Quorum egregia memorantur elogia. Meteranus, Chromerus, Bembus.

NON sum nescius, multos esse alios Auctores, qui nationum quorundam particularium, & personarum singularium etiam gesta, stylo sunt persecuti; non antiquos modò, sed & recentiores quoque, suo tempore lectu dignissimos: hos inter *Franciscus Guicciardinus* occurrit, qui de rebus suo tempore in *Italiâ* gestis tractat. *Prudens perituſque Scriptor, & qui tales Lectores suos facit,* (inquit *Lipsius.*) *Liber est & verax; ab affectibus immunis; si tamen ab odio, quod retegere mihi non semel videtur in Ducem Urbinatem.* Largus est etiam *Johannes Bodinus* in *Guicciardini* laudibus, nec fine suo justo merito. Siquidem *in scribendâ Historiâ, judicio*

Floruit an. Chr. 1530.

In not. ad Pol. l. c. 9

Cap. 4. Methodi

judicio gravissimorum virorum, suos æquales (atque haud scio, an veteres quoque Historicos) superavit. Nam ubi quid in deliberationem cadit, quod inexplicabile videatur, illic admirabilem in differendo subtilitatem ostentat, & graves ubique sententias, veluti sat accommodatè, perspergit: & paulò pòst, *mirum in eo studium veritatis inquirendæ; nihil enim temerè; sed omnia necessariis argumentis confirmat. Fertur enim Epistolas, decreta, fœdera, conciones, ex ipsis fontibus hausisse, & expressisse. Denique, fuit & rerum & locorum, & personarum tam diligens investigator, ut omnes Italiæ urbes, municipia, castra, fluvios, quódque maximum duco, publica monumenta penitùs inspexisse videatur.* Eâdem proavorum nostrorum ætate floruit *Paulus Æmylius Veronensis*, qui orsus à primis *Galliæ* regibus, mille amplius annorum *Gallicam Historiam*, laconicâ tamen brevitate perscripsit. Huic inclyto quidem operi, annos impendisse triginta dicitur; eoque magnum sibi nomen paravit. Omninò Scriptor est *elegans & disertus*, opinione doctissimi *Gerardi Johannis Vossii*. Elogio etiam valdè præclaro eum donat *J. Lipsius*, hisce verbis. *Ille* (inquit) *ut rem dicam, pœnè unus inter novos, veram & veterem Historiæ viam vidit; eamque firmo pede calcavit. Genus scribendi ejus doctum, nervosum, pressum; ad subtilitatem & argutias inclinans, & relinquens defigensque aliquid in animo serii Lectoris. Sententias & dicta sæpè miscet, paria antiquis. Rerum ipsarum sedulus scrutator, severus judex: nec legi nostro ævo, qui magis liber ab affectu.* Paulò ante hunc *Paulum Æmylium, Philippus Cominæus* de rebus à *Ludovico* XI *Gallorum* Rege gestis, ita laudabilitèr scripsit, ut *J. Lipsius* nihil vereatur eum componere cum quovis Antiquorum. *Incredibile est* (inquit) *quam ille omnia videat, penetret, arcana consiliorum eruat, & subinde instruat nos salutaribus rarísque præceptis. Et id diffusè, Polybiano quodam exemplo.*

1530.

Lib. 3. de H. Lat. c. 12.

In not. ad l. 1. Polit. c. 9

Clar. an. 1490.

Loc. cit.

De

De *Cominæo* & ejus Hiſtoriâ, teſtimonium haud illaudabile poſteritati reliquit celeberrimus ille *Præſes Pariſienſis, Jac. Auguſtus Thuanus.* *In Hiſtoriâ* (inquit) *Ludovici undecimi, à Philippo Cominæo prudentiſſimo equite ſcriptâ, ut multa prudentiæ præcepta, tradi non inficiàs ierim; ita plura minùs ingenui, atque adeò parùm regii animi exempla reperiri, minimè negari poteſt.* Hiſtoriam Belgicam ſcripſit *Emmanuel Meteranus: Polonorum* Hiſtoriam, *Chromerus: Venetorum, Petrus Bembus:* alii alias particulares Hiſtorias, lectu digniſſimas, ſcriptis conſignârunt: ſed mihi animus non eſt ſingulas recenſere; aut quis unus omnes poteſt? nedum legere. Id verò operam dedi, ut auditoribus meis, præſertim junioribus, Hiſtoricorum claſſem quandam, recto ordine diſpoſitam proponerem, undè temporum viciſſitudines, ac varietates, rerumque per terrarum orbem geſtarum ſeries, uſque ad hoc noſtrum ſeculum, diſtinctè haberi poſſint.

Lib. Hi. 21. p. 578

Quid Lipſius de Bembi Hiſt. cenſeat, vide ep. 57. cent. 2 Miſc.

SECT. XXVII.

Ad Hiſtoriam Britannicam tranſitio. Quomodò ad eam legendam Lector ſe accingat. Quo ordine in eâ pergendum. Camdeni Britannia, & Seldeni Analecta, primò legenda. Georgii Lillii Chronicon. Hiſtoriæ Britannicæ compendium.

NE tamen exoticas dum ſcrutamur *Hiſtorias*, noſtratium rudes prorsùs, aut negligentes exiſtimemur: lubet ſuperiori Catalogo, mantiſſæ loco, attexere Rerum *Britannicarum* Scriptores nonnullos; atque unà ordinem, quo eos arbitramur legendos, quaſi digito commonſtrare. Inde enim gratiam, paulò fortaſſis ampliorem ab noſtrâ ju-

ventute Academicâ lucraturum me, haud temerè confido. Nimirum si viam ad Historiæ *Britannicæ* cognitionem, (sicuti jam factum in Universali videtis) aliquantò vel certiorem, vel expeditiorem indicavero. Quotus enim quisque est, cui, in urbe propriâ si reperiatur hospes, si in suâ patriâ peregrinus audiat, non videatur res dignâ, in quâ erubescat? Ego herculè, quod olim *M. Cicero* apud suos *Romanos* de poëtis Latinis, apud nostrâtes Anglos de Historicis *Britannis* fidentiùs pronunciaverim: *mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra sunt ignota.* Quinimmò ulteriùs, res aliarum gentium præclarè gestas, curiosiùs inquirere, nostræ nationis insuper habere, aut inertissimæ est segnitiei, aut fastidii nimis delicati. Nam licèt apprimè verum sit, quod nobilissimus *Henricus Savilius* (inter splendidissima hujus Academiæ ornamenta æternùm memorandus) ait; cui etiam suffragatur, non harum modò, sed & omnium veterum literarum callentissimus *Johannes Seldenus*, Jurisconsultus: *Neminem planè hactenus extitisse, qui nostræ Historiæ corpus totum, eâ fide, eâque dignitate scriptis complexus sit, quam susceptí operis magnitudo postularet.* Particulas tamen aliquas superioribus seculis non malè contextas, fatetur ille; alias nostrâ ætate insigniter benè scriptas, agnoscit hic, & prædicat: pulchra nihilominùs facinora haud pauca, resque contemplatione nostrâ, ac diligenti observatione dignissimas, in plerisque eorum qui leguntur, reperiri posse, audacter asseveramus. Hoc igitur ordine legendos, *Historiæ Britannicæ* studioso, Scriptores ejus præcipuos commendo. Primò, clarissimi *Gulielmi Camdeni Britanniam* legat; undè, (præter accuratissimam totius Insulæ descriptionem) primos incolas, *Britanniæ* nomen, *Britannorum* mores, *Romanorum* denique in *Britanniâ* Historiam, aliáque quàm plurima, cognitu dignissima, *non è fabellis, quæ vani esset scribere,*

Epist. prælim. ad Malmesbur. an. 1601

Epist. ad Aug. Vincent.

bere, & imperiti credere; (uti ipſe loquitur) ſed ex incorruptis priſcæ Antiquitatis monumentis ſummatim, & carptim collecta, ediſcat. Hunc inquam librum, ſeu Theſaurum potiùs ditiſſimum, pervolvat ſuadeo, idque primo loco. Nec pigebit operæ ſuæ, ſi hîc etiam accerſat, eruditiſſimi *Seldeni Analectôn Anglo-Britannicôn* libros duos; quorum uterque octo conſtat Capitibus, quibus ea maximè quæ ad civilem illius, quæ jam dicitur *Anglia, Magnæ Britanniæ* partis, antiquitùs adminiſtrationem pertineant; quæque res domi publicas, ſacras, profanas, ſtatûſque cataſtrophas, uſque ad *Normanni* adventum attingant, ex antiquis ſimul, ac neotericis luculenter explicantur. Deindè (juxta Methodum à nobis in principio curſûs Hiſtorici propoſitam) *Chroniton* (ſive brevis enumeratio Regum & Principum, in quos, variante fortunâ, *Britanniæ* Imperium diverſis temporibus tranſlatum eſt) à *Georgio Lillio* Scriptum, legi poteſt. Vel etiam Commentarioli quidam de Rebus geſtis *Britanniæ*; quos recudi fecit *Johannes Theodorus Clain*, Anno, M. DC. III. ſub titulo *Hiſtoriæ Britanniæ*: Compendium ſanè haud ineleganter formatum, atque inſtitutum. *Claruit an.* 1560

SECT. XXVIII.

Gulielmus Malmesburienſis. Savilii de eo judicium: Item Camdeni. Undè Hiſtoriam inceperit, & quouſque progreſſus ſit. Galfridus Monumethenſis quare prætermittendus. Super ejus Hiſtoriâ, cenſuræ Neubrigenſis, Johannis Withamſted, Balæi, & Johannis Twini. A quibus omnibus diſſentit Virunnius. Malmesburienſem

ſem ſequatur Huntingdonienſis; eum Hovendenus.

Quòd ſi inter Scriptores Hiſtoriæ noſtræ antiquiores, primùm ordine verſari potiùs libeat; poſt *Camdeni Britanniam*, ac *Seldeni Analecta*, *Gulielmum Malmesburienſem* ante alios admittendum duco; idque meritiſſimo ſuo: cùm inter Hiſtoricos noſtros, & narrationis fide, & judicii maturitate principem locum teneat. Tantundem de eo teſtatur, vir nobilitate atque eruditione juxtà celeberrimus, *Henricus Savilius*: *Guil.* (inquit) *Malmesburienſis, homo, ut erant illa tempora, literatè doctus, qui Septingentorum plus minùs Annorum res, tantâ fide & diligentiâ pertexuit, ut è noſtris propè ſolus Hiſtorici munus expleſſe videatur.* Et Clariſſimus *Camdenus*; *ejus eruditæ induſtriæ, tum Eccleſiaſticam, tum politicam Angliæ Hiſtoriam plurimum debere affirmat.* Is igitur ab Anno Chr. 449, quo venerant *Angli* & *Saxones* in *Britanniam*, de geſtis *Regum Anglorum* ſcripſit libros 5, ad Ann. Chr. 1116, qui fuit annus decimus ſextus *Henrici I: ac Novellarum* porrò *Hiſtoriarum* libros duos, ab anno viceſimo prædicti Regis, ad octavum uſque Regis *Stephani*; Ann. Chr. 1143. Sunt qui *Galfridum Monumethenſem* primo loco legendum præſcribunt; quod ſcilicet altiùs longè Hiſtoriam incipiat, & *Brutum* quendam *Æneæ* pronepotem, atque alios ſexaginta octo ab eo Reges, hîc Imperium, per mille ampliùs annos ante *Cæſarem*, tenuiſſe affirmat. Nos autem, quia res nimiâ vetuſtate obſcuras, & fabuloſis prorsùs narrationibus involutas ſcribere videtur, eum de induſtriâ prætermittendum cenſemus. Neque ex privatâ opinione ita dicimus, facimuſve; plurimi è Senatu literatorum in eandem ſententiam pronunciarunt. Audite *Neubrigenſem*, qui paulo poſt *Galfridum* vixit.

Floruit an. 1144 (*falſus n. eſt Poſſevin. qui Berengarii æqualem fecit. Epiſt. pr. ad Rerum An. Scriptor.*

Claruit an. 1160 (*ſub Hen.* II.)

Quidam,

Quidam, inquit, *noſtris temporibus, pro expiandis Britonum maculis, Scriptor emerſit, ridicula de iiſdem figmenta contexens, eoſque longè ſupra virtutem Macedonum & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus eſt, agnomen habens Arturi, pro eo quòd fabulas de Arturo, & ex priſcis Britonum figmentis ſumptas, & ex proprio auctas, per ſuperdictum Latini ſermonis colorem, honeſto Hiſtoriæ nomine palliavit. Qui etiam majori auſu, cujuſdam Merlini divinationes fallaciſſimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas, & immobili veritati ſubnixas prophetias vulgavit, &c.* Cum *Neubrigenſi* ex parte concinit *Johannes Withamſted*, qui *Henrici Sexti* temporibus floruit. *Juxta Hiſtorias* (inquit) *aliàs, quibus quorundam judicio major adhibenda eſt fides, totus proceſſus de Bruto iſto, Poëticus eſt potiùs quàm Hiſtoricus, opinativuſque magis propter varias cauſas, quàm realis.* Balæus *etiam, Galfridi* Hiſtoriæ multa ineſſe profitetur, quæ fidem excedant. Et *Johannes Twinus*, antiquitatum Britannicarum diligentiſſimus indagator, *Homerum Britannicum*, & *mendaciorum patrem eum* appellat. Sed meliùs de *Galfrido* ſenſit *Ponticus Virunnius*, (vir *eruditiſſimus*, teſtimonio doctiſſimi *Voſſii*,) qui antè annos vixit 130; ac *Galfridi* libros, præteritis fabulis, in epitomen redegit, eumque Elogio iſtiuſmodi ornavit. *Galfridus Hiſtoricus egregius, & Cardinalis, magnæ vir auctoritatis apud Robertum Claudioceſtriæ ducem, Henrici Regis filium, ac patriæ ſuæ curioſiſſimus fautor, ex ſummâ Philoſophiâ, atque archivis regalibus Hiſtoriam antiquiſſimam continuâ ſerie, ab ipſis Trojanis collectam tranſtulit: veriſſimas eſſe Britannorum Hiſtorias arguit, regum occidentalium conſuetudo, quæ erat ſecum ſemper habere eos, qui veritate præcipua eorum geſta notarent.* Utcunque, nos cum, (uti jam dictum eſt) ob cauſas recen-

In Proœ. ad Hiſt.

In Granario.

Commen. l. 1. p. 13

Galfridum tuetur etiam Joh. Leland. contra Neubrig. & Polyd.

sitas prætermittimus, & Lectorem noſtrum ad *Malmesburienſem* potiùs vocamus. Poſt *Malmesburienſem*, *Henricus Huntingdonienſis Archidiaconus*, libris octo, noſtræ gentis originem demonſtrans, ac prædicti Regis *Stephani*, juxtà & deceſſorum ejus Hiſtoriam pertexens, progreditur ad annum uſque 1153: multa alia ſcripſit, quæ Hiſtoriam noſtram locupletare poſſunt; ſed quæ in Bibliothecis M. SS. latent, nec, dum publici juris facta, à vulgo leguntur. Hiſtoricus egregius à *Polydoro Virgilio* audit. A *Johanne Lelando*, Auctor probatus appellatur. Deindè *Gulielmus Neubrigenſis*, à morte *Henrici* I. exordium ſumens, Hiſtoriam ulteriùs paullò, ad annum Chr. ſcilicet 1197 continuat. Veridicus Auctor, ſi *Polydorus* ſit opinione verus. A *Lelando* tamen reprehenditur, quòd in culpando *Galfrido Monumethenſi* modum non tenuerit. Denique, *Rogerus Hovenden* Annalibus ſuis, quos in duas diviſit partes, Hiſtoriam eandem noſtram, ad annum 1202 (qui fuit annus quartus *Regis Johannis*) deducit.

Claruit an. 1160

Voſſ. l. 2. de Hiſt. Lat. c. 51

Claruit an. 1220

Clar. ſub Henr. II. Ric. & Johanne Regibus.

SECT XXIX.

Aſſerii Menevenſis Hiſtoria laudatur. Cum ſuperioribus, quo tempore legenda. Item Eadmeri Hiſtoria novorum. Matthæus Pariſienſis. De eo Baronii judicium. Thomæ Walſinghami Chronica. Geſta Regis Stephani ab Anonymo, & vita Edvardi II. à Thoma De la Moore ſcripta, ſuo tempore interponenda.

FAtendum eſt quidem, poſteriores iſtos, quos nominavi, paucorum admodùm annorum acceſſione,

cessione, *Malmesburiensis* Historiam propagare; illustrare tamen possunt, & materiâ nonnunquam fortasse haud contemnendâ, auctiorem reddere. Id etiam abundè factum reperiet Lector, si circa Annum Chr. 849, & deinceps, *Alfredi* vitam & res gestas, ab *Asserio Menevensi* conscriptas interponat. Quæ quidem Historia (inquit clarissimus *Camdenus*) *non mediocrem menti tuæ voluptatem infundet, neque minorem adferet cum voluptate utilitatem, si in præclarissimarum rerum contemplatione defixus, te ad earum imitationem, & quasi imaginem, totum effinxeris.* Porrò, post annum Chr. 1060, *Eadmeri Historias Novorum* advocare placeat, in lucem nuper productas, notisque ac spicilegio perquàm docto illustratas, à suprà nominato *Johanne Seldeno*, eruditionis admirandæ *Jurisconsulto*. His etiam adnectat veram illam & fidelem *Matthæi Parisiensis* Historiam, quæ anno Chr. 1067 (quo inaugurabatur *Guliel. I. Conquestor dictus*) auspicata, in mortem *Henrici* III. continuatur; h. e. in annum 1273. De hoc Auctore quid arbitratus sit *Baronius*, videre est ad annum 296. *Quam fuerit animo infensissimo* (inquit) *in Apostolicam sedem, quivis facilè potest intelligere: nisi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit. Quæ si quis demat, aureum sanè dixeris Commentarium: utpotè quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis, egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur.* Parisiensis Historiam, *Thomæ Walsinghami Chronica* sequi volo: Is Sti *Albani* quondam Monachus fuit, & Chronica sua orditur ab *Edvardo* I. quæ in *Henrico V.* desinunt. Verùm sicut, dum *Matthæum Parisium* percurrimus, circa annum 1135, gesta Regis *Stephani* ab anonymo quodam ejus contemporario scripta, commodè sese obferunt interserenda, ad Historiam vel amplificandam, vel illustrandam: ita post primum librum *Walsinghami*, circa annum 1306; vita & mors *Edvardi* II. à

Claruit circa an. 910.

In pr. ad Asseri.

Florvit an. 1130

Cl. 1253. (*test. Ealæo,*) *ad quem an. Historiam à se perductam, postea continuavit alius ad* 1273.

Claruit an. 1440

A. 1422

Voſſ. de H. Lat. l. 2. c. 64.

Thomâ de la *Moore*, equite aurato, & ejuſdem Regis famulo conſcripta, non ſine materiæ incremento, interponi poſſe videtur. Is quidem, ut equeſtri dignitate conſpicuus erat; ita à voluntate bene-merendi de poſteris, non minùs dignus fuit; fidemque eo magis meretur, quòd Regi intimus fuerit, ac ſub ejus auſpiciis ductúque ſtipendia fecerit.

SECT. XXX.

Walſinghami Hypodigma Neuſtriæ, & Rerum Normannicarum Scriptores, haud inſuper habendi. Eos inter, Oldoricus Vitalis præcipuæ notæ. Ab Henrico V. ad Richardum III. Hiſtoria à Polydoro Virgilio petenda. De quo, nobiliſſimi Savilii noſtri judicium animadvertendum. Richardum III. deſcripſit Thomas Morus, Eques Auratus, & Angliæ Cancellarius. Henricum VII. Vice-Comes Santalbanus, Henrici VIII, Edwardi VI, & Mariæ Reginæ Annales, Fr. Godwinus Landavenſis Epiſcopus, literis conſignavit. Sicuti Gulielmus Camdenus, Elizabethæ.

EXpeditis *Walſinghami Chronicis*, pergat lector ad ejus *Hypodigma Neuſtriæ*. Hiſtoriam ſuperiorem, & illuſtratiorem faciet, & auctiorem, à tempore *Rollonis* primi Ducis, uſque ad annum ſextum *Henrici* V. qui *Normanniam* per annos circiter ducentos & vigenti abalienatam, ſub jugum Regum

gum *Anglorum* redire compulit; Anno Chr. 1416. Neque temerè id à me datum consilii existimabit: Nam (uti rectè ab eruditissimo *Seldeno* observatum est,) *Normannorum* rebus vetustis, adeò nostræ plerunque intermistæ sunt, ut sine ignaviâ aut insciti, præteriri illæ non possint, si quis de nostris diligentiùs consulat. Rerum autem *Normannicarum* Scriptores varios, uno volumine edidit *Andræas Duchenius*, Anno 1619: quos inter, *Oldoricus* quidam *Vitalis* nostrâs, utpote in agro *Salopiensi*, apud *Attengham* natus, eminet. Tredecim libros *Historiæ Ecclesiasticæ* scripsit, quorum pars Secunda & Tertia, bellicos *Normannorum* eventus, in *Franciâ*, *Angliâ*, *Apuliâ*; plurimasque res alias memoratu dignas, usque ad annum Chr. 1141, *Stephano* regnante, continent.

Sed ut redeamus ad Historiam *Anglorum*. Post *Walsinghami Chronica*, (quæ uti diximus in *Henrico* V. desinunt) frustrà erit Lector noster, si aliquem è nostratibus requisiverit, qui temporum ab *Henrico* V, ad *Richardum* III, Historiam Latinè scripserit; nisi fortè manuscripti aliqui, in vetustatis antiquæ Sacrariis delitescant, qui publicam nondum viderunt lucem: ast ego meis Auditoribus parabilem commendo Historiam, talium scilicet Auctorum, qui vulgò prostant, & facili negotio comparantur; hîc igitur magnus erit hiatus, & lacuna annorum ferè septuaginta, nisi à *Polydoro Virgilio* supplementa accersere placeat. Quod quidem in tantâ Auctorum nostrorum penuriâ, non dedignabitur Historiæ studiosus. Quamvis enim (uti nobilissimus *Henr. Savilius* de eo Scribit,) *homo fuerit Italus, & in rebus nostris hospes, & quod caput est, neque in repub. versatus, nec magni alioqui judicii, vel ingenii*: quamvis *in rebus nostris tradendis, sæpe erraverit, & multa memoratu dignissima silentio pertransierit, immo falsa pro veris sæpenumerò amplexus, mendosam nobis reliquerit Historiam*: id

Clar. cir. an. 1540 Plurimos Polydori istius errores deregit Jo. Leland. in decl. antiq. dictionum, quæ occurrerent in Genet. Pr. Edv.

id tamen ego fuisse crediderim, ubi *Henrici Octavi* tempora describit maximè. Nam præter quòd Linguæ nostratis prorsus ignarus, plurima eorum temporum nescire habuit necesse: plurima etiam, ut *Mariæ Reginæ* gratiam promptiùs demereri posset, scripsisse, non sine causâ perhibetur. Priorum verò temporum, eadem non est suspicio. *Henricos* igitur duos, V. scilicet & VI. duos etiam *Edvardos* IV. & V. à *Polydoro* petat Lector noster. Qui proximè sequitur, *Richardum Tertium*, historicè descriptum, reliquit celeberrimus ille *Thomas Morus* Eques Auratus, & *Angliæ Cancellarius*. Sed opus omninò imperfectum censet doctissimus *Vossius*: quippè, *ut fusè*, inquit, *persequitur, quibus sceleribus ille ad regnum pervenerit*; ita *quomodo id gesserit, non exponit*: *ac nec eâ parte quam habemus, ultimam manum accepit. Præterea, elegantiâ Latini Sermonis, ab aliis ejusce viri operibus longè vincitur. Richardum* III. excepit *Henricus Septimus*, cujus vitam & res gestas, haud ita pridem nobis repræsentavit Nobilissimus *Vice-Comes Sancti Albani*; adeò fœliciter, adeóque plenè, ut Historicorum præstantissimos, si non superaverit, certè prorsus æquaverit. Illud opus vernaculâ quidem linguâ prodiit primò, sed latinitate donatum posteà, testatur epistola præliminaris ad ejus libellum, cui *Gustuum* Titulus. Post indè *Godwini*, præsulis admodùm Reverendi, *Annales* adeat Lector; quibus rerum *Anglicarum* series, *Henrico* VIII. *Edwardo* VI. *Mariâ Reginâ* regnantibus, non magis succincta, quàm laudabili brevitate describuntur. Denique, clarissimus *Gulielmus Camdenus*, munificentissimus hujus *Spartæ* nostræ conditor olim, & patronus, *Annales* scripsit accuratissimos, Rerum *Anglicarum* & *Hibernicarum*, regnante *Elizabethâ* glorioſissimâ, & omnium quæ unquam sceptrum gestârunt, fœlicissimâ fœminâ. His elogiis eam olim decoratam ab illustriss. *Heroinâ*

Circ. an. 1533.

De. Hi. Lat. l. 3. c. 13.

roinâ, Annâ Ateſtinâ, Guiſiarum ac Nemoroſiorum parente, meminit *Thuanus*. Hos ultimo loco diligenter legat noſtratis Hiſtoriæ ſtudioſus; indè mihi dicat bonâ fide, utrùm eos cum antiquorum *Annalibus* quibuſlibet, jure meritóque componere, non valeamus. *Hiſt. l. 129. p. 1051. Edit. Genev. 1620.*

SECT. XXXI.

Etſi noſtratis Hiſtoriæ corpus integrum, pro rei dignitate concinnatum, Latinè nondum habemus; Anglicè tamen qui id multâ cum laude præſtiterunt, habemus. Johannis Speedæi Theatrum Britannici Imperii oppidò illuſtre, à noſtris adoleſcentibus imprimis contemplandum. Præſertim ab iis, qui regiones exoticas viſere cogitant.

JAM verò, ſi quis ex noſtratibus, & noſtræ Hiſtoriæ ſtudioſus, adeò delicatus ſit, ut penſum nimii laboris, ac tædii arbitretur, totidem pervolvendos ſuſcipere Auctores; malitque unum aliquem (quem reliquorum inſtar habeat,) optare, eique ſoli inſiſtere, atque adhærere: Meminerit ſuprà notatum, neminem talem Latinè extare, qui noſtræ *Britanniæ* Hiſtoriam, à primo incolatu, ad poſtrema hæc tempora, ſatis dignè produxerit: linguâ tamen vernaculâ, nonnullos extare, qui multâ cum laude hac ex parte deſudârunt. Quos inter, clariſſimum virum *Johannem Speedæum*, principe loco, Hiſtoriæ *Britannicæ* ſtudioſo commendare nullus dubitem. Is peragratâ *Magnâ Britanniâ*, ſcriptoribus patriis, aliiſque curiosè pervolutatis, Archivis, Tabulariis, Monumentis publicis, veteribuſque

buſque ſchedis excuſſis, *Theatrum* ſtruxit *Imperii Britannici*, ſplendidum meherculè, & meritò ſuſpiciendum: quod quidem operoſo admodùm, & valdè impendioſo bis ſeptem annorum labore, libris (quaſi *Scenis*) decem abſolvit; hoc ordine. In *Primâ Scenâ*, totius Regni facies, cum ſuis diſtinctis regionibus, urbibuſque præcipuis, graphicè depingitur. *Scena Secunda Walliæ* provincias, accuratè etiam deſcriptas, oculis repræſentat. *Tertia*, totius Regni *Scotiæ* inſignem exhibet delineationem. *Quarta*, Regnum *Hiberniæ* ejuſque partes ſingulas, ſuis tabulis oſtentat. Neque nudas tantùm imagines, aut chartas ſolummodò *Chorographicas*, exactiſſimè licèt, & exquiſitiſſimè ſculptas, in hiſce primis quatuor Scenis (tanquam χωρὰ προσωπα) ſpectandas propoſuit; ſed etiam memorabilia quæque potiſſima, in quâlibet regione notatu, vitúve digniſſima, ſuccinctis narrationibus adjunctis, propalavit. Inde ſi ad *Quintam Scenam* Lector oculos convertat, Situm, circuitumque *Britanniarum*, Nomina priſca, primos incolas, mores, politias, Reges, & Rectores primos agnoſcet: ibi etiam priſcorum *Britannorum* effigies, indumentorum, veſtiumque figuras pulchrè deſcriptas, inveniet. Ad *Scenam Sextam* pergat; ibi *Monarcharum*, præſidumque ſucceſſionem, reſque geſtas ediſcat: eorum ſcilicet, qui, dum Romani hîc rerum potiti ſunt, floruerunt. *Septima Scena* Reges *Saxonicos*, & *Monarchas Anglicos* monſtrat; ubi eorum quóque temporum memoriam, Auctor diligenter exponit. *Scena Octava Danorum* originem, expeditiones, atque incurſiones in *Angliam*, necnon facinora lectu digniora, commemorat. *Nona*, *Normannorum* appulſum, victoriam, *Conqueſtoris*, ſucceſſorumque cunctorum ejuſdem Hiſtorias, ordine pertexit. Denique *Scena ultima* lætiſſimum regis *Jacobi* introitum, fœliciſſimam duorum regnorum unionem, pacem cum univerſis Regibus, Principibuſque

buſque circumvicinis ſtabilitam, complectitur: inde pro coronide, venerabilis Auctor, parricidium illud infandum, atrox, inauditum, horridum, horrendo ſulphurei pulveris impetu perpetrandum; ſed divinitùs, & miraculosè patefactum, oppreſſumque, ſtylo quidem (uti reliqua omnia) vivido, minimèque affectato, luculenter exequitur. Quamobrem adoleſcentibus noſtris magnoperè hortator ſum, iiſque inprimis, qui nobilitatè ſtirpis præſtant, & ſtudio peregrinandi ducuntur; ut hoc pulcherrimum ſuæ *Britanniæ Theatrum*, parteſque ejus ſingulas, oculis priùs diligenter obeant, quàm regiones exoticas peragrare, genteſve alienigenas inviſere aggrediantur: licèt enim haud inficias iverim, oppidò laudabile ſtudium eſſe, varia gentium inſtituta cognoſcendi, multorum populorum ritus, moreſque explorandi, formas denique diverſarum urbium videndi, undè Πολύτροπος multifariæ prudentiæ compos audivit *Ulyſſes*: præpoſterum tamen, ne dicam abſurdum, arbitror eſſe deſiderium, aliena, & longinqua luſtrare velle, citeriora, & domeſtica prorsùs negligere: exteras urbes, & procul hinc remotas quærere; noſtras, & proximas, vix ſemel vidiſſe, aut noſſe. Præſertim cùm *Britannia* noſtra, una ſit totius orbis inſula celeberrima, multaſque habeat civitates præclaras, multa templa religione auguſta, antiquitate veneranda, ornatu & ſplendore conſpicua; montes famâ nobiles; fontes uſu & efficaciâ mirabiles; fluvios navigabiles; portus tutos; atque alia plurima ſpectatu, cognituque digniſſima. Primas itaque *Theatri* prædicti quatuor *Scenas* (iterùm vos hortor Adoleſcentes) diligentiùs intuemini, partemque *Geographicam* attentiùs perluſtrate; fallor, ſi qua uſpiam ſub cœlis regio, pluribus ſpectandorum monumentorum inſignibus, ſe jactet. Indè per ſex reliquas ite *Scenas*, partemque Hiſtoricam ſeriò percurrite; ſpondeo, res in omnes partes valdè memorabiles reperietis: neque

Turpe, & cive ſubdito indignum, externa inquirere, & res peregrinas admirari; bona verò patria, ac propria, non conſiderare: nec poſſitam ante oculos principum ſuorum virtutem ſuſpicere, & magnificere. Georg. Fabric.

neque ſanè (opinor) terrarum ulla eſt, quæ tot illuſtrium alumnorum factis ingentibus, tam meritò gloriari poſſit. Denique, illud certò ſciátis licet, quantò quis veſtrum hæc noſtra magis habeat in numerato, & cum aliis, ubicunque appulerit, promptiùs communicare dignatus fuerit; (quod plerunque plurimùm deſideratur :) tantò gratior exteris hoſpes accedet, tantóque liberior ei dabitur poteſtas, viciſſim percontandi (ſicuti à peregrinantibus fieri convenit) de moribus gentis, de legibus, de facie cujuſque urbis, de principibus, bellis, caſibus, aut ſi quid aliàs eventuum, illuc inſigne fuerit annotandum. Atque ita demùm, optatis peregrinationis ſuæ fructibus, longè refertior domum redibit. Hactenùs autem de Hiſtoricis civilibus, ſive politicis dictum; quo loco, & quo ordine ſint legendi.

MAN-

MANTISSA,

DE

HISTORICIS

Gentium Particularium,

QUA

Vetuſtioribus, quàm Recentioribus.

ARTIC. I.

Inſtitutum, & ratio iſtius Appendicis. Quo ordine in Hiſtoriis Particularibus progrediendum. Præcipui cujuſque Gentis ſcriptores ſeligendi. Hiſtorici ſequioris ſæculi, cum Antiquioribus collati.

HActenùs quidem de Hiſtoricis *Civilibus* Author noſter, ad *Eccleſiaſticam* Hiſtoriam Lectorem ſuum mox deinceps deducturus; quem tamen nos paucis hic morabimur: neque ullus ambigo, pronam fore, & facilem tam importunæ interpellationis veniam apud eos, quicunque * κύκλον ἱστορικὸν emetiri, atque abſolvere ſatagunt; ſi forteàn

* Κύκλον *app. biſt. ſuæ Dionyſ. Mil. teſt. Sui. & Pind. Sch.*

teàn ipſorum ſtudio iſtos quales quales conatus, quocunque tandem modo, obſtetricari ſentiant. Fatiſcente quondam ſub mole ſuâ *Romano Imperio*, tandémque divulſo planè ac diſtracto, propriis unaquæque Gens viribus nixa, res ſibi ſuas domi ac foris geſſit; atque inde *Peculiares* gentium Hiſtoriæ dimanârunt: quas (*Britannicis* duntaxat exceptis) intactas, atque inſalutatas præterire, Authori viſum eſt; in hanc igitur meſſem, falcem noſtram immittemus, de *Hiſtoriâ* (ut *Romanè* loquar) *Barbaricâ*, hoc eſt, gentium earum quæ aut partem hodiéque obtinent veteris *Romani* Imperii, aut eorum jugo nunquam colla ſubdiderunt, nonnihil *Appendicis* huc adjecturi; in quâ Scriptores, ſeu antiquioris, ſeu ſequioris ævi, qui celebriorum populorum res, & geſta monumentis ſuis illuſtrârunt, ſaltem exhibere, & παχυλῶς utcunque deſignare voluimus: curioſiùs quidem omnes adquirere, & percenſere, non hujus eſt inſtituti, (& herclè quis unus valet?) ſollicitè etiam digerere, & ἀκριβεστέρως de iis agere, & res erat anxia, neque noſtræ tenuitatis.

Supra Sect. 27.

Illud in limine monendum eſſe φιλοΐστορα duximus, hanc rationem atque ordinem in eis evolvendis commodiſſimè inſtitui, ut ab Antiquitatibus ſuæ gentis auſpicetur, (ut v.g. *Britannus* à *Britannicis*.) Inde autem ad gentes alias ſe conferat; & quidem eas primùm, quibus cum gente ſuâ fœdus, commercium, aut bellum ſit. Quin utile etiam fuerit, in quâvis gente primorem aliquem ſeligere, qui potiſſimas in ejus gentis Hiſtoriâ obtinere videtur: ut in Germanicis *Lambertum Schafnaburgenſem*, in Auſtriacis *Lazium*, in Hungaricis *Bonfinium*, in Gothicis *Jornandem*, in Danicis *Saxonem Grammaticum*, in Sclavicis *Helmoldum*, in Longobardicis *Paulum Diaconum*, in Polonicis *Chromerum*, in Pruſſicis *Stellam*, in Bohemicis *Æneam Sylvium*, in Helveticis *Simlerum*, in Burgundicis *Heuterum*,

Heuterum, in Saxonicis *Crantzium*, in Boïcis *Aventinum*, in Flandricis *Mejerum*, in Batavicis *Grotium*, in Francicis *P. Æmylium*, in Hiſpanicis *Marianam*, atque ita in aliis. Sciat interim Lector Hiſtoriæ Barbaricæ ſtudioſus, Scriptores iſtos in quibus verſabitur, pleroſque omnes longè infra illos Majorum gentium auctores ſubſidere, qui *Græcum* & *Romanum* nomen ſtylo ſuo ornârunt, atque ab eorum virtute & dignitate multùm abeſſe, tum quoad alia, tum præcipuè ſi dictionis rationem ſpectemus: ſiquidem plurimi, in illis caſcæ ætatis tenebris, ejuſmodi utuntur ſermone, qui terſis & delicatis auribus, horrore ſuo & ſcabritie, nequit non eſſe faſtidio. Si qui autem politiores Gratiis & Muſis litare voluiſſe videantur, ii ferè medii illius ævi ſcriptorum ſimiles eſſe maluerunt; nec *Cæſarem*, *Saluſtium*, *Livium*, cæteroſque Hiſtorici Senatûs Principes, in quibus ſuccus ille & ſanguis nativi Latii inerat; ſed *Eutropium*, *Oroſium*, *P. Diaconum*, & alios, qui ab illa ἀκμῇ indeflexæ maturitatis non minùs ſtylo quàm ſæculo abfuerunt, imitandos ſibi duxerunt. Verùm rari ſunt, qui faſtigium illud perfectæ ætatis ante oculos habuerunt, rariores qui fœliciter huc collimârunt. Atqui nec hoc nomine inſectandi ſunt, aut repudiandi; ſed veniâ potiùs digni, qui temporum magis vitio, quàm ſuâ culpâ peccârunt: in nummis veteribus pondus & materiam, potiùs quàm ſculpturæ elegentiam ſpectamus; itidem in authoribus, quorum virtus quâdam ſeculi iniquitate preſſa humi jacuit, rerum momenta magis attendenda, quàm orationis vel nitor vel lenocinium. Quod *Cicero* de Philoſopho dixit, *ſecum ſi adſerat eloquentiam, non aſpernari, ſi non adſerat, haud admodùm flagitare*; idem nobis de Hiſtorico uſurpandum. Qui verò poſt ea tempora ſcripſerunt, quibus (ut rerum omnium circuitus eſt,) literarum atque eloquentiæ honos revireſcere cœpit; ii Hiſtori- *1. de Fi.*

àm magis illuſtrârunt, & pro dignitate ſuâ tractârunt: adeo ut habeant quæ deinceps ſecuta ſint ſecula, quos *Veteribus* opponendos eſſe ſi dixerim, ſummorum virorum ſuffragio non deſtituerer: Etenim *Guicciardinos*, *Cominæos*, *Æmylios*, Antiquorum *Livii*, *Saluſtii*, *Taciti* non cedere; ſed de palmâ cum iis contendere, non infimæ eruditionis viri jamdudum cenſuêre.

ART. II.

Hiſtorici Germanorum, ac populorum omnium, qui ab Alpibus uſque ad mare Balticum, & à Rheno uſque ad Viſtulam ſedes habent: quibus conjuncta eſt Hiſtoria Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Herulorum, Helvetiorum, Longobardorum, Polonorum, Moſchovitarum, Danorum, Suecorum.

DE ſitu, moribus, ac populis omnibus *Germaniæ* Veteris, *Libellum* habemus *Corn. Taciti*; cui res *Germanicas* probè notas fuiſſe, inde etiam exiſtimare par eſt, quòd in *Germaniâ* militaverit, & *Belgicæ Galliæ* ſub *Hadriano* Imperatore Procurator fuerit: Idemque paſſim in *Annalibus*, rerum *Germanicarum*, & præcipuè expeditionis *Cæſaris Germanici*, & *Arminii Cheruſcorum* Ducis ab eo devicti, meminit. Sed prælium *Arminii*, quo *Quintilium Varum* ad internecionem uſque cecîdit, nemo eorum qui ſuperant, fuſiùs & planiùs deſcripſit quàm *Dion*, libro 56. *Ammianus* etiam *Marcellinus* (qui & ipſe in *Germaniâ* ſub *Conſtantio* & *Juliano* Imperatoribus militavit) plurima de Francis, Alemannis, aliiſque gentibus Germanicis, & vera,

Clar. an. Chr. 108

Contigit. an. Ch. 10

Clar. an. Chr. 388.

vera, & cognitu utilissima commemoravit. De Germanorum primâ origine, moribus, institutis, legibus & memorabilibus pace ac bello gestis, libros 31. scripsit *Huldericus Mutius Hugwaldus*; in quibus eorum Antiquitates, & res gestas à primordiis, usque ad annum Æræ Chr. 1539. ex probatioribus Germanicis scriptoribus deduxit. *Abbas Urspergensis* (Conradus à Liechtenaw) *Chronicon* condidit à *Belo* primo Assyriorum rege, usque ad annum 9. *Frederici* secundi (hoc est ad annum Chr. 1229.) qui in cæteris quidem brevissimus, in rebus verò Germanicis, præcipuè sui ævi, & sæculorum quæ proximè antecedunt, fusior est; *atque ea habet* (inquit *Doct. Vossius*,) *quæ magno cum fructu legantur*. *Urspergensem* continuavit *Gasparus Hedio*, Παραλειπομένοις illi adjectis rerum memorabilium, ab anno Chr. 1230. ad 1537. qui præterea etiam *Chronicon Germanicum* scripsit. *Lambertus Schasnaburgensis*, Historiæ Germanicæ (quam perducit usque ad ann. Chr. 1077.) *Volumen unum* (verbis *Trithemii* utor) *insigne, & jucundæ lectionis scripsit*: de quo hujusmodi est *J. Lipsii* judicium, cum in Germanicis (ut & *Rod. Toletanum* in Hispanicis) *bonum esse, quantùm potuit in tali ævo*. Sed illustre inprimis est elogium Eruditiss. *Jos. Scaligeri* in libris de Emend. temporum. *Equidem miror in sæculo tam barbaro, tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum putatione solertiam fuisse, ut in Chronologis nostri temporis pudorem aliquem exprimere possit, si aliquem sensum harum rerum haberent*. Nec reticebo quid *Phil. Melanchthon* de eo judicaverit; *nondum vidi*, inquit, *e Germaniæ Scriptoribus, eo argumento quicquam diligentius esse expositum, tametsi quædam admiscuerit de privatis rebus, indigna posterum memoriâ*: quo nomine, (ut & quòd in rebus ad controversiam inter *Hen. 4.* & *Gregor. 7.* spectantibus, fides ejus nonnihil claudicaverit,) aliorum etiam censuram

Cla. 1551

Cla. 1230

De Hist. Lati. l. 3.

Cla. 1077

Chron. l. 1.

Not. ad Polit. l. 2 c. 9.

Præf. ad Gaspar. Chur.

non effugit. Schafnaburgenſem *Monachus* quidam *Erphordenſis*, uſque ad annum 1472. perduxit; qui & præterea de Landgraviis Thuringiæ Hiſtoriam confecit. *Marianus* etiam (natione *Scotus*)
Cl. 1080. Monachus *Fuldenſis, vir ætate ſuâ admodùm diſertus*, (ut de eo *Sigebertus*) Chronicon perduxit uſque ad ſua tempora, h. e. annum 1073. libris tribus; quod *Dodechinus* uſque ad annum 1200 con-
Clar. an. 1150. tinuavit. Itidemque *Otto Friſingenſis* (à *Friſingâ* in Noricis, non *Friſienſis*, ne Æneæ Sylvio credas) proſapiâ Imperatoriâ oriundus, rerum ab orbe condito ad ſua uſque tempora (h. e. *Frederici* I. ann. Chr. 1146.) Chronicon libris VII. complexus eſt; (octavus enim non hiſtoriam, ſed diſputationem de Antichriſto, reſurrectione mortuorum, interitu mundi, & extremo judicio continet;) quod à vetuſto quodam authore continuatum eſt uſque ad annum 1210. Idemque *Otto* res geſtas Frederici I. (cognomento Ænobarbi, ſeu Barbaroſſæ) patruelis ſui, ipſius juſſu atque ſubſidio, libris duobus conſcripſit (quos, adjectis aliis duobus, *Radevicus* ad annum 1160. deduxit,) in quibus, judicio Æneæ Syl. qui poſtea *Pius* Pontifex dictus, veritatis uſque adeò legem ſervavit, ut *quamvis Friderici hujus patruus eſſet, nil tamen cognatio obſtiterit veritati. Luitprandus Ticinenſis* ab *Arnolpho*
940. Imperatore Germaniæ, & anno 891, quo *Saraceni* Fraxinetum in *Italiâ* occupârunt, exorſus, res præcipuas per totam Europam ſuâ ætate geſtas, quibus pleriſque ipſe interfuit, uſque ad annum 963. ſex libris conſignavit. Fuit ille Berengario ſecundo Italiæ Regi à ſecretis; à quo pulſus, ad *Ottonem* I. fugiens; Francofurti ad Mœnum Hiſtoriam hanc
1536. conſcripſit, teſte ipſo lib. 5. cap. 14. *Beatus Rhenanus* luculentos rerum Germanicarum commenta-
1533. rios lib. 3. concinnavit. *Joan.* etiam *Aventinus* Germaniæ illuſtratæ libros 10. exaravit; idemque inſuper Annales Bojorum à Diluvio, uſque ad annum

num Chr. 1460. libris ſeptem complexus eſt: (de eo quàm malè ſenſerit Baronius, liquet ex T. 9. ad annum 772.) *Geor. Fabricius* Chemnicenſis, rerum Germaniæ Magnæ, & Saxoniæ univerſæ Memorabilium volum. 2. Denique, ſcriptores aliquot inſignes rerum Germanicarum, anteà incognitos, uno volumine edidit primùm *Marq. Freherus.*

ART. III.

Hiſtorici Auſtrorum.

DE antiquâ & verâ origine domûs Auſtriacæ, libros ſeptem condidit *Franc. Guillimannus*: *cl.* 1500. Hiſtoriam verò Auſtriacam libris 4. comprehendit *Wolfg. Lazius* Viennenſis: & Annales Auſtriæ *Gerh. de Reo*, & *Conr. Decius* conſcripsêre. Extat etiam Chronicon ducum Bavariæ & Sueviæ, incerti authoris. His adjungendi *Ric. Bartolini Peruſini* Auſtriados libri 12. qui de Bello Norico, ſive Ducum Bavariæ, & Principum Palatinorum agunt: quod opus Scholiis illuſtravit *Jac. Spigelius* Seleſtadienſis. 1510.

ART. IV.

Hiſtorici Hunnorum, Hungarorum.

RErum *Hungaricarum Chronicon*, ab ipſius gentis incunabulis, & rege *Attila*, uſque ad *Matthiam* regem Diademate indutum, quod incidit in annum 1464. perduxit *Joh. de Thwrocz* ſive *Turocius* (à *Turocenſi* provinciâ) de quo Trithemius; *Joh. Thuroth Pannonius, vir in ſæcularibus literis ſtudioſus & exercitatus, ac divinarum ſcriptu-* *cl.* 1494.

rarum non ignarus, ingenio præstans, & clarus eloquio. Rerum autem Hungariæ Historiam, quæ Decades 4. cum dimidiâ complectitur, & usque ad *Matthiæ Hunniadis* mortem & Uladislai initia (ad annum 1495,) pertingit, elegantissimè con-
1456. cinnavit *Anton. Bonfinius, Matthæi* ipsius regis impulsu. Indices etiam (ut appellat) rerum Hun-
Præf. ad Ranz. garicarum condidit *Pet. Ranzanus*, de quo ita *Joh. Sambucus*, (qui primus eum è situ & tenebris, in lucem produxit,) *Variæ apud antiquos rationes colligendarum historiarum fuisse videntur; hic verò Auctor per Indices quosdam Regum à Beatrice sibi Viennæ datos, ex iisdem unde Bonfinius sua descripserat, ita deduxit ac illustravit, ut, qui de rebus Hungaricis aliquid prodiderunt, nullâ ex parte sit illis postponendus; etenim hâc brevitate cuncta eleganter est complexus, ac nihil quod in historiâ requiritur, uspiam omisit: Atque hoc nomine hic scriptor vel præcipuè cognoscendus, quod aliqua in Bonfinio vel interrupta, vel mendosa librariorum incuriâ cùm sint, hinc omnium admoneri, & non parùm ad sinceram & integram veritatis cognitionem juvari queamus.* Hæc
1490. ille. *Phil. Callimachus Experiens* de rebus ab Uladislao, Poloniæ atque Hungariæ rege, opus composuit; quod non dubitat *Jovius* dicere adeò elegan-
In Eloz. ter atque exactè compositum esse, *ut omnes qui à Cornelio Tacito per tot secula id scribendi genus attigerint, suo judicio superârit.* De Bello Panno-
1530. nico scripsêre *Melchior Soiterus*, & *Petrus Bizarrus*.

ART.

ART. V.

Hiſtorici Gothorum, Danorum, Sclavorum, Suecorum

DE bellis Geticis, Græcè ſcripſere *Procopius* lib. 3. *Agathias* etiam *Smyrnæus* l. 5. Latinè *Jornandes* Epiſcopus Gothorum lib. 2. qui *Aur. Caſſiodori* (erat is *Theodorico* Gothorum regi ab Epiſtolis) hiſtoriam de reb. Gothicis, 12. libris comprehenſam, in epitomen redegit. De origine Gothorum, & regno Suevorum & Vandalorum, hiſtoriam condidit *Iſidorus Hiſpalenſis*: De omnibus etiam Gothorum Suecorumque regibus, *Johannes Magnus*; (qui & de Epiſcopis Sueciæ libellum confecit.) *Leon. Aretinus*, cujus ea laus propria eſt, quòd *primus Græcarum literarum decus* (ut de eo in *Elogiis* refert *P. Jovius*) *à multis ſeculis barbarorum immani tyrannide proculcatum, erexit atque reſtituit*; is Hiſtoriam Gothorum contexuit, ſed hîc adeò nil affert, quod non è *Procopio* deſumpſerit; ut verius ejus Paraphraſtes videatur. De Gothis ſimul & Longobardis ſcripſit *Hieron. Rubeus.* Danicæ gentis Hiſtoriam *Saxo Grammaticus* libris 16. ex altiſſimâ vetuſtate ad ſua uſque tempora, & regem Canutum ſextum, ac Waldemarum fratrem, S. Canuti nepotes, ferè uſque ad annum 1200. deduxit. In eo non omnia ἀξιοπίστως ſunt admittenda, cùm in pleriſque ſubleſtâ ſit fide: neque tamen tantus eſt fabulator, ac nonnullis videtur, qui eum nullo habent loco: inter quos eſt *Geor. Becanus*; de quo minùs eſt mirandum, cùm argumentum tractet non παράδοξον modò, ſed etiam ἄπιστον. Quod ad dictionem attinet, *tanta* (inquit Cl. *Voſſius* l. 2.) *eſt ejus elegantia, ut ætatis illius captum planè excedat; imò cum antiquiorum,* *Cla.* 530. 550. 540. *Cla.* 1420 1220. *De Hiſt. Lat.*

410. *& noſtri ſæculi plurimis certet.* *Idacii* Chronicon Danicum à Theodoſio magno, uſque ad annum Ch. 400. pertingit. Regum Daniæ res monumentis ſuis conſignârunt *Joan. Bocerus*, & *Erpoldus Lindenbruch.* Prodiit etiam *typis Plantin.* 1596. Hiſtoria compendioſa de regibus Dan. uſque ad Chriſtianum IV. deducta. Rerum Danicarum terrâ marique geſtarum, Friderico 2° rerum potiente, commentarios, bella Dithmarſicum & Suecicum, maximè memoratu digna, complectentes, elaboravit *Gaſpar Ens.* Res geſtas à *Chriſtiano* primo, Johanne ejus filio, & nepote Chriſtiano 2, ab anno ſcilicet Chriſti 1448 ad annum 1523, tribus li-
Cla. 1516 bris complexus eſt Cl. *Joh. Meurſius.* Alb. *Crantzius* Hiſtoriam ſcripſit Vandalicam lib. 14. & Chronicon aliarum rerum Septentrionalium, ut putà Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, quæ Gothia & Scandia dicta eſt: orditur à Caroli M. temporibus, &
1168. uſque ad annum 1504 progreditur. *Nicol. Mareſcalcus* de Herulis & Vandalis. *Helmoldus* Presbyter Sclavorum Hiſtoriam ab anno 800 ferè, & Saxonum vicinarúmque gentium per Carolum M. converſione auſpicatur, deducitque uſque ad annum 1168, quo & floruit: (uti ex *præfatione* ipſius liquet, temporibus ſcilicet *Barbaroſſæ.*) Inde verò incipit *Arnoldus Abbas* Lubeccenſis, qui præfatio-
1210. nem ſic orditur; *Quia bonæ memoriæ Helmoldus ſacerdos Hiſtorias de ſubactione ſeu vocatione Sclavorum, & geſta Pontificum, quorum inſtantiâ Eccleſiæ harum regionum invaluerunt, debito fine, ut voluit, non conſummavit: Deo cooperante, huic operi vel labori inſiſtere decrevimus.* Supplementum ſuum uſque ad tempora Ottonis 4. perducit (ſub quo
De Hiſt. Lat. l. 2. & ipſe vixit.) De eo Doct. *Voſſius*; *in rebus Sclavonicis fide dignus eſt*; *non iis item, quæ de Galliæ, Siciliæ, Græcorúmque rebus adnectit*; *in quibus ſutiùs ſit alios audire, qui ex profeſſo de iis tractarunt.*

ART.

ART. VI.

Hiſtorici Longobardorum.

DE rebus Longobardicis libros 6. conſcripſit *Paulus Warnefridus Diaconus* Aquileienſis, (fallitur enim oppidò Raph. Volaterranus, qui hunc alium fuiſſe à Diac. *Aquilegienſi* exiſtimat) Deſiderii Regis Longob. Cancellarius; de quo Sigebertus cap. 61. *Hiſtoriam quoque Vinnulorum, qui poſtea nominati ſunt Longobardi, luculento & plano ſermone ſcripſit.* De Gothis & Longobardis *Hieron. Rubeus.* Res ſuis temporibus geſtas in Inſubribus & Euganeis (h. e. in Lombardiâ, & vicinâ Marchiâ Tarviſinâ) tribus libb. complexus eſt *Monachus Paduanus* (incerti nominis.) Orſus ab A. C. 1207. quo Azo Marchio Eſtenſis à Monticucullis, Veronâ ejectus fuit, ad annum pervenit 1270. quo Chriſtiani Principes in Africam tranſeuntes, Carthaginem cœpêre, & Tunetanam urbem obſederunt. De rebus etiam Longobardiæ *Flav. Blondus* Italiæ illuſtratæ lib. 7. (qui pluribus Pontificibus Romanis à ſecretis fuerat, ad cujus honorem & illud non parùm ſpectat, quod ſcripta illius in Epitomen contrahere non dedignatus ſit *Pius Pontifex Max.*) & paſſim Scriptores Italici. Cla. 780. 1274.

ART. VII.

Hiſtorici Polonorum, Boruſſorum.

DE Origine & rebus geſtis Polonorum, Hiſtoriam contexuit libris 30. *Mart. Chromerus*; & primis quidem decem, (ait ipſe in procemio Operis) originem, & prima incunabula gentis ſub barbaris 1552.

barbaris & Idololatris Ducibus; deinde florem juventæ ſub Chriſtianis Regibus; morbum denique & κακεξίαν quaſi ægrotantis Reip. ſub pluribus ac diſſidentibus inter ſe principibus, poſt ſublatum regnum, perſecutus eſt. Idem & de ſitu, populis, moribus, magiſtratibus, & republicâ regni Polonici ſcripſit lib. 2. *Alexander Gaguinus* etiam de rebus Polonicis à *Lecho* primo gentis duce, uſque ad *Henricum Valeſium*. *Joh. Decius lib.* 1. de Vetuſtatibus Polonorum; idemque de *Jagellonum* familiâ; & de Sigiſmundi Regis temporibus. *Mat. Michovius* Chronicon Poloniæ à primo gentis ortu, uſque ad annum 1504. libris 4. contexuit (eſtque is paulò horridior, *Chromerus* verò politior.) *Joan. Dugloſſus*, qui & *Longinus*, Leopolienſis Epiſcopus, maximis Legationibus ſub Caſimiro 3. Polon. Rege functus, liberorum quoque ipſius præceptor, Chronicon Pol. uſque ad annum 1480. perduxit, quo & ipſe deceſſit. *Philippus* etiam *Callimachus* Polonicam Hiſtoriam contra Turcas condidit. De Boruſſiæ Antiquitatibus, *Eraſmus Stella* Libanothanus, libros duos conſcripſit, quos Friderico Saxoniæ Duci dicavit; quorum prior de veteribus Incolis, eorum propagatione, nominibus, & moribus agit; poſterior de priſcis Regibus, eorumque ſucceſſione in Boruſſiâ. Sequi autem ſe ait Annales Boruſſiæ, item *Jornandem* de Gothis, *Helmoldum* de Sclavis, nec non *Albertum Magnum* qui Boruſſiam peragavit, atque alios.

1540.

1479.

1508.

ART.

ART. VIII.

Hiſtorici Bohemorum, Suitiorum ſeu Helvetiorum, Saxonum.

Coſmus Pragenſis Eccleſiæ Decanus, in *Chronico* Bohemico (quod tres lib. complectitur) gentis originem, & res priſcorum Ducum, uſque ad *Wartiſlaum* primum Regem, creatum ſub Henr. 4. Imp. ad annum Chr. 1086. exequitur. *Dubravius* etiam, ab origine Gentis uſque ad Ferdinandum Imperatorem, Hiſtoriam libris 33. perducit. *Æneæ* verò *Sylvii Hiſtoria Bœmica* pertinuit uſque ad Fridericum 3. ad annum ſcil. 1458. (quo eodem, ipſe Romanus Pontifex factus, *Pii* 2. nomine:) de totâ quidem Ducum & Regum ſerie, uſque ad Georgium Poigebrachium agit; in rebus autem *Huſſitarum*, iiſque quæ ſub Sigiſmundo Imp. contigerunt, multò eſt diffuſior. De vitâ ſuâ Commentarium conſcripſit *Carolus* Bohemiæ Rex, qui idem poſteà Imperator IV. Georgius Bartholdus de Hiſtoriâ Bohemicâ. 1416. 1458.

De Antiquitatibus & rebus *Helvetiorum*, *Frant. Guillimanus* lib. 5. contexuit: eorundemque res geſtas ad ſua uſque tempora narravit *Henr. Suizerus*, in *Chronologiâ Helveticâ*. De fœdere ac Rep. Helvetiorum, *Joſias Simlerus*; qui & de eorum rebus à Rudolphi imperio, uſque ad Carolum quintum ſcripſit.

De Weſtphalorum ſeu antiquorum *Saxonum* ſitu, moribus, virtutibus, & laudibus *Wernerus Rolevinckius* lib. 3. De rebus geſtis Saxonum *Witikindus Saxo* lib. 3. *Albertus Crantzius*, (cujus hiſtoriam continuavit Anonymus quiſpiam.) *David Chytræus* in Chronico Saxoniæ, & vicini orbis Arctoi, ab anno Chr. 1500, uſque ad 1599. *Georgius* 950. 1520.

gius Fabricius Saxoniæ Illuſtratæ libb. 2. qui perducuntur uſque ad annum 1606. *Joh. Garzo* de rebus Saxoniæ, Thuringiæ, Miſniæ. *Rein. Reinecc-cius* de familiâ, & rebus geſtis Palatinorum Saxoniæ. *Cyriacus Spangenbergius* Chronicon Saxon. Denique *Sebaſt. Boiſſelinerus* de obſidione Magdeburgicâ.

ART. IX.

Hiſtorici Celtarum ſive Gallorum, & Francorum; quo nomine eos omnes complectimur populos, qui Rheno, Pyrenæis, Alpibus, & utroque mari cinguntur.

REgni Gallici, quod nunc Franci tenent, Scriptores primarii (ut de vetuſtis nihil dicam,
Clar. ante Chr. 43. viz. *Jul. Cæſare* de Bello Gallico l. 7. & *Hirtio*,
qui eum excipit, & *Appiano*, cujus *Celticus* huc
Poſt Chr. 620. ſpectat) ſunt iſti; nimirùm, *Gregorius Turonenſis* Epiſcopus, qui libro 1. Hiſtoriam ab initio mundi ad Theodoſium primum Imperatorem perducit; reliquis *novem* lib. res geſtas Regum Francorum ad ſua uſque tempora, & annum Chr. 594.
Floruit an. 1530 exponit: liber autem undecimus, (qui à *Fredegario*, ut putant, adjectus eſt,) in Caroli Magni obitu (qui contigit anno 814.) deſinit. *Paulus Æmylius Veronenſis*, *Livianæ* facundiæ æmulus; (de quo ſupra Sect. 26.) qui, teſte *Reinero Reineccio*, Hiſtoriæ ſuæ 30 annos impendit; de quâ (præter *J. Lipſii* elogium, qui inter alia cenſet eum, ſi
Orat. de Hiſtor. Not. ad 1. Pol. vel leviter, eáque pauca refingantur, virum fore ſupra omnem ævi noſtri notitiam, & planè ad priſcam laudem;) iſta eſt *Lud. Vivis* ſententia; *melioris fidei eam eſſe conſcriptam, quàm Gaguini Hiſt. qui*
De trad. Diſci. l. 5 *affectus ſuos miſcuit:* Hic à *Waramundo*, & primis Francorum Regibus, poſt excuſſam Romanorum dominationem,

minationem, ad Philippum & Carolum fratres, Ludovici filios, (hoc eſt ab anno 420, ad 1488.) pertingit. Poſt *Æmylium*, *P. Jovius* regum Francicorum Caroli 8. Ludovici 12. & Franciſci, bella, & res geſtas ornatè & eleganter deſcripſit. Etiam *Arnoldus Ferronius Burdigalenſis*, *Æmylii* Hiſtoriam à Carolo 8. ad Henricum 11. produxit. Ludovici 11. res geſtas, atque etiam filii ejus Caroli 8. perſpicuâ & eleganti oratione contexuit *Phil. Cominæus* (de quo ſuprà ſect. 26.) quem etſi *Jac. Mejerus* non uno loco dicat, in pluribus falli; tamen *Hiſtoricus eſt*, inquit doctiſſimus *Gerh. Voſſius*, *verax & prudens*: luculentum etiam de eo *Joan. Sleidani* elogium; *ſiquis autem eſt omnium, vel noſtræ, vel etiam paulò ſuperioris ætatis, qui prudentiâ & veritate proximè ad antiquos accedat, is meo quidem judicio eſt hic Auctor, quoniam graviſſimas deliberationes, habitas in ipſis regum penetralibus, antequàm in actum venirent, ponit ob oculos, & diligenter explicat, quod vix pauci fecerunt, & pauciores multò præſtare poſſunt; & ut poſſent, vix tamen audent, ne quid offendant.* Bella illa ingentia & atrocia, quæ inter Anglos & Gallos ab anno 1335 ad 1400 duraverunt, ornatè & copiosè perſecutus eſt *Joan. Froſſardus*; qui eò etiam magis fidem meretur, quòd Regum principúmque familias diu ſectatus ſit; inprimis Philippæ Comitis Hannonienſis filiæ, Edvardi III. Anglorum Regis uxoris; neque alia in libros retulerit, quàm quæ vel ipſe coràm vidiſſet, vel ab iis accepit, qui aut eas viderunt, aut rebus etiam ipſi præfuerunt. Ex eo, quæ cognitu digniora ſunt, excerpſit & Latio donavit *Joan. Sleidanus*. *Froſſardum* excepit *Enguer. Monſtreletus*, & Hiſtoriam *Gallicam* uſque ad Ludovicum XII. perducit. De rebus geſtis *Franciſci Valeſii* I. Franciæ Regis, ſcripſit *Martinus Longæus* Commentarios lib. 10. déque eodem Rege, *Steph. Doletus*: & *Galeatius Capella*, de bellis in Italiâ geſtis

1540. 1488. *In Ann. Flandr.* *Præf. ad Commen.* 1420. 1500. 1209. 1530.

geſtis circa *Mediolani* ditionem, ab anno 1520. uſque ad ann. 1530. inter *Carolum* V. Imperatorem,
1555. & eundem *Franciſcum*: quem ſequitur *Guil. Paradinus*, qui proximorum annorum Hiſtoriam, ad 1555. pertexit. Hiſtoriam *Gallicam* ſub Regibus *Henrico* II. *Franciſco* II. & *Carolo* IX. *Anonymus* quiſpiam (fortè *Franc. Hottomannus*) conſcripſit: *expeditionem* etiam *Henrici* II. adverſus *Carolum* V. Imp. Principum Germanorum gratiâ anno 1552. ſuſceptam, *Rabutinus*: De Carol. IX. e-
1556. jusque matre, *Euſebius Philadelphius*; (h. e. *Theod. Beza*, qui ſub hujus nominis involucro delitescere voluit.) Libros 7. hiſtoriarum *Henrici* IV. *Franciæ* & *Navarræ* Regis, *Pet. Matthæus* J. C. hiſtoricus Regius.

Præter eos autem, quos jam indicavimus, ſunt & alii rerum *Francicarum* ſcriptores, his adjiciendi; quales *Car. Molinæus*, qui de ortu & progreſſu, Regni & Monarchiæ Francorum, & Coronæ Fran-
1490. ciæ; & *Hubertus Leonardus*, qui etiam de Franco-
500. rum origine ſcripſit. *Hunibaldus Francus*, qui res Francorum à bello *Trojano*, ad Clodovei uſque tem-
Voſſius de Hiſt. Lat. l. 2. c. 22. pora deducit, eo loco habendus quo *Beroſus*, *Annii*, & ejuſdem farinæ nugatores; nihil enim eo ineptius aut nugacius, judice Clar. *Voſſio*. At long-
830. gè potiori loco cenſendus *Aimoinus Monachus*, *egre-*
Lib. 3. c. 21. *gius hiſtoriarum ſcriptor*; (ut eum appellat *Auctor de Regim. principatûs*; quod opus vulgò, ſed falsò, *Aquinati* addicitur:) qui geſta Francorum ab anno Chriſti 420. uſque ad ann. 826. libris V. complexus eſt; ad cujus fidem, hæc ipſius verba multùm ſpectant; *erat ſanè alius in eodem Monaſterio religioſus Monachus æquè ſacerdos & conuerſus*, (Barbaræ ætatis ſcabritiem patienter ferant aures terſiores;) *Audaldus nomine, ſpeciali ei familiaritate connexus, ætate ac vitæ moribus pænè conſimilis; cujus AB ORE quæ dicuntur, & multò etiam ampliora, nos in fide accepiſſe confidimus.* Nec te-

merè

merè prætereundus *Joan. Trithemius Germanus*, qui de origine, geſtis, & regibus Francorum ab anno Chr. 433. uſque ad annum 1500 à Chriſto, & *Maximiliani* ſecundum, tres Tomos condidit: aut *Nicolaus Gilius*, qui *Annales Francorum* compoſuit. Et *Hermannus Comes*, qui de eorum uſque ad annum 1525 egit: denique *Rob. Gaguinus*, qui res *Gallicas* à vetuſtiſſimâ earum origine, ad ſua uſque tempora, & ad expeditionem Caroli VIII. in Italiam, anno 1493. initam, deduxit; *admiſtis tamen, ut fama eſt, affectibus*, inquit de eo eruditiſſ. *Vives*: Nec tamen audiendus *Mejerus*, qui eum *ſcriptorem frivolum* appellat, quòd potiùs iniquo ejus de totâ Francorum gente, eorumque hiſtoricis, judicio tribuendum: de his enim ait; *res ſuas Galli non majori ſolent ſcribere fide, quàm gerere:* Atque ut de rebus patriis, ſuæ imprimis ætatis, ex nimio affectu hallucinatus eſt; ita in rebus etiam externis, non nimium ei tribuendum; utpote de quo *Fovius* pronunciet, eum *in rebus Italicis uſque adeò inſolenter, & pingui ſtylo cæcutire ſolere, ut, qui nulla orationis ornamenta in eo conſpiciunt, paſſim ejus imprudentiam ſtomachentur.*

1500. 1500. 1530. 1498. *Lib. 17. Re. Fla.* *In Elg.*

Sunt prætera, qui *Orientalium* expeditionum, & Regni Francorum Hieroſolymitani Hiſtorias ſcripſere, varii Auctores; quos pleroſque omnes, à tineis & ſitu Bibliothecarum vindicatos, collectos, ac magno ſtudio emendatos, in publicum dedit Doct. *Jac. Bongarſius* typis Weychelianis: quales *Robertus Monachus*, qui *Hiſtoriam Hieroſolymitanam* conſcripſit; *Anonymus Italus*, qui geſta *Francorum*, & aliorum ad *Hieroſolymam*, quibus ipſe plerumque interfuit, ut eò magis fidem mereatur; & *Baldricus Aurelianenſis*, qui ejuſdem cum *Anonymo* illo quinquenii Hiſtoriam narrat, ab anno viz. 1095 ad 1100; ut & *Raymundus de Agiles*, *Canonicus Podienſis*; hos excipit *Albertus* æduus Eccleſiæ

1099. 1100. 1100.

Aquenſis,

Aquenſis, qui ab Expeditionis *Godefridi Bullionii*,
1120. *& aliorum principum* initio, uſque ad annum 2. Regis Balduini II. progreditur 3 atque ita res 24 annorum, libris 12 *accuratè perſecutus eſt* (inquit *Voſſ. de Hiſtor. Lat. l. 3.* Doct. *Voſſius.*) Eum ſequuntur *Fulcherius Carnotenſis*, qui ab initio Belli Sacri, ad annum 1124 pertingit; & *Gauterus Cancellarius*, qui res ad *Antiochiam* geſtas, * *quibus ipſe interfuit*, deſcripſit:
1120. * *In præfat.* hos autem, *totius hiſtoriæ hujus princeps, doctrinâ non vulgari, & ſuprà ſæculum illud amenâ*, (quo
1184. eum elogio ornat eruditus *Bongarſius*) *Gulielmus Tyrius Archiep.* qui res in *Terrâ Sanctâ*, totâque *Syriâ* geſtas, per annos 84. (orſus ab anno 1095. & uſque ad annum 1180 perveniens) libris XXIII, complexus eſt; quem excipit Suffraganeus ipſius, *Acconenſis* Epiſcopus. Atque hæc de *Francis* dicta ſufficiant.

ART. X.

Hiſtorici Belgarum, Batavorum, Flandrorum, &c.

DE Flandris nil pænè memoriâ dignum ſatis ex fide traditum, ante annum 445. unde auſpicatus *Mejerus*, res Flandricas *Annalium* libris 17. complexus eſt; in quibus etiam *Comitum Flandrenſium* geſtas, à *Lyderico Harlebecano*, qui floruit circa annum Chr. 800, uſque ad *Caroli Burgundionis* exitum, qui obiit an. 1476. copioſè perſecutus eſt. *Had. Barlandus Chronicon* de rebus geſtis à Brabantiæ ducibus, à *Pipino* primo Duce (*Carolomanni*, filii *Braboni* tertii Brabantiæ Principis, antequàm hæc provincia Ducatûs nomen acciperet, nepos) uſque ad *Carolum* Philippi filium, Imperatorem Germaniæ, pertexuit.
1520. *Jacobus Marchantius* libros 4 de rebus *Flandriæ* memorabilibus conſcripſit:

ſcripſit: *Æmundus* de Ducibus Burgundiæ à bello Trojano, uſque ad Carolum 5. Imper. *Beiſſellus* de Flandrenſium geſtis. Et nuperrimè *Geneologias Flandricas, & Hiſtoriam Comitum Flandrenſium*, non ſine ingenti ſtudio condidit *OLivarius Vredius* J. C. *Brugenſis.* 1658.

Hadriani Junii Batavia, gentis & Inſulæ Antiquitates, originem & mores, aliáque ad eam Hiſtoriam ſpectantia exponit. *Noviomagi Hiſtoria Batavica* res à Batone primo Rege ad Carolum 5. Imper. Auguſtum uſque, & Carolum Geldrium, Batavorum principes exequitur. Nec reticendus *Gerhardus Geldenhaurius*, qui hiſtoriam Bataviæ condidit, cum *Appendice*, in quâ de vetuſtiſſimâ nobilitate, regibus ac geſtis Germanorum. *Hiſtoriam Gelricam* (ingens quidem opus) *Joh. Iſacus Pontanus*, Daniæ Regis & *Ordinum* Gelriæ Hiſtoricus, ipſorum Ordd. juſſu, à primordiis ad annum uſque 1581. perduxit. Hiſt. Friſicam *Utbo Emmius* & *Winſemius*; Daventrienſem *Jac. Revius* conſcripſit. 1530. 1640.

Ludovi. Guicciardinus res omnes, quæ in Europâ, maximè verò in *Belgio* evenêre inſignes, ab anno Chr. 1529. ad annum 1560. hoc eſt, à pace *Cameracenſi* inter Carolum 5. Imp. & Franciſcum I. Franciæ regem, *Laconicẽ* (ut ait ipſe) *perſtrinxit. Rerum Belgicarum* elegantiſſimos ſcriptores nobis dedit hoc ſæculum; *Joh. Meurſium*, qui res à Gul. Auriaco ejuſque tempore toto Belgio geſtas, ad exceſſum Lud. Requeſenſii (hoc eſt ab anno 1550 ad 1576.) libb. 10. complexus eſt: atque alio opere, Ferdinandi Albani ſexennium, & belli Belgici principium, libb. 4. quibus quintum attexit, in quo Induciarum Hiſtoria: *Fam. Stradam*, qui res ab exceſſu Caroli quinti Imp. hoc eſt, ab anno 1558. ad 1590. duabus Decadibus commemoravit: & *Hugonem Grotium*, qui Annalium Belgicorum libros quinque, Hiſtoriarum etiam

libb. 18. conſcripſit; quibus res in Belgio ab anno Chr. 1566. ad ann. 1609. (à digreſſu ſcil. Philippi II. Regis in Hiſpaniam, ad *Inducias*) geſta continentur. *

* *De Baudio, atque aliis jam taceo.*

ART. XI.

Hiſtorici Hiſpanorum.

RErum Hiſpanicarum ſcriptores ſecundùm quatuor hujus regni ætates fortè non incommodè diſtinguamus. Atque ita, infantia Hiſpaniæ à Pomponio Mela, quì ipſe Hiſpanus erat, obiter attingitur. Quæ autem ad adoleſcentiam ejus (ut ita appellem) ſpectant, quæ ſub Romanorum & Gothorum imperio fuit, ea ex Tacito, Dione, Vopiſco, Suetonio, Appiani Ibericis, Procopio, Euſebio denique & aliis petenda ſunt. Juveneſcere illo demùm tempore cœpit Hiſpania, quo jugum Mauritanum excutere eſt aggreſſa; quo in bello Septingenti & ampliùs anni effluxerunt; hæc itaque virilitas. Denique matura ætas cœpit Ferdinando Catholico imperante, qui Mauros ex Hiſpaniâ universâ prorsùs expulit: de hac & præcedenti ætate (præcipuè) ſcripſerunt iſti quos deinceps recenſebimus. *Iſidorus Pacenſis*, qui auctor Chronici Hiſpaniæ perhibetur; de quo rigidè Vaſæus cap. 4. Chronici ſui. *Iſidorus Pacenſis Epiſcopus etiam ſcripſit Chronicon Hiſpaniæ; cujus ſi eſt Chronicon illud, quod ejus titulo prænotatum vides, portentum potiùs dixerim quàm Chronicon, adeò prodigiosè ſcribit, & Gothicè potiùs, quàm Latinè.* 1244. *Rodericus Ximenes* Archiepiſcopus Toletanus, plurimum adeptus eſt gloriæ libris ix. quos de rebus Hiſpaniæ conſcripſit, quarum narrationem uſque ad tempora Ferdinandi III. producit: id *brevi ſed ſuavi eloquio eum facere*, ſententia eſt Rod. Sanctii Pal. Et doct. Lipſius, ait *eſſe bonum quantum potuit*

Not. ad Po. l. 1. c. 9.

in

in tali ævo. Præclarum quoque de eo est judicium Joh. Marianæ non uno in loco: nec præteribo quid Joh. Gerundensis censuerit; in rebus Hispanicis *laudabiles esse Trogum Pompeium, Orosium, & Isidorum Hispalensem; tolerabilem Roder. Toletanum, cæteros somnia contexere.* Idem iste *Johannes Margarinus* Gerundensis Episc. Παεγλειπόμενα Hispaniæ (ita appellat, quia ea refert quæ à proximorum saltem sæculorum Historicis præteribantur) lib. decem complexus est, ab adventu Herculis in Hispaniam, usque ad Theodosium seniorem, ejusque filios Arcadium & Honorium; quorum temporibus Gothi in Hispaniam fuere ingressi. *Johannes Mariana* à primordiis rerum Hispanicarum, ad eam usque ætatem, quâ Maurorum imperium in Hispaniâ eversum est, pertingit libris 20. atque indè usque ad mortem Ferdinandi Regis, hoc est ad annum 1516. aliis decem libris. *Franciscus Tarapha* ad Carolum V. Imp. Historiam perducit. Rodericus Sanctius Palentinus, qui Henrico IV. Castellæ & Legionis Regi à Sacris fuit, & à consiliis, ingenti volumine res Hispaniæ perpetuâ narratione ad suum usque sæculum consignavit: de quo, atque insimul antiquioribus duobus, Lucâ Tudensi & Rod. Ximenio, tale judicium est Alph. Garsiæ, Rhetoris Complutensis; *cùm non ad voluptatem aurium, sed ad memoriam & judicium posteritatis scripsissent, cùm à deliciis longissimè, tum ab ineptiis & mendacio procul abfuisse.* *Marinei Siculi* opus libris 22. comprehensum (quod inscripsit de rebus Hispaniæ memorabilibus) in Carolo Ferdinandi nepote desinit. Res à Ferdinando Aragoniæ Rege gestas, lib. 3. complexus est *Laur. Valla*: sed, ut haud iniquè censuit Jovius, *opus hoc eo styli charactere perscripsit, ut ejus minimè videri possit, qui cæteris elegantiarum præcepta tradiderit:* plura de eo apud eundem videas. De expugnatione Regni Granatæ, atque Historiam Bæticam

Initio Παεγλ. 1486. 1530. 1467. *Lib. de doct. vir. & Acad. Hisp.* 1456.

1484. ticam ſcripſit *Carolus Verardus*, qui ſub Innocentio VIII. claruit. De conjunctione Portugalliæ cum Regno Caſtellæ, Hieron. Coneſtagius libb. 10. ubi Regni Luſitaniæ ſtatum deſcripſit, ab illo uſque tempore, quo Sebaſtianus I. cum ingenti claſſe in Africam ad bellum Mauris inferendum trajecit, ad illud, quo auſpiciis Philippi II. cum reliquis Hiſpaniæ provinciis conjuncta eſt. De rebus *Luſitanorum* in Indiâ geſtis, *Damianus à Goës*. Res à Ferdinando & Elizabethâ conjuge geſtas, duplici
1510. 1509. Decade complexus eſt *Ælius Antonius Nebriſſenſis*, idemque prætereà de bello Navarrenſi libris duobus conſcripſit: Hiſtoriam ejus *tanto viro dignam* cenſet *Vaſæus*, in Chronico ſuo Hiſpanienſi cap. 4. & tanquam *variæ eruditionis vir* ab *Eraſmo* laudatur, in *Ciceroniano*; idque meritiſſimo ſuo: præclarum quoque de eo extat judicium *Alphonſi Garſiæ*, libro quem de eruditis Hiſpaniæ viris atque Academiis contexuit. * *Petrus Medimma* de rebus memorabilibus Hiſpaniæ. *Johannes Brucellus* de bello Hiſpano lib. V. *Florianus Ocampus*, qui Caroli V. mandato, Chronicon generale Hiſpaniæ concinnavit. Alios prætereo.

**His addendus Hier Oſorius politiſſimus ſcriptor.*

1496.

ART. XII.

Hiſtorici Turcarum, & Arabum; qui olim Africæ, Syriæ, Perſiæ, Hiſpaniæ Imperia tenuerunt, vulgò Saraceni appellati.

SAracenorum res ex *Hermanno Dalmata*, *Leone Afro*, *Roberto Monacho*, *Gulielmo Tyrenſi*, *Benedicto de Accoltis*, (cujus egregium extat elogium apud *Lil. Gyraldum*, Dial. 2. de Poetis ſui temporis;) aliiſque quos ſuprà recenſuimus, cùm de ſcripto-

ſcriptoribus rerum Gallicarum in Oriente geſtarum egimus, petendæ ſunt: Saracenicam etiam hiſtoriam libris tribus complexus eſt *Cælius Aug. Curio*; idemque Marochenſe Regnum à Saracenis in Mauritaniâ conditum, peculiari opere deſcripſit. In Origine Turcarum (inde enim in Hiſtoriâ Turcicâ evolvendâ commodè initium ſumetur) eruendâ, ſunt qui non inutilem navarunt operam; nimirum *Baptiſta Egnatius*, *Theodorus Gaza*, & *Andreas* 1488.
Cambinus: *Marinus Barletius* in Chronicis ſuis, Turcarum ortum, Principes, Imperatores, bella, victorias, rei militaris ordinem, &c. expoſuit; idemque 13. libris eleganter deſcripſit vitam ac geſta *Georgii Caſtrioti*, qui ab *Amurathe*, ob præſtantia facinora, vocatus eſt *Scanderbegus*; cujus ad fidem, pertinent illa in præf. *A majoribus diligenter* 1490.
relata, & à quibuſdam etiam qui interfuerunt viſa, memoriæ mandavi. Læonicus Chalcocondylas Atheni- Claruit
enſis, qui poſt ſæculum 14. cùm effera Turcarum 1490.
rabies *Conſtantinopolin* à Repub. Chriſtianâ abripuiſſet, unus pænè Græcorum Hiſtoricus celebratur, Hiſtoriam Turcicam libris X. Græcè condidit. Orditur ab *Ottomanno* Orthogulis filio, qui regnare cœpit circa an. Ch. 1300. deſinit in anno 1363. quo Mahometes II. bellum à *Venetis* & *Matthia* Hungariæ Rege illatum fortiter repulit. Hiſtoriam Muſulmannam etiam *Johannes Leunclavius*, ex ipſorum monumentis, collegit & concinnavit; ſummâ cum diligentiâ, quam libris 18. 1560.
complexus eſt. Huc etiam accerſiri debet *Paulus* 1540.
Jovius, qui res Turcicas accuratè & ornatè perſequitur; præcipuè verò à lib. 12. ad 17. atque iterùm à libro 32. ad 37. (de quo auctor. pag. 78.) *Henr. Pantaleon* rerum memorabilium terrâ marique, à 600 ferè annis pro Republ. Chriſtianâ in Aſiâ, Africâ, & Europâ, contrà Barbaros, Saracenos, Arabes & Turcas fortiter geſtarum, ad annum 1581. hiſtoriam condidit. Adde *Rein.*

Reineccii Hiſtoriam Orientalem. De rebus Turcarum in Hungariâ geſtis, *Mart. Stella.* De bello Pannonico contra Maximilianum à Solymanno moto, *Pet. Bizarrus*: & de bello auſpiciis Car. V. & Ferdinandi fratris geſto, *Melchior Soiterus.* De Solymanni XII. & Selymi XIII. Turcarum Imp. rebus geſtis contra Chriſtianos, *Nic. Honnigerus*: De obſidione *Melitæ*, & variis in Africam expeditionibus, *Ubertus Folietta*; idemque de Bello Cyprio inter Venetos & Turcas geſto; de quo etiam ſcripsêre *Ubio Eſinius*, & *Cælius Sec. Curio* (qui & bellum Melitenſe narravit.) De expugnatione Conſtantinopolis, quæ incidit in annum 1453. extat liber *Leonardi Chienſis Epiſcopi Mitylenæi*, &
1490. *Godefridi Langi*: De clade Varnenſi (quæ ante illam expugnationem 9 annis contigit) eruditè conſcripſit libris 2. *Philippus Callimachus Experiens.* Bellum Tunetanum à Car. V. geſtum, deſcripſit *Joh. Eutropius*; Africæque ab eodem expugnationem Chriſtoph. Claudius Stella. De bellis inter Iſmaelem Sophi Perſarum, & Selymum geſtis,
1514. Henr. Penia. Non contemnenda etiam ſubſidia ad rerum Turcicarum cognitionem, peti poſſunt ex opere Collectaneo *Nic. Reuſneri*, quod libros 14. Epiſtolarum Turcicarum variorum auctorum complectitur: & ex elegantiſſimis *Augerii Busbequii* Epiſtolis de Legatione ſuâ Turcicâ.

ART.

ART. XIII.

Hiſtorici Tartarorum, Muſcovitarum, & Sarmatarum.

Haitonus (Armeniæ Regis nepos) multis annis in patriâ miles, deinde Monachus Cyprius (ut ipſe refert, cap. 46.) tandem in Galliam venit, ubi circa annum Chr. 1307. juſſu *Clementis* V. Tartarorum in Aſia imperium, & cætera Orientis regna deſcripſit. Tartarorum Imperator primus fuit *Changius Cham*, circa annum 1200. ab hoc quintus erat *Chobilas*, (ut ab Haïtono vocatur,) vel *Cublai* Magnus Cham; ejus aulam & imperium latiſſimè in India & toto Oriente patens, prolixè deſcripſit *M. Paulus Venetus* l. 2. & 3. de *Regionibus Orientalibus & imperio Tartarorum*: de quibus ea quæ narravit, ſatis fidem noſtram merentur. Hic *Cublai* pater erat *Timuri Lechi* (quem vulgus *Tamerlanem* vocat,) qui Bajazetem Turcarum Imp. caveæ ferreæ incluſit. In libris quos *Matthias à Michon* de Sarmatia Aſiana atque Europæâ conſcripſit, hiſtoria Tartarorum & Muſcovitarum breviſſimè quidem continetur. Hiſtoriam Tartaricam contexuit *Martinus Proniovius*. De *Moſchorum* bellis adversùs finitimos geſtis, *Joh. Leunclavius*. De vita Johannis Baſilidis magni Ducis Muſcoviæ, *Paulus Oderbornius* ornatè ſcripſit. De bello Muſcovitico, quod Stephanus Poloniæ Rex geſſit, *Reinoldus Hidenſtein* Comment. libros 6. De bello Livonico à Muſcovitis geſto, *Bredenbachius*; quod univerſæ Torpatenſis provinciæ excidium & vaſtationem complectitur. *Pau. Jovius* Novocomenſis de Legatione Muſcovitarum. His accenſeo rerum Muſcovitarum commentarios *Sigiſmundi Liberi*.

1307.

1280.

1546.

1583.

1540.

ART. XIV.

Hiſtoria Æthiopiæ, Indiæ, Africæ panè totius, & Novi Orbis ſeu Americæ.

RES Æthiopicæ petendæ ſunt ex *Johanne Bohemo*, *Damiano à Goës*, *Franciſco Alvareſio*, & *Lud. Romano Patritio*, qui Navigationum Æthiopiæ, Ægypti, utriuſque Arabiæ intra & extra Gangem, libros 7. condidit. *Joan. Monachus* narrationem de gentibus interioris Æthiopiæ conſcripſit. *Joan. Maërus Santineus* Hiſtoriam Indicam libris 3. complexus eſt. De rebus Abaſſinorum
1520. *Nicol. Godignus*. *Lud. Vartomannus*, cùm Æthiopiam, Ægyptum, Arabiam, Perſidem, Syriam, Indiam intra & extra Gangem obiiſſet, omnem Peregrinationem ſuam ſex libris conſignavit. *Leo*
1510. *Afer*, Maurus genere, natione Hiſpanus, religione Mahumedicus, deinde Chriſtianus; poſtquam totum pænè Africam, & Aſiam minorem, bonam Europæ partem peragraſſet, à Piratis captus eſt, & Leoni X. dono datus; apud quem ea quæ incredibili ſtudio ac diligentiâ de Africæ populorum moribus, legibus, inſtitutis, totiuſque regionis deſcriptione, Arabicâ linguâ compoſuerat, in Italicam tranſtulit; quod opus poſteà Latio donavit *Joannes Florianus*: Is itaque in rebus Africanis, ferè inſtar omnium eſſe poteſt; cui tamen adjungere licet Jovium & Alvarezium.

De Gentium Americanarum Origine, ſunt qui eruditè diſſeruêre; quales *Grotius Læt*, *Hornius*, &c. Ad rerum verò Novi Orbis, ſive Americæ, plenam notitiam adipiſcendam, evolvendæ ſunt Navigationes Chriſt. Columbi, Aloyſii Cadamuſti, Americi Veſpucii, Corteſii, Nonii, Benzo, Lyrii, Gomaræ, &c; quas varii auctores deſcripſerunt,

runt. Gonſalus Fernandus Oviedus, rerum Indicarum Novi Orbis ſcriptor adeò eruditus, ut hunc ſolum antiquis, inter Hiſtoricos noſtræ ætatis annumerari dignum cenſeat *Cardanus de ſubtil. lib. de Metall.* Et univerſim, res utriuſque Indiæ, Orientalis & Occidentalis, Chinæ, Japoniæ, Magellanicæ &c. ex Navigationibus & Peregrinationibus Luſitanorum, Belgarum, Anglorum, Hiſpanorum, cognoſci poſſunt. Quibus Jeſuitæ addendi, ut *Petr. Maffæus*, *Joh. Acoſta*, *Mart. Martinius*, & alii; quos tamen cautè legere oportet, cùm plerumque nimii ſint in miraculis ſuis, & martyribus extollendis. 1504.

ART. XV.

Hiſtorici inſigniorum quarundam Urbium.

PRæter Scriptores, qui res populorum ac gentium communes, ſunt etiam qui res quæ Civitatum quarundam illuſtrium propriæ ſunt, monumentis ſuis conſignârunt. Nos hiſtoricos Urbium aliquot tantùm celebriorum, deinceps indigitabimus; ſingulis enim immorari, pænè eſſet infinitum.

VENETIÆ.

Hiſtoriam *Veneticam* libris duodecim complexus eſt *Petrus Bembus*, *Decemvirorum Venetorum* poſtulato, (ut ipſe in initio teſtatur) ſummâ quidem fide & elegantiâ: In cujus ſermonem ac ſtylum, etſi *J. Lipſius* ὁ πάνυ inter Criticos, alicubi brevem quaſi invectivam quandam vibret, (Epiſ. Miſcell. Cent. 2. ep. 57.) alibi tamen, quaſi acriùs quàm par erat locutus, obtulit 1490.

Σπόγγον

Σπόγγον ἀκεσσείλω πλαζομένης γεφύρης.

Imò eruditiſſ. *Heinſius* ait, *Bembum ſolum propè eâ tempeſtate Latinè ſcripſiſſe*; &, *quod proprium tum Italorum erat, puram ac ingenuam, nec calamiſtris ullis aut pigmentis infuſcatam atque inuſtam, excluſiſſe orationem.* (Orat. 19.) Venetorum etiam geſta libris XXXIII. à *M. Antonio Sabellico* comprehenduntur; & brevi Chronico ab *And. Dandulo* Duce Veneto (cujus non ſine laudis præfatione meminerunt *Petrarcha, Blondus*, & alii paſſim plurimi;) concinnè deſcribuntur. *Petrus Fuſtinianus* ab urbe condita, ad annum Chr. 1575. res Veneticas deduxit. His accenſere licet *Fob. Bapt. Egnatii*, & *Pet. Marcelli* Venetias; *Fanottum* inſuper, *Card. Contarenum, Blondum*, & *Moccenicum.*

GENUA.

Hiſtoriam Genüenſem deſcripsêre, *Jac. de Voragine*, uſque ad annum Chr. 1296. *Georgius Stella* ab anno 1296. ad 1422. Inde uſque ad annum 1435. *Joan. Stella. Cepharus*, ab an. 1488. ad 1514. Parthenopæus à 1527, ad 1541. Quibus adjicere oportet *Pet. Bizarri* hiſtoriam *Genüenſem, Ubertum Foliettam, Pau. Interianum, Jac. Bracellium*, &c.

PATAVIUM.

Rerum *Patavinarum* hiſtoriam exorſus eſt *Gul. Cortuſius*; ſed perfecit *Albigretus* ipſius cognatus; de quo ita *P. Vergerius*: *Cortuſius, cùm ſcriberet, venuſtatem orationis, quam præſtare non potuit, facilè neglexit. Joan.* Bonus Patavinus, geſta ſuæ Urbis ab ejus natalibus, uſque ad Imperatorem *Albertum*

In vitis Princ. Carr. 1334.

tum deſcripſit. Quibus adnumerandi *Bernard. Scardëonius*, *Joan. B. Ramnuſius*, &c.

FLORENTIA.

De rebus Florentinis hiſtoriam condidit *Leon. Aretinus* libris XII. de quo *Æneas Sylvius* haud veritus eſt pronunciare, *neminem illo poſt Lactantium, Ciceroni proximiorem fuiſſe*: In eodémque argumento verſatus eſt *Poggius Florentinus*. Sed uterque offenſæ, ut videtur, metu, (contra illam legitimæ hiſtoriæ Legem, quæ jubet, ut *nec falſi quidpiam quis audeat dicere, nec veri non audeat*;) in iis quæ ad inteſtinas diſcordias ſpectant, nimiùm ſilet: quam potiſſimam ſibi cauſam fuiſſe refert *Nic. Machiavellus*, cur hiſtoriam ſuam non à *Medicum* Principatu, ſed ab Urbis incunabulis ordiretur. Hic itaque inde orſus, res Florentinorum ad annum 1493. deducit. Liceat hic ἐν παρέργῳ breviter diſpicere, quid *Machiavello* tribuendum ſit. Quæ de Principe & de rebus ad Politicam ſpectantibus ſcripſit, adeò veneno ubique turgent, ut tàm manifeſtam peſtem nemo tutò attigerit, cui *Antimachiavelli*, aliúſve cujuſpiam ſatis valens antidotum ad manus non ſit. Quod interim ad hiſtoriam ejus Florentinam attinet, ſanè nec acumen huic ſcriptori deeſt, nec recondita prudentia: multa etiam apud eum occurrunt oppidò utilia, atque inſignia; cujuſmodi ſunt, quæ ſuccinctè & eleganter de ruinâ Imperii Romani, de migrationibus populorum Septentrionalium, de Incremento Pontificum retulit. Nihilo tamen minùs, non tutò in eo verſatur, qui ſecurè; atque is duntaxat cum profectu eum volvet, qui aurum à ſtercore (ut ille olim de *Ennio* dixit) ſecernere non ignorat. Lubet illud *Poſſevini* attexere, *non defuit Machiavello acumen, ſed defuit pietas, & uſus rerum, quibus tanquam*

Epiſt. 41

Poſſev. Bibl. l. 16. *c.* 5.

quam duabus alis qui caret, si volatum attentet, præceps ruat necesse est. Sed è diverticulo in viam. *Aretino, Poggio* & *Machiavello* adjungere licet *Fac. Nardum, Leon. Florentinum, Ugolinum, Verinum*; qui historiam Florent. scriptis suis illustrarunt.

NEAPOLIS.

Historiam Neapolitanam ab Augusto, usque ad Carolum V. Imper. condidit *Pandulphus Collenutius.* Cui adjicias *Joviani Pontani* Neapolin, &c. Sed festinandum. De rebus in Italiâ gestis, ab anno 1494. ad 1596. *Franc. Guicciardinus*: *Mich. Coccinius Tubingensis*, de bellis Italicis.

De Siciliæ rebus, *Fazellus, Ritius, Vercerius.* De Ferrarienſibus *Joh. B. Pigna.* De Brixienſibus, *Eliæ Capreolus.* De Bononienſibus, *Sigonius.* De Ravennatibus, *Hier. Rubeus.* De Mediolanenſibus *Corius*, & *Arlunus.* De Mantuanis, *Platina.* De Eſtenſibus, *Joh. Bonacoſta.* De Bergomenſibus, *M. Antonius Michael.* De Inſubrium geſtis, *Gaud. Merula.* Atque itidem in aliis.

Habes Lector, quæ de Hiſtoricis gentium Particularium horulis vacivis levidenſi opere commentatus ſum: nolui hanc Appendicem in molem ampliorem excreſcere, ne (ut ait quiſpiam)

Lucil.

——— *Mantiſſa opſonia vincat.*

SECT.

SECT. XXXII.

Ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam tanſitio. Eam tractare, cui imprimis convenit. Duo (in genere) temporum intervalla reſpicienda. Hiſtoriam primi intervalli, Sacra Biblia continent. Cum iis Joſephi Antiquitates Judaicæ legantur. De Joſepho, doctiſſimorum virorum judicia. Hegeſippus ille pſeudepigraphus, Auctor haud penitùs rejiciendus. Quo ſenſu utilis & laude dignus. Sulpitii Severi Hiſtoria Sacra, meritiſſimò hîc Lectori commendatur.

HUC uſque cùm perveniſſem, capite primo ſuſcepti negotii me planè ac plenè defunctum arbitrabar. Verùm enim verò, aurem non ita pridem mihi vellicarunt docti quidam viri juvenes, ex Auditoribus quondam meis, monuerúntque; optari plurimùm, ut de Scriptoribus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* pari modo nonnihil commentarer. Hanc operam, licèt à *Theologorum* noſtrorum *Coryphæo*, *Profeſſore Regio* longè digniſſimo, potiùs expetendam putaverim; utpote qui, ſicut omnium aliarum diſciplinarum, ita quoque omnis generis Hiſtoriarum, quaſi fons ſit uberrimus; cujus hauſtu, ſitim ipſe meam frequentèr, & cum ſummâ voluptate ſedaverim: mihi tamen, nonnullis ex eruditioribus amicis ad id cohortantibus, haud prorſus defugiendam cenſui. Quin & tandem, Scriptorum *Rerum Eccleſiaſticarum* etiam Catenam, huc attexere conſtitui. Quiſquis igitur *Eccleſiæ Hiſtoriam* rectè intelligere, & ordine cognitam habere cupiat, duo

D. Joh. Prideaux Exon. Col. Rect.

duo in universum (ut paucis rem conficiam) temporum intervalla distinctè respectanda, animo proponat. Unum ab *Ortu Mundi*, ad Christi Redemptoris incarnationem; quo intervallo veteris *Testamenti* Ecclesia, *Judaïca* dicta, nunc floruisse, nunc servitutem sub tyrannis duram serviisse, legitur. Alterum ab *Incarnatione Domini*, ad hoc seculum quod excurrit, quo militat *Novi Testamenti* Ecclesia, *Christiana* dicta. Primum intervallum continet annos quater millenos quinquaginta minùs, si *Scaligero* (quem in superioribus etiam secuti sumus) credamus. Secundum, mille sexcentos, & quos in fluxu adhuc ultrà putamus. Quapropter, *Ecclesiæ Historiam* per primum illud temporis intervallum, à Sacris utriusque instrumenti voluminibus, primò petendam dicimus; quæ diligenter ac præ cæteris omnibus pervolvenda, studioséque perscrutanda, noverit Lector. Sed & iis, haud operæ suæ pretium grande defuturum sciat, si adhibeat libros *Antiquitatum Judaïcarum*, à *Josepho* scriptos, nec non eos, de bello *Judaico*. Siquidem in his, *Ecclesiæ Veteris Testamenti* Historia, ab initio *Mundi*, usque ad postremum *Hierosolymæ* excidium, paullò supra annum Mundi quater millesimum tricesimum, eruditissimus *Matathiæ* filius contexuit: adeò fidelitèr, ut *Divus Hieronymus*, censor minimè obtusus, eum inter *Scriptores Ecclesiasticos* retulerit. Et magnus *Scaliger*, ei non solùm in rebus *Judaicis*, sed etiam externis tutiùs credendum censuerit, quàm omnibus *Græcis* & *Latinis*. Sunt quædam in *Josepho* peccata (inquit *Balduinus FCtus*;) quis negat? *sed quàm multa sunt recta, præclara, necessaria, ad ipsam quoque Sacram Historiam illustrandam*? Præterea, peccata quæ objiciuntur, aliquantò mitiùs à *Melchiore Cano* *errores* dicuntur ignorantis, non *mendacia* fallentis. *Josepho* subnectere, sive potiùs cum ejus libris de bello *Judaico* conjungere, nonnemo suadet *Hegesippum*:

Claruit circa 80. an. à Chr. sub Domitiano. Lib. de Emen. Temp. in prol. D. Just. Hist. l. 1.

Lib. 11. p. 546.

sippum: (*Melchioris Cani* judicio) bonum inprimis Auctorem, virumque probatæ fidei, ac gravem omninò Historicum. A Magno *Scaligero* quidem, sicuti etiam ab eruditissimo *Casaubono*, doctissimóque *Vossio*, Scriptor ὑποβολιμαῖος, ψευδεπίγραφος, & *supposititius*; denique, Auctor *infimæ vetustatis* perhibetur: vel saltem alius ab illo nobili *Hegesippo*, Apostolorum temporibus proximo, *Justino Martyri* & *Athenagoræ* æquali; cujus frequentem habemus mentionem apud *Eusebium*, & *D. Hieronymum*. Non desunt tamen qui eum haud aspernandum Auctorem putant, neque prorsùs inutilem. Historiam quidem bellorum *Judaicorum*, à Tempore *Maccabæorum*, usque ad *Christi Natalem*, & *Herodis* mortem libro 1°; atque indè usque ad *Vespasiani* expeditionem in *Judæam*, & annum *Christi* 69, libro 2°; & deinceps libris, 3°, 4°, 5°, usque ad *Judæam* & urbem *Hierosolymam* per *Vespasianum* & *Titum* funditùs eversam, Anno Christi 72°; posteritatis memoriæ consecravit. Atqui ista omnia (inquit *Joh. Bodinus*) meliùs ac veriùs ipse *Josephus, qui non modò adfuit sed etiam præfuit; & captivus à Vespasiano ac Tito, jus Civitatis, & Nomen Flaviæ gentis, ac statuam adeptus est.* Denique, *principes illæ virtutes* Historici, nempè *summa eruditio, eximia integritas*, & *maximus rerum agendarum usus*, in *Josepho* claræ fuerunt. Quin & contra fictitium istum *Hegesippum* objicitur porrò, quòd de rebus Ecclesiæ non agat, sed de *Judæorum* gestis tantùm, indè à *Maccabæis*, usque ad urbis excidium. At *Bodino* responderi potest; primò, quòd ea quæ à *Josepho* copiosè libris 7. de Bello *Judaico*, & sparsim in antiquitatibus referuntur, brevitèr & argutè complexus est *Hegesippus* iste in hoc opere. Deindè, nonnulla de *Servatore* nostro *Jesu Christo*, à *Josepho* prætermissa, vel obiter (quod esset fortassis à fide nostrâ alienus) indicata, Auctor iste non minùs religiosè, quàm verè explicat. Denique,

Lib. 11. loc. Com. cap. ult. Scal. Anima in Euseb Casaub. exerc. 1. con Bar. Voss. de H. Græ. l. 2. c. 14 Cas. Bar. l. 25. Adv. c. 10. & l. 34. c. 11.

Methodi, c. 4.

Gualter. in præf. ad Heg.

que, belli cauſas paucis recenſet; fontes maximarum calamitatum eruditè commonſtrat; cur populus ille à Deo ſingularitèr electus, multúmque dilectus, tam gravitèr attritus fuerit; cur *Hieroſolyma* everſa, non ſolùm (ut *Plinius* ait) *Vrbium totius Orientis*, verùm, ſi inſignia Dei ſpectemus beneficia, totius *Orbis* longè clariſſima. Cur Templum deletum; ſacra ablata; Gentis politia, quæ per tot annos ſteterat, penitùs ſublata. Harum enim rerum non otioſa conſideratio, præſtantiſſimum qui ex cognitione Hiſtoriæ peti ſolet fructum, pio prudentíque Lectori affatim ſuppeditabit. Vel ſi noſtro *Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum* ſtudioſo ſuppoſititium hunc Auctorem prætermittere placeat, nec poſt Sacros Codices, & *Joſephi Antiquitates* exantlatas, gravetur retrò oculos conjicere, & univerſam *Hiſtoriæ Sacræ* & *Eccleſiaſticæ* imaginem, uno quaſi intuitu, ab Orbe condito ad Chriſtum natum, & indè porrò ad annum quaſi quadringenteſimum ſecundi intervalli, contemplari; *B. Sulpitii Severi Hiſtoriam Sacram* accerſat; quam à *Mundi* initio exorſus, *Synodo Burdigalenſi* concludit. Vir erat doctrinâ & ſapientiâ plurimùm pollens; Scriptor valdè politus. Dictione utitur adeò terſâ & eleganti, ut Eccleſiaſticorum *puriſſimus Scriptor*, à *Joſepho Scaligero* vocetur. Cujus præſtantiſſimi viri judicium, prolixiori, nec minùs eleganti teſtimonio *Victoris Giſelini*, ſummæ eruditionis medici, ac *Philologi*, confirmare lubet. Ille ſic: *Res à Mundi exordio, ſacris literis editas, brevitèr conſtrinxit B. Sulpitius, & cum diſtinctione temporum, ad ſuam uſque memoriam carptim perduxit. Quo opuſculo, non ſanè magno, aliud an ullo unquam ſeculo Reipub. Chriſtianæ utilius, ac præſtabilius editum ſit, iis, quorum illud eſt judicium, judicandum relinquo. De elegantiâ verò præſtare auſim, & affirmare me poſſe confido, nulli idem omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum quicquam concedere: alia verò omnia, quæ*

Lib. 5. c. 14. Hiſt. Nat.

Claruit an. Chr. 417.

in

in eodem genere versantur, tanto intervallo omnimodis superare, ut ne sint quidem ad hoc comparanda. Magnum est quod dico, & fortasse plurimis incredibile. Sed ejusmodi tamen, quod non tam dicenti mihi, quàm testificanti pro me veritati creditum iri confidam, si quibus operæ pretium erit, Orosium, Florum, Eutropium, aliosque Epitomarum auctores cum hoc nostro omnibus partibus contendere. Eam verò palmam, solâ, ut mihi videtur, C. Salustii rerum Rom. auctoris florentissimi, imitatione consecutus est. In quo, cùm multa virtutis locum obtinere videret, quæ tamen sub imitationem vix caderent, abruptum dico sermonis genus, quod audientem Lectorem transvolat, nec, dum repetatur, expectat; sive, ut loquitur Seneca, amputatas sententias, & verba ante expectatum cadentia; eas virtutes, utpotè Salustio suas, integras reliquit. A verbis item antiquis, ex Catonis (ut volebat Augustus) originibus excerptis, consultò se abstinuit. At concinnam illam brevitatem, lectissimis, ac significantibus verbis temperatam, suo instituto cum primis accommodam, tantâ arte expressit, ut propemodùm quis dicat, non imitatum eum, sed æmulatum. Neque enim satis habuit, eodem, quo ille, modo orationem ducere, secare, circumscribere, colligare, ac denique à re unâ ad aliam transire; nisi & principiis iisdem libros suos ordîretur: ita tamen, ut quæ ille, teste Fabio, nihil voluit ad Historiam pertinere, hic paullò propiùs ad rem accommodârit. Quæ omnia saltem historiâ præclarè elucere, vel primo oculorum injectu facilè quivis animadvertit; confecta est enim, ut dixi, in primo ætatis flore, quum flagrans eloquentiæ studium, severa Turonensis contubernii disciplina nondum restrinxisset. Hactenus *Giselinus*. Hanc *Severi* Historiam Sacram accuratè recensitam, atque emendatam, & ad *Carolum*, ejus nominis *Quintum Cæsarem*, ex *Sleidani* de *Quatuor Imperiis* libro, non inelegantèr continuatam, paucis ante annis emiserunt *Elziverii*, Typographi 1629.

pographi Lugduno Batavi. Habet quidem suos errores, de quibus videndus *Bellarminus*, de *Scriptoribus Eccles.* An. 420. Atque hactenus de iis qui primi Intervalli *Historiam Ecclesiasticam* scripserunt, & quos imprimis legendos censemus.

SECT. XXXIII.

Secundi intervalli (h. e. Ecclesiæ Christianæ) Historia, primò ab Evangelistis, & aliis Novi Instrumenti libris, ubi ejus incunabula narrantur, hauriendæ est. Qui porro aliquam partem ejus infantiæ αὐτόπται descripserint, vix ulli extant: circumferuntur nonnulli, qui iisdem temporibus vixisse perhibentur, & primorum Martyrum certamina descripsisse, sed à doctis supposititii, quod fabulis scateant, æstimati. Ei vitio, Recentiorum aliquot obnoxios fatetur Baronius. Idem Vives conqueritur, & Melchior Canus. Item Veteres nonnulli. Ideóque Ecclesiæ Historia cum curâ legenda. Nimia tamen incredulitas vitanda: in lectione Historiarum, quales esse debeamus. Antiquissimi, & priores, recentioribus præponendi.

JAM verò alterum illud intervallum (quod à *Christo incarnato* sumere initium dixi, & ad ætatem nostram excurrere;) *Novi Testamenti Ecclesiæ* tribuitur; quæ *Christiana* dicitur *Ecclesia*, sicuti prior illa *Judaica* dicta est. *Ecclesiæ* verò *Christianæ* Historia, à Sanctissimis quatuor *Evangelistis*, Spiri-

Spiritûs divini amanuensibus fidelissimis, primò requirenda est. Hi enim *Redemptoris nostri, rerum Domini, Ecclesiæ fundatoris juxtà & fundamenti* (verbis Reverendissimi Cicestrensis Episcopi loqui mihi liceat,) Historiam literis consignarunt. Deindè beatissimorum *Apostolorum Actus, Petri* præsertim atque *Pauli peregrinationes, pericula, & ἀνδραγαθήματα, Sanctus Lucas* ὁ *πάνυ* (eruditissimum hîc etiam agnoscite Antistitem) *luculento quidem & purissimo sermone Græco, adeò ut ne ipsæ quidem Athenæ magis Atticè loquantur*, æternitati consecravit. Præter hosce *Novi Instrumenti* Scriptores, (qui etiam ipsi *Christianæ Ecclesiæ* tantùm incunabula exhibuêrunt) pauci admodùm ad manus nostras pervenerunt; pauci, inquam, aut potiùs nulli, qui prima secula, ut testes oculati descripserint; aut qui res in *Ecclesiâ* gestas, donec adolesceret, memoriæ tradiderint. Circumferuntur quidem varii Scriptores, qui primo illo *Ecclesiæ* ævo vixisse dicuntur; qualis *Prochorus* (unus ex septem *Diaconis*, quos Apostoli ipsi ordinarunt;) qui vitam *Evangelistæ* & *Apostoli Johannis*, quæ in *Orthodoxographis* & *Bibliothecâ Patrum* legitur, scripsisse perhibetur. *Abdias Babylonius*, unus ex 72. *Discipulis*, (si ei credere liceat) qui de certamine *Apostolorum* libros decem scripsisse dicitur. *Linus* de passione Divorum *Petri & Pauli*. *Presbyter Achaiæ* de passione Sancti *Andreæ Apostoli*, atque alii; quos omnes tamen supposititios, & inter *Apocrypha* reputandos, censuerunt *Patres Antiqui*, immò etiam *Baronius, Bellarminus, Sixtus Senensis, Melchior Canus*, aliique viri doctissimi hujus, & superioris seculi: nimirùm quòd fabulis adeò infulsis referti sint, ut nec in iis, quæ verè fortassè sunt, fidem mereantur. Neque isti solùm *primæ antiquitatis* vulgò dicti Scriptores, huic vitio obnoxii esse perhibentur; sed è recentioribus etiam non pauci, de rebus vetustissimis scribentes,

Præf. ad Appar. n. 10.

Voss. l. 2. de Hist. Gr. c. 9.

nimiâ credulitate laborantes, fabularum figmentis mirè scatent. Id quod ingenuè fatetur magnus *Cardinalis.* *Nulla res* (inquit) *ita hactenus negligi visa est, ac rerum Ecclesiasticarum gestarum vera, certa, & exactâ diligentiâ perquisita narratio. Et ut de Antiquioribus loquar, qui ejusdem argumenti Commentarios ediderunt, invenire difficile est, qui veritatem in omnibus sit assecutus.* Tale quid, ante *Baronium*, graviter conquestus est *Johannes Ludovicus Vives. Maximum* (inquit) *sæpenumerò dolorem cepi, dum ipse mecum reputo, quàm diligenter, quantâ curâ, Alexandri, Annibalis, Scipionis, Pompeii, Cæsaris, & aliorum ducum; Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliorum Philosophorum acta perscripta sint, & sempiternæ memoriæ infixa, ut periculum non sit, ne unquam excidant: Acta verò Apostolorum, Martyrum, denique Divorum nostræ religionis, & ipsius sive crescentis Ecclesiæ, sive jam adultæ, operta maximis tenebris ferè ignorari; tantò sive ad cognoscendum, sive ad imitandum, quàm Ducum, aut Philosophorum fructuosiora. Nam quæ de iis sunt scripta, præter pauca quædam, multis sunt commentis fœdata; dum qui scribit, affectui suo indulget, & non quæ egit Divus, sed quæ ille eum egisse vellet, exponit: & vitam dictet animus scribentis, non ipsa veritas.* Pergit porrò *Vives*: *fuêre qui magnæ pietatis loco ducerent, mendacia pro religione confingere; quod & periculosum est, (ne veris adimatur fides, propter falsa,) & minimè necessarium, quoniam pro pietate nostrâ, tam multa sunt vera, ut falsa, tanquam ignavi milites atque inutiles, oneri sint magis, quàm auxilio.* Hactenùs doctissimus ille *Hispanus*; cui cùm per omnia concinat popularis ejus *Melchior Canus*, magni etiam nominis apud pontificios (nec immeritò) Theologus; verba ipsius hìc quoque repetere non gravabor. *Dolenter hoc dico* (inquit) *potiùs, quàm contumeliosè, multò à Laërtio severiùs vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas*

Baron. in præf. ad Tom. 1. Annal.

Lib. 5. de Tr. disc. p. 360.

Lib. 11. loc. Com. p. 533.

vitas Sanctorum; longéque incorruptiùs & integriùs Suetonium res Cæsarum expoſuiſſe, quàm expoſuerint Catholici, non res dico Imperatorum, ſed Martyrum, virginum, & Confeſſorum. Illi enim in probis aut Philoſophis, aut Principibus, nec vitia, nec ſuſpiciones vitiorum tacent; in improbis verò, etiam colores virtutum produnt. Noſtri autem plerique, vel adfectibus inſerviunt, vel de induſtriâ quoque ita multa confingunt, ut eorum, me nimirùm non ſolùm pudeat, ſed etiam tædeat. Hos enim intelligo Eccleſiæ Chriſti, cùm nihil utilitatis attuliſſe, tum incommodationis plurimum. Ita *Melchior Canus.* Neque putare debemus, hujus noſtri ſolùm, aut ſuperioris etiam ſeculi homines, doctos pioſque, de corruptelis hujuſmodi, maculiſque ſcripta Eccleſiaſtica depravantibus, conqueſtos eſſe, quaſi nuper irrepſiſſent, aut hujus culpæ rei non forent Scriptores etiam nonnulli, inter antiquiſſimos numerati. Ante mille trecentos retrò annos, & cùm nondum adoleverat Eccleſia, reperti ſunt, qui rerum *Eccleſiaſticarum* monumenta falſitatibus turpiter inficere, aliiſque vitiis infuſcare ſatagerent. Id *Arnobius* *Lib. 1. p. 47.* *contra Gentes* expreſsè cauſatur: *Sed neque omnia conſcribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt, geſta gentibus in ignotis, & uſum neſcientibus literarum: aut ſi qua ſunt literis, conſcriptionibuſque mandata, malevolentiâ dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt, hanc intercipere veritatem, & conſimilium his hominum, interpolata quædam, & addita; partim mutata atque detracta verbis, ſyllabis, literis, ut prudentium retardarent fidem, & geſtorum corrumperent veritatem.* Sic *Arnobius.* Et reverà, quid ad corrumpendam, contaminandámque *Veteris Eccleſiæ* memoriam valeret, quod dolo malo non fecerunt *Ethnici, Judæi, Hæretici?* Quid fatua, credulâque ſuperſtitio non affinxit? Hæc (Auditores) eò fuſiùs perſequi libuit, ut ſcirent *Hiſtoriarum* ſtudioſi, & diligenter animadverterent, quantâ cum cauti-

one & curâ, *Historia Ecclesiastica* sit legenda: siquidem in ea, multò magis quàm in ulla alia Historia, à fabulis cavendum. Quia hic multò periculosius esse, quàm in rebus civilibus, erroribus implicari, omnibus in confesso est. Cæterùm, uti hac ex parte, operam dare non mediocrem convenit, ne falsum pro vero, temere accipiamus; ita etiam attentè prospicere decet, ne verum pro falso inconsultè rejiciamus. *Fateor* (inquit doctissimus *Balduinus* JCtus) *ubi tot insidiæ sunt, & tantum periculi, laudandam esse timidam eorum* εὐλάβειαν, *qui meminerunt non temerè esse credendum. Sed quorundam rursus nimia est* ἀπιστία, *qui nihil credunt, quàm quod ab unius alicujus Scriptoris stylo consignatum erit.* Ut de *Apostolorum* temporibus nihil dici velint, quod ab ipso *Luca* non sit expressum. Atqui *D. Lucas Pauli* potissimùm *Historiam* contexere voluit, & rursus, in eâ quædam *Lucam* prætermisisse, indicat ipsius *Pauli* ad *Galatas* Epistola. De *Simone Mago* loquens, simplicitèr narrat *D. Lucas*, eum in sua *Samariâ* commotum increpatione *Petri*, agnovisse suum peccatum. Sed an propterea clamabimus esse falsum, quicquid prætereà de eo narrant vetustissimi & gravissimi Auctores, *Justinus*, *Tertullianus*, *Arnobius*, *Eusebius*, *Epiphanius*, *Augustinus*? quapropter illud semper teneamus & meminerimus, nos in lectione Historiarum esse debere, quales ab *Aristotele* esse dicuntur, qui neque pueri, neque senes sunt: qui inquam, ad credendum neque sunt nimiùm faciles, neque difficiles nimiùm: οὔτε (inquit) πᾶσα πιστεύοντες, οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες. Scitum profectò est illud Hesiodi. πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας, *Credulitas pariter ac diffidentia perdiderunt homines.* Verùm rectè quoque aliquis vicissim dixerit, modò πίστεις, modò ἀπιστίας esse utiles, atque salutares. Nam non omne verisimile statim verum; uti neque quod primùm incredibile videtur, con-

De Inst. p.93. edi. 16.

Lib. 1. Oper. & D. v. 370

continuò falsum. Crebrò faciem mendacii veritas retinet; & mendacium specie veritatis occluditur: uti alicubi *Seneca*. Quocircà (ut pergamus) quum Auctores non occurrant, qui testes oculati rerum earum, quas memoriæ mandant, aliquando fuerint; proximum est, ut eos, qui quod ab aliis acceperunt, bonâ fide narrant, audiamus: præsertim, si & ætas ipsa, & antiquitas, & virtus fidem atque auctoritatem concilient. Inter hos enim, antiquissimos illos, atque (ut ita dicam) Classicos Auctores, recentioribus anteponere, non decet. Quod *Aristoteles* de testibus, id quidem hic locum habere meretur; πιστότατοι οἱ παλαιοὶ, ἀδιάφθοροι γὰρ. Quin & ita fieri solet, ut quò posterior, recentiórque sit rei antiquæ narratio, tantò mendosior, corruptiorque evadat. Namque ut vinum, quò magis transfunditur, evanescit magis, tandemque fit vappa: & quemadmodum fama ipsa, quò longiùs progreditur, longiùs recedit à vero, plusque colligit vanitatis; sic & persæpe Historia, quæ à pluribus repetita, variè jactatur; & aliis atque aliis verbis recitata spargitur; tandem contaminatur, & in fabulam degenerat. Hæc quidem longiùs quàm in animo erat, produximus; sed Lectores cordati, & veritatis amatores, huic prolixitati veniam faciliùs concedent, si meminerint, omnia eò spectare, ut summa demum cautela, in *Historiarum Ecclesiasticarum* voluminibus pervolvendis, adhibeatur. Jam igitur ad Auctorum Catologum & seriem, quos post *Novi Testamenti* libros, viri doctissimi præscribunt legendos, descendam; & quà par est brevitate, percurram.

Rhet. l. 1.

SECT. XXXIV.

Tertio demum ſeculo, florente Eccleſiâ, floreſcere cœpit Hiſtoria. Euſebius Pamphili inter Eccleſiæ Hiſtoricos princeps. In libris de vitâ Conſtantini, Xenophontis æmulus. Multa ab eo ſcripta periêre. Ejus auctoritas vindicatur. Quouſque Hiſtoria Euſebii procedat. De Ruffino Scaligeri judicium. Tripartita Hiſtoria. Panegyrici Euſebiani lectio commendatur.

QUandoquidem igitur Scriptores illi, qui cum *Apoſtolis* vixiſſe feruntur, pro ſuppoſititiis (uti ſuprà dictum eſt) rejiciantur: quique eos immediatè ſecuti ſunt, per duo prima ſæcula, aut vaſtâ illâ rei literariæ clade abſorpti, non extant; aut de Hiſtoria Eccleſiaſtica, (opinione doctiſſimi Caſauboni) *magis videantur cœpiſſe cogitare, quàm ad eam illuſtrandam ſeriò ſe compoſuiſſe.* Oculos in tertium ſeculum conjiciamus, quod cum duobus ſequentibus, *jure meritò* (inquit ille) ἀκμὴ τῆς ἐκκλησίας, flos ipſe Eccleſiæ, & ætas illius aurea, nuncupari poteſt. Eo tempore, ſicuti Theologica ſtudia ubique florebant; ita Hiſtoria quoque Eccleſiaſtica haëtenus tantùm non ignorata, cœpit efflореſcere. In hoc ſtadio decurrere, princeps (quod quidem novimus) aggreſſus eſt ὁ τῦ παμφίλυ, *Euſebius Pamphili*, (quemadmodum propter amicitiam cum *Pamphilo Martyre*, teſte *Hieronymo* vocabatur) *Cæſareæ Paleſtinæ* (imperante *Conſtantino*) Epiſcopus, (quemque πολυμαθῆ καὶ πολύϊστορα *Cedrenus* meritiſſimò indigitat) ſui ſeculi ſine controverſia,

Prolego. ad exerc.

L. de Ill. viris.

Floruit Euſeb. ann. Chr. 330.

ſia, vir eruditiſſimus fuiſſe perhibetur. Is (inquam) uti ipſe in procemio libri primi affirmat, princeps animum ad *Eccleſiæ Catholicæ* Hiſtoriam univerſalem ſcribendam appulit, manum operi admovet, & à *Nativitate Domini* auſpicatus, perque tyrannorum tempora accuratè progreſſus, rerum in *Eccleſiâ* geſtarum ſeriem; *Apoſtolorum* & aliorum illuſtrium in *Eccleſiâ Doctorum* ſucceſſiones, doctrinam Evangelicam, Martyria, perſecutiones, quas tyranni quidam adversùs *Eccleſiam* moverunt, Hæreticorum etiam perverſa dogmata, ad ſua uſque tempora, decem libris, ſingulari diligentiâ pertexuit. De vitâ etiam *Conſtantini Magni*, quatuor libros, qui hodiéque extant, ac pro genuinis à *Photio* agnoſcuntur, ſcripſit. Verùm *Xenophontis* (qui *Cyri παιδειαν καὶ ἐγκώμιον* veriùs, quàm *Hiſtoriam* deſcripſit, ut boni *Principis* imaginem contemplandam proponeret) exemplum ſecutus, non tam Hiſtoriam, quàm panegyricum de laudibus *Conſtantini*, & præclaris ejuſdem facinoribus, concinnavit. Unde *ἐγκωμιαστικὸν τετράβιβλον* à *Photio* illud opus nuncupatur. Certè principis optimi, vivum paradigma inibi ſubjecit oculis, quod cum fructu Reges, etiam & principes potentiſſimi contemplari poſſint: Uti *Grynæus* rectè obſervat. *Martyrum* quoque Hiſtorias, ex archivis *Eccleſiarum*, Notariorumque ſcriniis, tabuliſque, eundem *Euſebium* contexuiſſe, animadvertit Reverendiſſ. *Ciceſtrenſis Epiſcop. Nec erant illa* (inquit) *brevicula quædam, recitandis nominibus deſtinata; quale nunc eſt Romanum quod proſtat publicè Martyrologium, Bedæ, Uſuardi, aut ſi quæ ſunt iſtiuſmodi aliorum, vel qualia Græcorum Menologia; ſed erant hiſtoricæ narrationes rerum geſtarum; Commentarii ſcripti καθ' ὅλου*: quod quidem probat eruditiſſimus præſul, ex ipſo *Euſebio*. Ubi de *Apollonio* agens, ait ipſe; *Iſtius coram judice verba, & reſponſa, quæ dabat, ad Perennis interrogata; orationem quoque apolo-*

V. Ciceſt. præfat. Ap. n. 35

In præf. ad Hiſt. Eccl.

Præf. ad Ap. n. 14, & 18

Lib. 5 c. 21. Edit. Valeſ.

apologeticam apud Senatum habitam, si cui libitum fuerit accuratè cognoscere, legat ille librum à nobis compositum, de veterum Sanctorum Martyrum rebus gestis. Iste autem liber, nec non alia plura *Eusebii* opera, (de quibus à *Divo Hieronymo* inter Scriptores Ecclesiasticos facta est mentio) periêre, neque ad manus recentiorum saeculorum pervenerunt. Sed auctoritati *Eusebianæ* multi detrahunt, Historiámque Ecclesiasticam à *Gelasio Papa* in *Concilio* rejectam aiunt, atque *Apocryphan* pronunciatam. Verùm ad *Eusebii* auctoritatem asserendam, sufficiet nobis, quod ipse *Gelasius*, in principio ejusdem censuræ, *Chronicon Eusebii Cæsariensis*, atque ejusdem *Historiæ Ecclesiasticæ* libros, propter rerum singularem notitiam, usquequâque non renuendos dixerit: quod idem testatur *Volaterranus*. In jure Pontificio, *Eusebii* tantùm Chronica, simul & Historia recipiuntur. Sin minùs, accedat *Melchioris Cani* confirmatio. In *Historiâ Ecclesiasticâ Eusebii, satis Gelasius ostendit, cætera sibi ac Concilio placuisse, dum quædam displicuisse commonuit. Itaque si fabulam Abgari, laudesque Origenis, ab Eusebio demeres; digna ejus Historia esset, cui fides omninò haberetur.* Mihi quidem hac ex parte judicium doctissimi *Sculteti* valdè arridet, quod hisce verbis explicavit. *Qui Ecclesiæ Historiam continent libri, luculenter demonstrant Historiam veteris Ecclesiæ illam demùm esse veram, quæ ex germanis patrum Orthodoxorum libris est petita: quàm enim diu Justinum, Irenæum, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, aliosque probatæ fidei patres in Historiâ suâ sequitur Eusebius; Historicum agit fide dignum: sed simul atque ad traditiones, & non ad scripta, sed audita provocat; fabulosa multa miscet.* Ita *Scultetus*. Reverà *Pontificii* sæpiùs *Eusebium* acerbiùs perstringunt, & in eum acriter incurrunt; maximè *Cardinalis Baronius* (uti notat idem *Scultetus*,) suum in *Eusebium* prodit

Voss. l. 2. de Script. Gr. c. 17.

Lib. 5.

Lib. 11. p. 543.

Medullæ co. 3. p. 6

Ib. p. 2.

prodit odium, non aliunde natum, quàm quòd *Historicus, qui laudes & donationes Constantini Ecclesiasticas fusè persecutus, donationis Romanæ non modò mentionem facit nullam, sed eam etiam fictam esse innuit, dum Constantinum non à Papa Romano Romæ, sed Nicomediæ baptizatum esse scribit.* Aſt Ariana Hæreſi eum laboraſſe aiunt, & Arianorum partibus ſemper faviſſe; ideóque ſubleſtæ fidei nonnunquam accuſatur. Reverà, ante Synodum Nicænam, eâ labe infectum fuiſſe, nimis liquidò liquet: ſanctorum verò deinde patrum auctoritatem libenter ſecutum, ſanctiſſimè atque piè in orthodoxia vixiſſe, nonnulli ſcribunt. Immo fertur apud Græcos (teſtante *Georgio Trapezuntio*) ab eo, juſſu patrum, ſacroſanctæ illius Synodi ſymbolum ſcriptum fuiſſe: quod ita compoſuit, ut ad dejiciendam abſque controverſiâ perniciosam hæreticorum opinionem, filium Dei genitum, non factum, conſubſtantialémque patri conſcripſerit, ac patribus tradiderit. Certè quæ in eo conventu acta eſſent, fideliſſimè ac planiſſimè per literas, * quæ etiam nunc extant, omnia ſuis civibus indicavit: Uti ſcribit *Donatus Veronenſis.* Sed ut procedamus, *Euſebii* Hiſtoria nos ad Annum Chriſti, 325. deducet: indè *Rufinus Aquileienſis* Presbyter, *Divi Hieronymi* æmulus, *Euſebii* Hiſtoriam è *Græco* in *Latinum* ſermonem transferens, duos de proprio addidit libros; Hiſtoriamque ad *Theodoſii* Imperatoris mortem uſque, & annum *Chriſti* 400. propagavit. Verùm & in transferendo, nimiâ uſus eſt libertate, & in opere proprio, *Euſebium* plurimùm exſcripſit: unde *futiliſſimum Auctorem* eum vocat *Joſephus Scaliger*, in *Appendice* operis incomparabilis de *Emendatione Temporum.* Nec erit fortaſſe piaculum, ſi noſter Hiſtoriarum ſtudioſus, inſuper eum habendo, prætereat: nam eorundem temporum Hiſtoriam, uberiùs multò, & accuratiùs, *Socrates, Theodoritus*, & *Sozomenus* compoſuerunt. Hoſce Tres *Epiphanius*

*Præf. ad Nicolaum. V. Hiſt. Eccl. Soc. l. 1. c. 8. Caſſiod. hi. Trip. l. 2. c. 11. * Vid. Socrat. Ecc. Hi. l. 1. c. 8. Ed. Vale. Præf. ad Paul. 3.*

Voſſ. l. 2. de hi. lat. cap. 11.

phanius Scholasticus latinè transtulit, *Magno Aurelio* Cassiodoro id postulante; qui ex tribus istis, unum corpus confecit, ediditque, undè tripartitam Historiam appellatam ex ipso constat. Hìc verò *David Chytræus* vir clarissimus, & de utràque Historiâ optimè meritus, studiosos monet hortatúrque, ut non modò fragmenta illa à *Cassiodoro* consuta, sed scriptores integros, qui *Græcè* & *Latinè* impressi extant, diligenter legant. Et *Eusebii* panegyricum de vita *Constantini* præmittant, *ex quibus & triginta annorum* (inquit) *Historiam integram, & edicta præcipuè, ac leges Constantini de religione Christianâ, libris 2°, 3°, & 4° expositas, diligenter considerent; fontemque ipsum, ex quo plurima Socrates, Theodoritus, & Sozomenus, initia suarum Historiarum hauserunt, cognoscant.*

Cassid. de Div. lect. c. 17.

SECT. XXXV.

Socrates quo tempore vixerit; unde & quoúsque historiam perduxerit: item Theodoritus quid quoque libro complexus sit. Photii de eo censura. Sozomenus Salaminius, novem libris Historiam continuat, ad Ann. Chr. 423. D. Gregorii locus adversus Sozomenum expenditur. Eique respondetur. Sozomeni Candor; de eo Evagrii testimonium. Tripartitam Historiam sequitur Evagrius, eamque continuat, ad ann. 594. Theophylactus Simocatta inde ad ann. 601.

An. 440 SUB *Arcadii* filio, juniore *Theodosio*, floruit *Socrates*, natione *Bizantinus*; à fine *Eusebii*, &

& victoriâ *Constantini* adversùs *Maxentium*, A.Chr. 313, vel potiùs ab ipso anno, quo Imperator in *Britanniâ* palàm declaratus est, videlicet, An. Chr. 309. *Historiam* exorsus; eam usque ad decimum septimum prædicti *Theodosii* Junioris consulatum perduxit; h. e. ad A. Ch. 441. Libros septem scripsit, stylo non admodùm splendido; quorum primus, *Constantini Cæsaris* tempora continet. Secundus, *Constantii*. Tertius, *Juliani* & *Joviani*. Quartus, *Valentiniani* & *Valentis*. Quintus, *Gratiani* & *Theodosii* primi. Sextus, *Arcadii* tempora. Septimus *Theodosii* Junioris annos 32. complectitur. Tota *Historia* annorum 140 spatium continet. Sicuti ipse capite ultimo lib. 7. verbis expressis nos docet; ita enim loquitur: *Hic septimus liber spatium triginta duorum annorum continet. Tota autem Historia, in septem libros partita, annos 140 complectitur. Quæ orditur à primo anno ducentesimæ septuagesimæ primæ olympiadis, in quâ Constantinus Imperator declaratus fuit: desinitque secundo anno trecentesimæ quintæ Olympiadis, ad XVII. consulatum Imperatoris Theodosii.* *Novati* partibus eum faviſſe pluribus è locis manifestum est. Nam (quod observavit doctissimus *Jacob. Billius*) nihil libentiùs fecit, quàm ut non modò oblatâ, sed etiam interdum quæsitâ occasione, in *Novatianorum* laudem multa commemoret. Et si quis pio Zelo incensus, *Novatianos* acriùs insectetur; hujus nomen existimationemque perstringere, ac labefactare studuit. Sed ita obliquè, ut minùs perspicaci Lectori, non tam dolori suo atque iræ obsequi, quàm veritatis rationem habere videatur. Hæc (inquam) *Jacobi Billii*, viri admodùm docti, * censura est de *Socrate*, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptore; quam ideò adponendam duxi, ut majorem inter legendum cautelam φιλοΐσῳ noster adhiberet.

Observat. Sacr. l. 1. c. 26.

* *Cum Billio haud sentit doctiss. Valesius; quem vide de Vitâ & Scriptis Socrat. atque Sozom.*

Theodoritus eisdem temporibus vixit, *Cyri Mesopotamiæ vel Syriæ Urbis* Episcopus. Historiam Eccleſi-

Eccleſiaſticam ſcripſit, à fine *Euſebii*, & ab hæreſi *Arianâ* exorſus, ad tempora *Theodoſii* Junioris quoque eam deducit. Secundæ *Synodi Generalis* geſta, fuſiùs aliquanto narrat, quàm alii Hiſtorici: qui extant, ſunt libri quinque. Eorum primo, *Hiſtoriam Eccleſiæ* ſub *Conſtantino Magno* repetit. Secundo, tempora *Conſtantii* exponit. Tertio, quid in *Eccleſiâ* geſtum ſit, imperante *Juliano Apoſtata*, narrat. Quartum librum *Joviano*, *Valentiniano*, & *Valenti* tribuit. Quintum *Gratiano*, *Theodoſio Magno*, & *Arcadio* aſſignat: *Theodoſii* quoque *Junioris* initia eodem libro attingit. De ſtylo *Theodoriti*, hæc eſt cenſura *Photii*; nimirum Hiſtoriæ eum magis convenire, quàm illum, quo vel *Socrates* utitur, vel *Hermias Sozomenus*, vel etiam *Evagrius Ponticus*; atque eadem eſt ſententia doctiſſimi viri *Gerardi Johannis Voſſii*.

Tme. 3 1.

Lib. 2 de Hiſt. Gr. c. 20.

* *Floruit eodem tempore cum Soc. & Theo.*

* *Hermias Sozomenus Salaminius* erat, & ſub *Theodoſio* quoque ſecundo floruit; cui Hiſtoriam ſuam dedicavit. Eam à conſulatu *Criſpi* & *Conſtantini* auſpicatus eſt, Anno Chr. CCCXXIII. continuatque ad *Honorii* uſque mortem, videlicet ad An. Chr. 423, quod temporis intervallum, libris novem complexus eſt; quorum duo primores, *Conſtantini M.* tempora repetunt. Tertius & Quartus res ſub tribus *Conſtantini* filiis geſtas continent. Quintus & Sextus *Juliani*, *Valentiniani* & *Valentis* tempora comprehendunt. Septimus *Gratiani* & *Theodoſii* primi. Octavus *Arcadii*. Nonus *Theodoſii* ſecundi, uſque ad mortem *Honorii*, tempora procurrit. Sed ipſam *Sozomeni* Hiſtoriam, *ſedes Apoſtolica* ſuſcipere recuſat, (Magni *Gregorii* verba ſunt,) quia multa mentitur; & *Theodorum Mopſueſtiæ* nimiùm laudat; atque uſque ad diem obitûs ſui, magnum doctorem Eccleſiæ fuiſſe perhibet. De hoc loco quidem me monuit nuperrimè, vir ab eruditione multifariâ, ac ſingulari tum pietate tum prudentiâ Clarus, *Georg. Hack-*

Lib. 6. ep. 31.

Hackwillus S. Theologiæ Professor. Verùm à *Melchiore Cano* jamdudum responsum; nihil tale apud *Sozomenum* reperiri de *Theodoro Mopsuestiæ*. Et *Gregorium* memoriâ lapsum, dum pro *Theodorito*, *Sozomenum* scriberet; nam * *Theodoriti* verba sunt illa, quæ *Gregorius* retulit. * *Cardinalis Baronius* etiam responsum suppeditat, dicendo nimirum, ab *Ecclesiâ R. Sozomenum Theodorum Mopsuestiæ laudatorem non recipi; in reliquis, quæ vera dixit, quomodo potuit ab Ecclesiâ non recipi?* Prætereà, à Gelasio Papa (cui nemo, ob auctoritatem atque doctrinam, refragari potest, juxta ipsum *Cardinalem*) constat, *Sozomenum* non rejici; sed majoris fidei haberi, quàm *Eusebium Cæsariensem*; ejusque Historiam majoris æstimationis apud *Photium*, quàm *Socratis*, fuisse. Denique respondet *Canus*; *in concilio Florentino, cui interfuit Imperator Palæologus, testimonium Sozomeni, non solùm usurpatum, sed etiam probatum.* Utcunque, nobis de eo candidè liceat sentire, tum propter candorem, & veritatis amorem, quem præ se fert Ipse, primo capite, & porrò spondet: nimirum, ubi orthodoxorum hominum contentiones, jurgia, perfidiam multorum, & alios defœdos nævos narraturus, ἐθελοκάκου προαιρέσεως opinionem deprecatur, uti doctissimus etiam observat *Casaubonus*: non enim ille se scribere dicit, quod voluptatem ex talibus caperet; sed volentem nolentem, quoniam infecta reddere, quæ facta essent, non posset; quæ gesta autem essent, silere; hoc verò esset veritatem prodere, & Historiæ legitimæ jura corrumpere; [a] μάλιστα (inquit) τῆς ἀληθείας ἐπιμελεῖσθαι χρεὼν διὰ τὸ τῆς ἱστορίας ἀκίβδηλον; Et iterum, [b] πάντα δεύτερα ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας τὸν συγγραφέα προσήκει: tum propter *Evagrii* judicium de eo, cum aliis, hisce verbis. * *Eusebius Sozomenus, Theodoritus & Socrates, de clementissimi nostri servatoris in mundum adventu, de ejus in Cœlos adscensu, de rebus gestis*

Lib. 11. p. 544. Chron.

* *Ec. Hi. l. 5. c. 37. & c. 40.*

* *Tom. 4 ad An. 439.*

Lib. 1. Hist. Ec. c. 1. In præf. ad Polyb.

[a] *Veritatis præcipuam curam habere oportet, ut sincera sit Historiæ fides.*

[b] *Historiæ scriptor cuncta veritati debet postponere.*

* *Evagr. Ec. Hist. l. 1. proœ.*

geſtis Apoſtolorum, de certaminibus à ſanctis Martyribus confectis, & ſi quid aliud factum ſit, dignum commemoratione vel ſecùs, ad aliquam partem regni Theodoſii literis accuratiſſimè prodiderunt: hoc inquam Evagrii Scholaſtici judicium, *inſignis eorum temporum Hiſtorici, & ex Græcis primi eorum, qui leguntur, orthodoxi*; *ſi Baronium*, aut ſaltem ejus Epitomaſten, audiamus.

Sponda. ad An. 505. Caſaubonus tamen, eum dicit à fabuloſis narrationibus non nimis alienum. Exer. 13 An 31. n. 58.

Atque hic ipſe *Evagrius Tripartitæ Hiſtoriæ* Scriptores excipit, ſuámque Hiſtoriam * inchoat, ubi *Socrates* & *Theodoritus* deſierunt, à *Synodo* nimirùm *Epheſinâ*, auctoritate & mandato *Theodoſii Junioris* coactâ, circa An. Chr. 431. quâ *Synodo* damnatus eſt *Neſtorius*. Eam autem continuat uſque ad annum duodecimum Imperatoris *Mauricii*: Chriſti verò annum 594. Sub eo autem Imperatore, ejuſque deceſſore *Tiberio* Secundo, maximè floruit. Hiſtoria verò *Evagrii* ſex libris conſtat; quorum primo *Theodoſii Junioris* tempora complexus eſt. Secundo, *Marciani* & *Leonis*, quem *Thracem* cognomento indigitarunt. Tertio, *Zenonis* & *Anaſtaſii*. Quarto, *Juſtini*, & *Juſtiniani*. Quinto, *Juſtini* poſterioris, & *Tiberii* Secundi. Sexto denique, pergit ad annum uſque duodecimum regni Imperatoris *Mauricii*, qui *Tiberii* II. gener fuit, & à nonnullis *Cappodox* cognomento vocatur; is autem fuit annus à Chriſto nato 594. In eadem tempora, de quibus ſcripſit *Evagrius*, concurrunt etiam Hiſtoriæ *Procopii*, *Agathiæ*, & *Fornandis*, de Rebus Geticis, item Hiſtoria Miſcella *Diaconi*, à libro 12°, ad librum 18: denique *Caroli Sigonii* de Occidentis Imperio Hiſtoriæ pars magna, quod ideò monendum putavi, ut ſciat Lector, undè auctiorem, & locupletiorem, eorum temporum Hiſtoriam, reddere poſſit.

** Vide Evag. loco citat.*

Voſſ. l. 2. de Scr. Gr. c. 23

Heraclii tempore circà Annum Chriſti, 612; claruit *Theophylactus Simocatta*, inter recentiores *Græcos* Scriptor eximius: is Octo libros, de rebus à *Mauricio*

Mauricio geſtis, exaravit; quos (*Evagrio* expedito) adhibeat Lector; neque eum ſuæ opellæ, legendo inſumptæ, pœnitebit: quippe ad annum à Chriſto nato 601, & ad ipſius *Mauricii* cædem, Hiſtoriam perducit: idque non perfunctoriè, ſed accuratiſſimè & elaboratiſſimè, ex quo tanquam flumine, alii ſuos rivos deduxerunt, utì *Pontanus Jeſuita*. Ingenium ejus mite inprimis, & φιλόλογον, ut etiam doctrinam non vulgarem, ſcripta ipſa teſtantur, ac produnt. *In Ep. ad Lect.*

Et nunc ſi placeat (Auditores) paululum reſpiciamus, luſtremuſque itineris affectati quantum confecerimus; necnon conſideremus, quouſque & quibus mediis progreſſi ſimus, & ad finem ſexti à Chriſto ſeculi pervenerimus. Trecentos & aliquot ſuprà annos, Hiſtoriâ ſuâ complexus eſt *Euſebius*. *Socrates*, *Theodoritus*, & *Sozomenus*, centum ferè & quadraginta plures addiderunt: deinde ulterius producitur *Hiſtoria* ab *Evagrio*, per annos quaſi centum & quadraginta: *Simocatta* denique reliquos perſequitur ad annum (utì dixi) ſexcenteſimum primum: quo anno *Mauricius*, cum uxore, liberiſque ſuis omnibus, interfectus eſt à *Phoca*, qui ei in Imperio ſucceſſit.

SECT. XXXVI.

Seculo ſeptimo, & duobus vel tribus id ſequentibus, qui Hiſtoriam Eccleſiæ pro dignitate tractaverint, rariſſimi. Sanctorum Legendæ. Miraculorum & mirabilium Oceanus. Portentiloquiorum, & ignorantiæ tempora.

AD Septimum à Chriſti nativitate ſeculum, Auctores ſuprà recenſiti nos perduxerunt: quod

quidem, unà cum duobus vel etiam tribus ſequentibus, ſi quis diligenter perſcrutetur, haud unum credo reperiet Auctorem, qui *Eccleſiæ Catholicæ* Hiſtoriam, pro rei dignitate tractaverit. *Sanctorum* quorundam vitas & Legendas, *Martyrum* actus & paſſiones, erant qui iis temporibus literis conſignarunt. Sed fabulis plerunque ſcatent, & incredibiles miraculorum ſeries credulis ac ſuperſtitioſis hominibus obtruſerunt. Et quemadmodum ipſe *Bellarminus* de *Simeone Metaphraſte*, (qui circa An. 859. floruit) multa ex propriis addunt ingeniis, *non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt.* Per *Damaſceni* ætatem, & *Germani Conſtantinopolitani*, apud *Græcos* (inquit Rever. Antiſtes) *per tempora Gregorii Dialogiſtæ, & alterius Gregorii Turonenſis; per noſtratis Bedæ Venerabilis ſæculum, in Eccleſiam inundabat miraculorum & mirabiliorum Oceanus: per omnes omninò angiportus, noſocomia, cæmeteria, Xenodochia; per templorum tholos, cryptas, ſpheriſteria edebantur.* Idem ferè Clariſſimus *Caſaubonus*: in *hiſtoricis*, inquit, *monumentis eorum temporum, miracula ut plurimùm utramque paginam conficiebant, vel à Sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquiis edita, &c.* Unde & meritò, dubitare ſe aiebat vir doctiſſimus, deberétne illa ſæcula *χρυσᾶς τερατολογίας*, an *ἀγνοίας*, tempora portentiloquiorum, an ignorantiæ nominare. Neque ſanè à vero quidquam aberrare (meo judicio) videbitur, quiſquis de illis temporibus utrumque affirmaverit: præſertim ſi *Imperium Occidentale*, & ſub eo *Eccleſiam Latinam*, ejuſque Scriptores reſpiciat. Nam poſt horrendas illas barbararum gentium excurſiones, ruente Imperio *Romano*, politioris literaturæ omnis cognitio ruebat; ſtupenda planè barbaries, & ignorantia ſeſe infudit; Ingeniorum & literarum cultus, quaſi peſte contactus, emarcuit; artes denique neglectæ, ſpretæque jacuerunt; in tantùm, ut *quod ſpectat eruditionem* (doctiſſimi Ciceſtrenſis verba

Lib. de Scr. Ecc. An. 850

Ciceſt. in præf. ad Ap. n. 26, & 27

In præl. ad Exer.

In pr. ad Ap. n. 38

verba agnoſcite) *poſt Iſidorum Hiſpalenſem (is ad annum Domini 636, aut circiter è vitâ excedebat) ad Bedam Noſtratem Venerabilem (is in vivis erat ad An. 731) qui vel mediocriter in literis verſati fuerint politioribus, vix erant numero totidem, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.* Imò addo, nec multò plures per alios ferè ducentos annos proximè ſequentes, inter *Latinos* reperiri poſſunt. At *Græcia* fortaſſis (inquies) nobis adhuc aliquos ſuppeditabit. Eos itaque videamus, atque ita tandem procedamus.

SECT. XXXVII.

Nicephorus Conſtantinopolitanus, Simocattam ſequi poteſt. Nicephorus Calliſtus erroribus plenus. Georgius Cedrenus. De eo Scaligeri & Voſſii cenſuræ.

POST *Simocattam* igitur, accedat *Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus*, qui tempore *Copronymi*, circa Ann. 750. floruit; & Hiſtoriam Χρονικον ſcripſit, Breviarium ſcilicet de rebus geſtis, à *Mauricii* cæde, (in quâ deſiiſſe *Simocattam* diximus) ad annum Chriſti 769. Eum Auctorem primus publicavit V. CL. *Dionyſius Petavius*, ſuamque tralationem addidit. Eſt quidem alius *Nicephorus* cognomento *Calliſtus*, ætate *Conſtantinopolitano* longè inferior; ſiquidem mille trecentos annos poſt Chriſtum natus eſt; floruitque ſub *Andronico Majore*, ejuſque nepote *Andronico Minore*. Is ab origine Religionis *Chriſtianæ* Hiſtoriam orditur, eamque ad *Phocæ*, qui *Mauricio* ſucceſſit, interitum continuavit. Nempe ad Ann. 625. ſed *errores Græcorum proprii* (*Bellarmini* verba ſunt) *in hoc Auctore inveniuntur, etiam in rebus hiſtoricis.* *Voſſ. l. 2. de Scr. Gr. c. 24*

De Scr. Eccl. A. 1305.

Præf. ad Ap. n. 38 Eumque Reverendiſſimus *Ciceſtrenſis* inter illos Auctores numerat, qui per *anilem quandem ſuperſtitionem, ad prodigioſas interdum & putidas fabellas, credendas, edendas, obtrudendas projectiſſimi erant.* *Calliſto* paullò antiquior erat *Georgius Cedrenus* Monachus; ſcripſit is compendium Hiſtoriarum, ab initio mundi uſque ad *Iſaacium Comnenum*, Ann. videlicet à Chriſto nato 1057. quo tempore etiam floruiſſe videtur. Verùm & iſte ſcriptor notæ non uſquequaque optimæ perhibetur. Quid de eo cenſuit Magnus *Scaliger*, ex hiſce verbis ejus liquet. Totum *Cedreni opus, eſt ſtabulum quiſquiliarum, & cento ex multis pannis ſordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris conſutus.* Mitius aliquantò doctiſſimi *Voſſii* de eo judicium, aut certè verbis mitioribus expreſſum. Sic enim ille: *In rebus Byzantinis Zonarâ paulò diligentior eſt: in iis autem quæ Cæſares Conſtantinopolitanos præcedunt, cedit Zonaræ; à quo & ſtylo vincitur, uti etiam à Nicetâ, & Gregorâ, & aliis. Interim in Centone hoc, ac pœnè dixerim quiſquiliis iſtis, aliquos purpuræ pannos reperire eſt.* Ita *Voſſius*. Denique *Georgium Syncellum*, & *Theophanem*, qui *Syncellum* continuavit, à *Cedreno* ad verbum exſcriptum, affirmat uterque, *Scaliger* & *Voſſius*. Poſtremò, Hiſtoriam *Cedreni*, à morte *Nicephori* Imperatoris, cognomento *Botoniatis*, uſque ad imperium *Iſaacii Comneni*, ſub nomine cujuſdam *Johannis Curopalatæ* (paucis exceptis) totam legi monuit *Geſnerus*; quod à doctiſſimo *Caſaubono* confirmatur. Ita, ut alter eorum plagii reus ſit, neceſſe eſt.

Not. ad Strab. l. 17. p. 267

SECT.

SECT. XXXVIII.

Zonaræ Tertius Tomus lectori commendatur. Historiam complectitur ad An. 1118. Annæ Comnenæ Alexiada. Egregiæ illius Heroïnæ laudes.

QUinquaginta & ampliùs annis post *Cedrenum*, floruit *Johannes Zonaras*, nimirùm circa annum, 1120. Is (uti civiles inter Historicos jam notatum est) universalem scripsit Historiam, quam in tres tomos partivit: quorum hoc in loco tertium præsertim, Lectori nostro commendare placet. Siquidem eo Tomo, quæ in *Oriente* à *Constantino* Magno, ejusque in regno successoribus, usque ad sua tempora gesta fuerint, exactiùs describere laboravit, utpote paucis aliis tentata. Singulis Tomis rerum aliis indictarum, sæpè fit mentio (inquit vir quidam doctus;) tertiâ verò Historiæ suæ parte, ea pleráque tradit de rebus *Byzantinis*, quæ præter ipsum nemo alius, & sine quibus, nos bonam partem eorum, quæ à posterioribus Imperatoribus *Orientis* gesta sunt, ignoraremus. Ecclesiæ quidem solius *Constantinopolitanæ*, & controversiarum Religionis in *Orientalibus* Ecclesiis motarum, Historiam intexit, & ad sui ævi Imperatoris, *Alexii Comneni* obitum, eam continuavit. Sed illud maximè observandum, quòd (opinione doctissimi *Vossii*) in sui temporis rebus, pleráque perfunctoriè dixerit: & admodùm paucis *Alexii Comneni* vitam perstrinxerit. Hunc tamen defectum supplevit *Alexii* ipsius Imperatoris filia, *Anna Comnena* dicta, quæ de rebus gestis sui patris, libros aliquam * multos scripsit, & *Alexiada* nuncupavit. Ejus eruditionem valde prædicat ipse *Zonaras*, tomo

Vid. Sect. 23.

An. Do. 1118.

Lib. 2. de H. Gr. c. 27.

Viz. 15

tertio propè finem; ubi de *Bryennii Cæsaris* (ejus mariti) potentiâ, juxtà & eruditione talibus loquitur verbis. *Erat autem & ipse studiis doctrinarum deditus, & uxor ejus in eisdem operam nihilo minorem, aç potius majorem ponebat, exquisitè Atticissans, ingenioque prædita acutissimo, ad abstrusissimas quasque contemplationes.* Neque hîc sistit Historicus, sed pergit, & ostendit, quomodò ad tantam eruditionis excellentiam adspiraverit. *Eam facultatem partim naturæ bonitate, partim industriâ, consecuta est: affixa etiam erat libris, & eruditorum consuetudine haud obiter utebatur.* Verùm hæc ipsa prænobilis fœmina, ad miraculum docta, in hac suâ Historiâ, ne amori erga suum parentem nimium aliquando indulserit, nonnulli haud leviter suspicantur.

SECT. XXXIX.

Nicetas Acominatus Zonaram immediatè sequitur. Nicetam Gregoras. In hoc censu quare ponantur. Lipsii de eorum Utroque judicium. Gregoræ fides in dubium vocatur. Johannes Cantacuzenus hoc loco à doctissimo Vossio lectoribus commendatur. Superioribus subsequatur Laönicus Chalcocondylas.

Zonaram Nicetas Acominatus, sive *Choniates*, ordine sequitur, eique suam immediatè subjicit Historiam. Namque ubi desinit *Zonaras*, ibi incipit *Nicetas*, & octoginta quinque annorum res gestas fusiùs, ac liberiore nonnihil orationis ductu prosequitur, usque ad urbem Constantini captam à *Balduino Flandro*, & annum 1203. Ex *Chonis* Phrygiæ

Phrygiæ oppido oriundus erat, atque indè cognominatus. *Gregorii Logothetæ* Chronicon hîc locum habere potest. Captæ Constantinopoleos Historiam complectitur, annorum ferè sexaginta, nempe à *Balduino Flandro*, ad *Balduinum* ultimum Imperat. Utrique isti Auctores proximè nominati, *Zonaras* & *Choniates*, maximos in Imperio *Constantinopolitano* honores gessêre: quò magis idoneos ad Historias scribendas putemus. Prior ille, Magnus *Drungarius*, & * *proto-Secretarius* fuit: hic autem posterior *Logothetа* * Magnus, (præter alia) & *Sacri Cubiculi* præfectus. *Nicetam* similiter excipit *Nicephorus Gregoras*, qui centum quadraginta quinque annorum consequentium Historiam literis consignavit, nempe à *Theodoro Lascare* priore, usque ad suam ætatem, sive ad obitum *Andronici Palæologi* posterioris, qui incidit in Ann. Christi 1341. Fatendum quidem est, duos hosce postremos, non tam *Ecclesiæ*, quàm Imperii *Græcanici* rebus describendis operam impendisse: quum tamen Ecclesiastica quædam nonnunquam interponant, ac carptim pro occasione libent, necnon inter *Scriptores Ecclesiasticos* numerentur; quumque *Zonaræ* suam attexat narrationem *Choniates*, & ea quæ *Choniates* reliquerat, *Nicephorus* impleat, quasi ex proposito Historiæ corpus quoddam absolvere conarentur; eos prætermittere non potui, & præsertim quòd inter recentiores Græcos melioris notæ Auctores habeantur. Quæ postrema ratio, ut Historiarum amatoribus magis eluceſcat, & ad horum quoque Auctorum lectionem eos faciliùs inducat, *Justi Lipsii* de iis judicium huc adpingere lubet. *Nicetas* (inquit ille) *parùm adhuc vulgò notus, fateor; sed dignissimus notitiâ: purum rectumque ingenium, si aliud illo ævo. Stylus ejus operosus, poëtas & Homerum sæpe resipiens: at res & narratio ipsa, distincta, composita, sine vanitate, sine ineptiis, brevis quod satis est, & fida. Crebra apud eum*

* *Juxta nonnullos Vigilum præfectus; juxta alios millenariæ cohortis præfectus*

* *Summus Cancellarius; ita Salmasius.*

Bellar. de Scr. Eccl.

In no. ad 1. pol. v. 9

& opportuna monita: judicia non libera ſolùm, ſed ſana. Ad ſummam, legite vos politici: gratiam mihi aliquis pro judicio habebit: certè debebit. Tantum de *Choniate*. De *Gregorâ* ſic pronunciat. *Nicephorus Gregoras Nicetæ Hiſtoriam, & filum narrationis excepit; at non laudem. Scripſit enim ab urbe captâ res, ad Andronici Palæologi poſterioris mortem; ſed nequaquam pari caſtigatione aut induſtriâ, & vitia plura traxit ſui ævi. Superfluit, aut evagatur: & res orationéſque proprias miſcet, indecorè, imò ineptè. Judicia tamen ejus crebra, & plerumque recta: cauſæ eventuum curiosè poſitæ: pietas inculcata, & multa opportunè ad primam illam cauſſam relegata, id eſt Deum. Sanè providentiam & fatum non alius Scriptor aſſeruit magis. Legendus cùm hoc nomine, tum etiam illo, quòd pleraque ejus Hiſtoria ab ævo noſtro non diſſidet, imò lites diſſenſiſque in ſacris reperies, haud diſſimiles hodiernis.* Ita *Juſtus Lipſius*. Cæterùm de fide hujus etiam *Nicephori*, à viris in Hiſtoria doctiſſimis, nonnihil dubitatur; in rebus præſertim *Andronici Palæologi* illius, cujus in morte eum deſinere ſuprà diximus. Ibi igitur ſi placeat Hiſtoriarum ſtudioſo, legendus inſuper erit *Johannes Cantacuzenus*, qui ex *Imperatore Monachus* factus, luculentam condidit Hiſtoriam, ſub nomine *Chriſtoduli*, de Imperio *Andronici* illius Junioris, & ſuo. Hunc multis nominibus Hiſtoriarum ſtudioſis, commendat doctiſſimus *Voſſius*; utpote *cujus Hiſtoria eo majoris fieri debeat, quia ſcripta eſt ab illo, non qui umbraticam ſemper vitam egiſſet; ſed qui primùm magnus fuerit domeſticus: ac poſt obitum Andronici Junioris, liberorum ejus tutelam obtinuerit, & mox (ita volente Senatu, & Imperii rebus exigentibus) Imperator creatus ſit, atque in eâ dignitate prudenter ac fortiter ſe geſſerit. His illud accedit, quòd non de rebus ſcripſit parùm ſibi perſpectis; ſed quibus ipſe interfuit, atqui adeò præfuit. Sanè inter recentio-*

Voſſ. l. 2. de hiſt. Gr. c. 28

Cl. 1350.

res

res Græcos non ei quenquam puto præferri oportere. Ita doctiſſimus *Voſſius.* Denique ne ſubſiſtat noſter Hiſtoriarum ſtudioſus, aut lectionis ſuæ interrumpat curſum, donec ultimam *Orientalis* Imperii viderit periodum, & miſeram *Eccleſiæ* inibi conditionem; *Læonici Chalcocondylæ Athenienſis* Hiſtoriam ſuperioribus adjungat. Is enim quid porrò factum ſit, & quomodò tandem Auguſta illa urbs, non contenta in Orbe ſecundas ferre, ſed *Romæ* ipſi, rerum dominæ, vehementer æmula, in potentiſſimi *Turcici Tyranni*, ac fidei noſtræ, ſacroſanctæque crucis hoſtis acerrimi, poteſtatem pervenerit, haud negligenter oſtendit. Quin & ejuſdem Tyranni, gentiſque ſuæ, originem, auctum, progreſſumque, luculenter deſcribit. Ab *Ottomanno* igitur *Orthogulis* filio, qui regnare cœpit circa annum MCCC. orditur Hiſtoriam, quam decem libris exequitur, atque iis *Eccleſiæ Imperiique Orientalis* res, uſque ad captam à *Mahomete Conſtantinopolim*, circa annum Chriſti 1453, complexus eſt.

SECT. XL.

Blondus Forlivienſis Orientalium Scriptorum defectum in Hiſtoriâ Eccleſiæ ſupplere poteſt, unà cum aliis. Sigebertus Gemblacenſis. De eo ſententia Card. Bellarmini. Sigebertum continuat Robertus Abbas, ad ann. 1210. *Chronicon Hirſhavenſe, ad Ann.* 1370. *Et Paraleipomena ei Chronico adjuncta, ad ſeculum proximè elapſum. Gobelini Perſonæ Coſmodromium. Ubi & quando legendum. Ejus laus. Loco Coſmodromii, legi*

legi poteſt Alberti Crantzii Metropolis, in quam multa è Gobelino congeſta, & Hiſtoria à Caroli M. temporibus ad An. 1504. perducta. Poteſt etiam Naucle-rus horum vicem ſupplere. Et, ut repe-titiones vitet Lector, incipiat à mediis generationibus Tomi Secundi. Joh. Slei-danus Commentarios Eccleſiaſticos ſcrip-ſit, ab Ann. 1517, ad Ann. 1556. quos continuavit Caſpar Lundorpius, ad Ann. 1609.

VErùm enim verò, Auctores, quos poſtremò recenſuimus, de rebus *Orientalibus* omninò ſcripſerunt; *Occidentalis Eccleſiæ* ſtatum, vix quidem obiter attigerunt. Hunc itaque defectum *Blondus Forlivienſis* (qui integram & continuam rerum ſeriem, poſt inclinationem Imperii factam, in Decadibus ſuis complexus eſt, ab anno Chr. 407. uſque ad 1400; quemadmodum ſuprà quoque notavimus:) loco multorum præſtabit, vel ſequentes Auctores facilè ſupplebunt. Nimirùm, primò *Sigebertus, Monachus Gemblacenſis* in *Brabantiâ*; ab Anno Chriſti, 381. (hoc eſt paullò ante finem *Tripartitæ Hiſtoriæ*) exorſus, ad annum uſque M. C. XIII. ſuum *Chronicon* perduxit. Iniquiorem quidem fuiſſe eum *Gregorio* 7°, pontifici Maximo, affirmat *Bellarminus*; ob ſtudium videlicèt erga Imperatorem *Henricum* quartum, cujus partibus etiam fortaſsè favebat; immò mendacii eum poſtulat idem *Bellarminus*, circa ipſius *Gregorii* obitum; verùm quàm verè, ipſe viderit. *Sigebertum* autem continuavit *Robertus Abbas* de Monte, uſque ad Ann. M. CC. X. Deinde *Chronicon Hirſhavenſe Trithemii*, uſque ad Annum 1370.

Floruit an. 1440

Vid. Sec. 24.

Claruit an. 1094

Euchoic. an. 379.

De Scr Eccl. an. 1101.

Chronico

Chronico denique *Abbatis Vrſpergenſis* addita Paraleipomena, Hiſtoriam ad noſtra ferè tempora perduxerunt. Vel ſi iſti minùs placeant, alios habemus nihilo ſuperioribus lectu minùs dignos. In hoc cenſu primus eſt *Gobelinus* quidam *Perſona*, Auctor non contemnendus, doctorum judicio; qui Chronicon univerſale inſtituit, quod *Coſmodromium* inſcripſit: quo res Eccleſiæ juxtà & Reipub. complectitur, ab orbe Condito, uſque ad An. Chriſti, 1418. quo tempore imperavit *Sigiſmundus*, *Caroli* 4. filius. *Gobelinus* iſte, opus ſuum in Sex Ætates diſtinxit, per quas omnes, appareat eum, pro captu ſeculi in quo vixit, non vulgari, & eruditione, & diligentiâ, atque ſtudio, indagandarum rerum ad Hiſtoriam pertinentium fuiſſe. Jam verò, ſi quis fortè exiſtimaverit, rerum ante Chriſtum natum repetitiones, Lectori tædium allaturas; cùm ad hunc Auctorem acceſſerit, incipiat ab ætate ſextâ, quæ à Nativitate Domini auſpicatur. Vel ſi id etiam minùs gratum fuerit, poſt hunc, *Albertus Crantzius Metropolim* ſcripſit, ſive Hiſtoriam *Eccleſiaſticam*, de *Eccleſiis Caroli M.* ætate conſtitutis, vel inſtauratis. In quâ contexendâ *Metropoli*, *Gobelini Coſmodromio* plurimùm eſt uſus, integraſque ex eo paginas deſcripſit; quod fecerunt etiam alii poſt eum, teſtante doctiſſimo *Voſſio*. Orditur à *Caroli Magni* temporibus, ac progreditur uſque ad Annum 1504. Denique *Johannes Nauclerus* Nobilis *Suevus*, Chronicon ſcripſit ab initio Mundi, uſque ad Annum M. D. duobus voluminibus diſtinctum. Primum volumen, *Generationes* (uti vocat) ſexaginta tres continet, videlicet Generationes *Veteris Teſtamenti*. Secundum volumen cum Appendicib. *Generationes Teſtamenti Novi*, quinquaginta & duas complectitur. Iſtud autem opus priuſquam ederetur, *Philippus Melanchon* partim diſponendo, partim augendo, partim etiam retexendo, id præſtitit, ut lectio libri iſtius à plurimis expete-

Albi. hi. Sax. p. 246.

Voſ. de hiſt. lat. l. 3. c. 10. p. 582.

Voſ. l. 3. c. 10. de hiſt. lat. p. 581.

Claruit an. 1510

expeteretur, & fructu voluptatéque non careret. Potest verò Lector à Secundo volumine, vel à mediis ejusdem voluminis generationibus, Historiæ continuationem petere, si fortè earum rerum, quas in aliis Auctoribus jam legerit, repetitiones vitare
Fl. 1555 cupiat. Postremò, *Johannes Sleidanus*, patrum nostrorum memoriâ, Commentarios scripsit de statu *Religionis*, ab Anno MDXVII ad Ann. MDLVI. Ejus autem Historiæ continuationes adjecit *Caspar Lundorpius* tribus voluminibus, usque ad Annum MDCIX.

SECT. XLI.

Venerabilis Beda, & Usuardus minimè prætereundi; neque Pontificum Roman. vitarum Scriptores; Anastasius Biblioth. Bartholomæus Platina; eorum insignia elogia. Platinam recensuit Onuphrius, & continuavit ad Ann. 1566. *Sigonius quoque suis Historiis res Ecclesiæ intertexuit, & in hoc censu numerari meretur. Sigonii & Onuphrii elogia.*

EXtant prætereà Auctores alii non pauci, nec minoris æstimandi, quàm plerique superiorum.
Ca. Sigo. in Indi. de Hist. Inter quos primo loco *Venerabilis Beda* nostras occurrit. Qui Annales scripsit à Mundi initio, ad Imperatorem *Leonem Iconomachum* dictum, cujus ætate floruit, Ann. 730. Cùm ad sua tempora devenit, latiùs res explicavit, diligens & pius scriptor. Circa Ann. 812. floruit *Usuardus*, *Monachus Fuldensis*, natione *Gallus*, sed *Alcuini* nostratis discipulus. Is *Caroli Magni* jussu, *Martyrologium* edidit;
Bellar. de Scr. Eccl. An. 812

didit; in quo *Confeſſorum*, aliorúmque *Sanctorum* vitas paucis inſeruit: id hodiéque extat, *non exiguo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ bono*, ut viri doctiſſimi verbis utar. Præ reliquis, qui de rebus *Eccleſiæ Occidentalis* ſcripsêre, haudquaquam negligendos, immò potiùs cum primis legendos exiſtimo, *Vitarum Pontificum Romanorum* Scriptores; præſertim *Anaſtaſium Bibliothecarium*, & *Baptiſtam* ſive *Bartholomæum Platinam*: in illo quidem (dicit neſcio quis *Moguntinus* haud indoctus) habemus ſincerè & fideliter, excluſo omni verborum fuco, deſcriptas centum & novem *Romanorum Pontificum* vitas: hoc eſt, quotquot à Beato *Petro Apoſtolo*, uſque ad An. Dom. ferè ſeptuageſimum ſupra octingenteſimum *Romanam* Cathedram obtinuerunt: videlicet à Beato *Petro* uſque ad *Nicholaum* primum, qui anno 867. è vivis exceſſit. Scriptoris hujus egregium habemus elogium apud Magnum *Annaliſtam Cardinalem*. Sic enim loquitur. *Anaſtaſius Bibliothecarius, etſi rudi ſtylo, fideliſſimè tamen rerum geſtarum Hiſtoriam enarravit, immò in rerum ſui temporis narratione, nullum fideliorem & meliorem ſcriptorem habemus, apud quem magis cum ſimplicitate veritas, quàm cum fuco mendacia valuerunt.* Et de eodem, clariſſimus Hiſtoricus *Carolus Sigonius: nobis valdè charus, inquit, eſſe debet hic ſcriptor; quòd ea quæ nec meliores, nec pejores habent, literarum monumentis tradiderit.*

Claruit Anaſta. ann. 870

Tom. 9. ad An. 752, & 799.

Bartholomæus Platina (id enim prænomen ei indit *Volaterranus*; & argumentis ſatis liquidis probat doctiſſimus *Voſſius*, licèt à pleriſque aliis vocetur *Baptiſta*) de vitis *Pontificum*, uſque ad *Paulum* II. ſcripſit, labore quidem ingenuo, & incorruptâ veritate, *Pontificii Principatûs* actiones, in lucem proferens. Ita de eo *P. Jovius*. Cui etiam concinit *Volaterrani* de eodem judicium; nempe *virum fuiſſe gravem affirmat, & procul mendacio, eóque admiratione digniorem, quòd jam provectâ ætate, ac poſito*

Lib. de hiſt. Lat. p. 534.

Elog. 19. vir illuſt. Vola. l. 21 f. 246. b.

posito tyrocinio (*quod totum militiæ priùs tradiderat*) *literas didicit.* Vixit tempore *Sixti Papæ* quarti ejus nominis: cui & opus suum dedicavit, & à quo *Bibliothecæ Vaticanæ* præfectus erat. Huic libro notas *Onuphrius Panvinius* addidit (ita *Bellarminus*) *non contemnendas*; & porrò à *Sixto* quarto incipiens, *Pontificum* quatuordecim Historiam, usque ad *Pium* quintum, & ad annum MDLXVI. eam propagavit. Quorum vitis describendis, *Onuphrius*, præter privatos publicosque annales, diaria, & acta consistorialia, *Raphaelem Volaterranum*, & *Paulum Jovium* præcipuè secutus est. Auctores, & aliquot etiam à *Jovio*, sed brevissimè, mutuatus est. Denique (uti inter civiles Historicos suprà notavimus) Res in *Occidentali Imperio*, tam ad *Ecclesiam*, quàm ad *Remp.* pertinentes, quæ comperiri diligentiâ possent, singulari curâ collegit, eruditissimus *Sigonius*; easque, quàm verissimè in maximâ rerum obscuritate, scriptorum dissensione, & temporum vetustate potuisset, luculento stylo posteritati mandavit: à *Diocletiano* & *Maximiano Augustis* incipiens, anno 281. & in morte *Justiniani* desinens, qui obiit anno Christi 565. Hic etiam adhiberi possunt ejusdem Auctoris Historiæ, *Bononienses*, & de *Regno Italiæ*. Idem quod *Sigonius*, præstitit *Flavius Blondus Forojulienses*, inferiùs paulò historiam incipiens, sed longiùs continuans, nempe ab anno Christi, CCCCVII. usque ad ann. 1440. sed non pari accuratione aut elegantiâ cum *Sigonio*: usus est enim dictione non admodùm cultâ, (ut *Volaterranus* agnoscit;) de *Antiquitate* tamen, *utcunque interdum aliquid humani patiatur, sanè pro ætate quâ vixit, optimè meretur.* Uti doctiss. *Vossius*: floruit autem circa ann. CIↃCCCCXL. *Eugenii* IV. pluriúmque *Pontificum Romanorum* Secretarius.

Bell. de Sc. Eccl. an. 1472

Onuphr. in præf. ad Lect.

Sect. 24.

Lib. 3. de Hist. La. p. 531.

SECT.

SECT. XLII.

Centuriatores Magdeburgici opus in hoc genere perquàm utile ediderunt. Rev. Epiſcopi Ciceſtrenſis de eo judicium. Quid in eo laudabile contineatur. Fundamentum ejus probè locatum. Materies ad ſtructuram unde collecta. Defectuum excuſatio.

QUòd ſi tot juges pervolvere Auctores, Hiſtoriarum ſtudioſo, res nimii laboris hîc quoque videatur; atque uni alicui, aut alteri (ubi, inſtar omnium aliorum, poſſit invenire) potiùs inſiſtere deſideret: *Centurias* habemus *Magdeburgicas*, à viris quibuſdam doctis, in eum finem maximè contextas: ut, quæ fuerit *Eccleſiæ* fides per ſingula ſecula, quæ diſciplinæ forma exterior, quæ mutationes illi acciderint, ob oculos hominibus ponerent. Quod luculenter præſtiterunt; atque opus certè perquàm laudabile, *Eccleſiæque*, noſtris præſertim temporibus, (quibus tot ac tantæ, circa fidem ac diſciplinam, moveantur controverſiæ;) ſi cautè interdum, & circumſpectè legatur, apprimè utile ediderunt. De quo liceat mihi Reverendiſſ. *Ciceſtrenſis* Epiſcopi judicium ſuis ipſius verbis hîc proferre; quibus quid de ſuperioribus omnibus, præ hoc uno opere cenſendum ſit, quidque in hoc opere maximè obſervandum, intelligetis. Sic enim eruditiſſimus *Antiſtes*. *Poſt tabulas quaſdam & delineationes Chronologicas, ſæculorum, ab Apoſtolis decurrentium; in quibus leviori operâ, ſed non inutili, lineamentorum quædam adumbratio, non τὸ σῶμα, vel τὸ ζωϊόλον repræſentabatur: poſt nonnullas, hinc inde, prout tulerat occaſio, per partes decerptas* Præfa. in Ap. n. 47

Hiſtoriæ

Historiæ Ecclesiasticæ racemationes; *inventi tandem sunt, qui seriò rem aggressi, plenissimam nobis vindemiam expresserunt: Centuriatores nimirùm, qui dicuntur Magdeburgici. Facinus aggressi pulcherrimum: opus arduum: Herculeam plane molitionem: qui de disiectis hinc inde, & vagè, variéque dispersis ruderibus antiquitatis, collisæ plerúnque, dissipatæ, & dissectæ; ædificium quoddam insigne, usu eximium, Orbi Christiano construxerunt. In quo multa sunt quæ laudes, & admireris: nec pauciora quæ nequeas comprobare.* Pergit autem Reverend. idem *Antistes* particulariùs narrare (& ut Lector noster, quem instituimus, diligenter observet, suadeo;) pergit inquam narrare, quæ probanda, laudandáque æstimaret.

Idem, lb. num. 48. *Certè quidem rerum ordo ille splendidus: series & methodus singularis: rerum & temporum dispositio enucleata: quam per singulas annorum Centurias observant & proponunt, ita ut sigillatim exhibeantur: Fidei ἔκθεσις: disciplinæ σύνταξις: mores hominum, virtutum progressus & incrementa: labes iterùm atque nævi: hæreses, errores, aberrationes à verâ & sincerâ pietate, schismata ex ambitione, & factiones concitatæ: viri celebres per ætates singulas, eruditionis famâ, & sanctitatis commendatione. Hæc inquam & similia, Centuriarum ornamenta, quæ negari nec possunt, nec debent, mentes movent, jucundâ luce perfundunt, non ipsas solummodò res enarrandas, sed vitam quoque Historiæ, veritatem, commendant, & ad se, legentium oculos animósque blandissimè alliciunt, insinuando. Quod nobis ædificium Historicum dum construunt, fundamentum ejus imprimis statuunt, ὃν καλῶς, super lapidem illum pretiosum, angularem: à Deo, structorum omnium ἀρχιτέκτονι excisum de monte, dedolatum, exasciatum, positum & fundatum, in Scripturis sacrosanctis, quatuor sanctissimorum Evangelistarum: ab Apostolis & illorum demùm ministerio, excultum dein-, & perpolitum: quem & scriptæ Epistolæ ad Ecclesias, & actus con-*

texit

texti de Eccleſiis, ad æternitatem propagarunt. Hinc jam provecti ulteriùs, in apertum & immenſum pelagus, diſciplinæ formam exteriorem: Fidei Eccleſiaſticæ normam & tenorem: mutationes in moribus & converſatione: Hæreticorum fraudes, impoſturas, impietates, adverſariorum ἐναντιώσεις: Militum, Ducum, & Pancratiaſtarum Jeſu Chr. colluctationes & agoniſmata: per partes illius operis luculentiſſimi, cum multiplici aliarum rerum varietate, exhibent & exponunt, indagatores certè ſolertiſſimi; enarratores expediti. Ulteriùs adhuc progreditur doctiſſimus *Præſul*, indicátque undè gentium, tot ac tanta, naviſſimi, maximéque induſtrii centuriatores, coëgiſſent in unum & comportaſſent. *Iſta quidem omnia* (inquit) *ſic corraſa undecúnque & convaſata, in unum velut acervum contulerunt, de ſcriptis Patrum* Apologeticis & Eriſticis, *de ſcriptis* diegematicis, Commentariis & Explicationibus *credendorum: de Sermonibus panegyricis &* Homiliis: de Actis *imprimis Synodalibus: de* Epiſtolarum *tabulis, ad diverſos, de diverſis rebus: Hiſtoriis veterum, ad extremum, quæ de clade temporum ſuperiorum, nobis adhuc ſuperſunt paucæ, vel integræ vel redactæ in* Epitomen, *lautam ſanè ſupellectilem, &, quoad fieri potuit, inſtructiſſimam. Si quid operi inſtituto, de perfectione defuit, vel debitâ vel deſtinatâ; ex æquo & bono, more majorum poſſit excuſari; tum quòd principes rem aggreſſi, aliis intentatam, illibatam: tum quòd ſecundas curas non adhibuerint, ut illa, quod fieri per ἐπανορθώσεις ſolet, quæ minùs exactè, vel enucleatè fuerant ab initio delineata vel delibata, limatiùs deinceps exaccurare, & majori curâ atque diligentiâ poſſent perpolire.* (dem ib. num. 47.)

SECT. XLIII.

Centuriatores erroribus obnoxios, docet eruditissimus & Reverend. Ciceſtrenſis. Caſaubonus agnoſcit. Opus ipſum tamen valdè utile eſſe, oſtendit idem Reverend. Antiſtes.

HÆc, atque alia plura, Reverend. *Antiſtes*, de *Magdeburgenſibus*; unde, quid, & quanta præſtiterint, facilè dignoſcat Lector. Sed eorum etiam σφάλματα, errores, & vitioſos affectus noſſe, haud parùm intererit: neque id prætermiſit eruditiſſimus idem *Præſul.* Imò luculenter oſtendit, in quibus peccârint, in quibus ſeſe reprehenſione dignos exhibuerint: utì legere poteſtis, in eâdem præfatione ad *Apparatum*, numeris, 50, 51, 52, & 53. Quin & doctiſſimus *Iſaacus Caſaubonus* agnoſcit, haud pauca eſſe, quæ deſiderari poſſunt in aliquibus *operis* illius *luculentiſſimi* partibus. Et tamen reverà, quanquam non pauca habeant *Centuriatores* iſti, quæ nec ferri debeant, fortaſsè nec excuſari: nihilominùs, eruditiſſimus idem *Præſul*, numero ſtatim 54. fatendum affirmat, *utiliſſimum Reipub. Chriſtianæ extitiſſe illud, hominum certè laborioſiſſimorum,* ἐπάνημα. *Opus omni laude & acceptatione dignum.* Nec temerè id affirmat: rationes inſuper multiplices ſubjungit; quarum nonnullas, ſuis ipſius verbis longe diſertiſſimis, hîc referre nequaquam pigebit.

Epiſt. prælim. ad Exer. con. Ear.

Præf. ad Appar.

Ibid. num. 54.

Quippe (inquit) *cùm veteris Reipub. Chriſtianæ effigiem repræſentet, mores exprimat, fidem enunciet: cùm ſucceſſiones Apoſtolicas per Eccleſiam: doctrinæ progreſſum & diffuſionem notet: defectus, nævos,* παραδιορθώσεις, *ab Hæreticis invectas, & ſententiâ ſchiſma-*

schismaticorum. Hæc, & alia hujus generis scitu utilissima, cùm σποράδην κείμενα, velut magni ædificii quædam rudera, vel corporum disjunctorum ἀποσπάσματα, sub uno & eodem intuitu, in unum simul recollecta posuêre. Est hæc ipsorum opera cùm laude digna & acceptatione, tum vel maximè conjuncta cum communi utilitate. Ita enim quæ priùs per anfractus & ambitus nescio quos, per infinitas circuitiones consectabamur: quæ raptim, carptim, sparsim, hîc, illic, alibi, prout se occasio offerebat, magno labore & conatu, nonnunquam irrito, erant indaganda; illa omnia jam disposita particulatìm, locis suis certis, & determinatis, luce quâdam ordinis, & dispensatione commendatiora, cujuscunque vel mediocri industriâ, perquiri possunt, ita ut statim obversentur oculis, non difficulter usibus inserviant, & in rem præsentem offerantur: hæc de Centuriatoribus, & eorum opere celeberrimo.

SECT. XLIV.

Baronii Annales Centuriis pares. Opus planè stupendum. Casauboni de eo judicium; item Reverend. Præsulis Cicestr. Annales isti cautè legendi, quare. Spondanus Jesuita eorum Epitomator.

ÆQualis momenti, atque existimationis, addo & utilitatis, cum *Centuriis*, habentur Magni *Cardinalis* Baronii *Annales Maximi*, quos istis *Centuriis*, haud ita dudum scripsit, ut opponeret: opus planè stupendum, (confessione doctissimorum, & ipsius *Casauboni*) utpote quo, totius orbis *Christiani* res gestas, præsertim autem eas, quæ ad *Ecclesiam* pertinebant, in continuam seriem annorum, sic digessit Auctor, ut *unius urbis Fastos concinnaret.*

Raino. de Id. Rom. l. 1. c. 4.

In pro'e. ad Exer.

cinnaret. Is etiam unus eſt, qui neſcio unde, ex abdito, tam multa, planè priùs ignota, primus prompſit in lucem; qui antiquorum *Epiſcoporum* in magnis urbibus ſucceſſiones, veterum hæreſeon originem, progreſſum, & finem, tempora *Eccleſiæ* ſive tranquilla, ſive turbulenta, tam accuratâ diligentiâ explicuit; qui denique (merita ſua in *Eccleſiam*, ſi immoderato partium ſtudio non corrupiſſet;) *dignus erat ſine controverſiâ, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, adſurgerent, & faſces ſubmitterent.* Sic de *Cardinale* Baranio clariſſimus *Caſaubonus.* Neque ſolitarius eſt in hac de viro Magno ſententiâ. Suffragantur ei (utì dixi) doctiſſimorum plerique, qui recto freti judicio, alienarum vigiliarum *cenſores* eſſe merentur. Præ aliis, auctoritatem apud nos, eruditiſſimus *Antiſtes Ciceſtrenſis*, toties ſuprà advocatus, jure meritò vendicare poteſt; qui magnum illum *Cardinalem* laudat, ùbi meretur; neque ei parcit, ubi vituperandum cenſet. Ipſiſſima ejus verba accipitote. *Nihil eſt penè* (inquit) *quod magnoperè deſideres in Baronio, ſi unum illud abfuiſſet, cui nimis incumbit ſemper, & indulget vehementiùs, partium ſtudium & φιλονεικία. Negari haud quidem poteſt, quod in illo accuſant doctiſſimi viri, adeò illum in defenſione, & laude illarum partium, quas probabat, quas propugnandas ſuſceperat, totum eſſe occupatum, ut quicquid uſpiam eſt, vel extabat olim, per Romanam Eccleſiam depravati moris, deſertæ vel deſolatæ fidei, nundinationum ſacrarum rerum improbiſſimam, ſacrilegii execrandi: quicquid patratum audaciùs, quæ plurima erant, & inſolentiùs, in nominis Chriſtiani præjudicium, Eccleſiæ dedecus, pietatis opprobrium, Jeſu Chriſti contumeliam, per Pontifices quoſdam improbiſſimos, quod non inficiantur vel Catholiciſſimi, hominum monſtra agnoſcentes, & humanitatis propudia, excuſet: hoc parùm eſt: tueatur ſæpi-*

Præfat. ad Ap. num. 63.

ſæpiuſculè: & hoc parùm eſt; quin laudet interdum & ornet ab oratione. Non refingit mores urbicos ad Antiquitatem, ſed ipſam antiquiſſimam antiquitatem, invitam, reluctantem, obtorto collo trahit ad Fidem urbicam tuendam, illam imprimis malè natam, malè fotam, de directâ pontificiæ Omnipotentiâ, ad quam confirmandam, omnem ſuam applicat ſupellectilem, & ingenii nervos contendit. Ita doctiſſimus *Antiſtes*; adeò ut rectè concludere liceat, haud temerè dictum à clariſſimo *Caſaubono*, *ingentia Cardinalis merita, partium ſtudio fuiſſe corrupta.* Hàc propter (Auditores) ſciat Eccleſiaſt. Hiſtoriæ ſtudioſus, *Annales Baronianos* non ſine cautione legendos: ubi verò, & quanta adhibenda ſit ex parte aliquâ, luculenter indicat eruditiſſimus *Caſaubonus*, in prolegomenis ſuis ad *Exercitationes Baronianas.* Sed & doctiſſimus *Antiſtes Ciceſtrenſis*, ſicuti *Magdeburgenſium* errores, ac temerationes perſtrinxit; ita etiam in quibus reprehenſionem incurrat *Prælustris Annaliſta*, non uno in loco diſertis verbis commonſtrat. Voluminoſum illud *Cardinalis* opus, in *Epitomen* contraxit *Spondanus*, homo *Jeſuita*, ſed maledicus, & convitiator egregius; qui tamen diligentiæ ſuæ, meritas fortaſsè poſſet reportare laudes; niſi *Baronianis* nimis ſuperſtitioſè inſiſtens veſtigiis, *Paparum* omnipotentiam aſtrueret, Regum principúmque majeſtatem imminueret, & pernicioſiſſimum *Hildebrandinæ* doctrinæ venenum, lectoribus ebibendum, quaſi aliud agens, propinaret.

Sunt alii Baronii Epitomatores, ut Ezovius, Biſciola, Joh. Gabriel.

SECT. XLV.

Priores centurias Magdeburgicas octo, compendifecit Lucas Osiander; nec inutiliter. Ab Octavâ, ad Decimam sextam transilit. Ejus res meritò fusiùs tractat. Ad hanc centuriam pertinet Historia Concilii Tridentini. Istius operis, atque etiam Auctoris encomia. Jac. August. Thuanus, accuratæ suæ Historiæ, res etiam Ecclesiasticas interseruit, ab An. 1546. ad An. 1608. Inde continuatur Historia ad An. 1618.

Claruit an. 1603

Magdeburgensium etiam *Centurias*, octo scilicèt priores, in compendium reduxit *Lucas Osiander*, vir nequaquam postremi nominis; atque ita quidem reduxit, ut nihil ferè rerum, scitu admodùm necessariarum, omitteretur. Nam (præter singulorum annorum seriem) faciliori negotio conspiciendum proposuit, quis fuerit *Ecclesiæ* status, à Christi nativitate, & deinceps: quomodò *Evangelii* doctrina in Orbem terrarum sparsa sit: quæ hæreses in *Ecclesiâ* fuerint exortæ, & quibus mediis oppressæ: quæ persecutiones contra *Ecclesiam* motæ, & quomodò sedatæ fuerint: quos doctores *Ecclesiæ* singulis temporibus habuerint: inter quos & *Romanorum Episcoporum* vitæ recensentur. Sed & *Romanorum Imperatorum* Acta quoque describuntur, atque hæc omnia compendio satis laudabili complexus est. Ab octavâ verò *Centuriâ*, ad decimam-sextam transilit, (quam quidem *Magdeburgenses* non attigerunt, nam in decimâ tertiâ desierunt;) réque in eâ gestas aliquantò fusiùs tractat:

ëtat : ejuſque ſui facti, rationem ipſe reddit, in Epiſtolâ ſuâ præliminari, hiſce verbis. *Ego verò* (inquit) *puto ab Apoſtolorum temporibus, jam olim elapſis, nullam eſſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem, quæ noſtro ſeculo piis hominibus cognitu magis ſit utilis, & neceſſaria, quàm hanc ipſam, quam nunc in lucem emitto; continet enim mutationes in religione, & in repub. longè maximas, quales, & quantæ, & quot in nullâ unquàm Centuriâ contigerunt.*

Ad hanc *centuriam* pertinet *Hiſtoria Concilii Tridentini*, Anno 1542 indicti, Anno 1545 inchoati, & in Ann. 1563 producti. Hiſtoria mehercule auro (dicam?) immò gemmis pretioſiſſimis contrà, non cara, & omni ære diutiùs perennatura; à P. M. *Paulo Veneto, Ordinis Servorum*, ſcripta; viro eruditionis admirandæ, exquiſitiſſimi judicii, indefatigabilis induſtriæ, modeſtiæ denique & integritatis vix æquiparandæ. Quod quidem elogium, vir & dignitate, pariter ac eruditione perilluſtris, fidiſſimus ejus *interpres Anglicus* (qui princeps illud pretioſiſſimum κειμήλιον, maximo Eccleſiæ bono, in oras haſce occiduas protulit, & publicâ luce donavit;) ei præliminari ſuâ Epiſtola meritiſſimò tribuit; idque non temerè; utpote qui literatâ ejus conſuetudine, ac propiori familiaritate aliquandiu fretus, penitùs eum noverat. Sed & opus ipſum tantundem luculenter præſtat, ex libellis memorialibus, Commentariiſque legatorum; ex principum, & Rerum-publicarum Epiſtolis, aliiſque ſcriptis, à præſulibus, Theologis, legatiſque ipſis, qui eidem conventui interfuêre, diligenter adſervatis, concinnatum; tanto labore, tantâ accuratione, ſtudio, & fide, (ſicuti doctiſſimus idem, & clariſſimus Eques ibidem obſervavit;) ut omnes in eo genere Hiſtorias, ſive veteres, ſive recentiores, facilè provocare poſſit. Neque ſolitarium hoc, aut unius tantùm viri teſtimonium

D. Nauh. Bren. E. Aurat. Co. Mer. præfect.

existimatote, (Auditores,) vel de Scriptore, vel de opere ipso: accipite huic geminum germanum de utroque, ab *interprete Latino*, ejusdem ordinis equestris viro, &, ob elegans ingenium juxtà & eruditionem non vulgarem, clari nominis.

D. Adamus Newtonus, Eques Au.at.

De Scriptore sic ille. *Neque verò meo is præconio indiget, quem opus ipsum loquitur ingenii fœlicem, magni rectique judicii virum, omni genere doctrinæ liberaliter eruditum, atque ad maximam probitatem, animique mansuetudinem, utrâque prudentiâ, divinâ & humanâ, ac istâ tam morali quàm civili, cumulatissimè excultum.* De opere verò ipso, sic. *Quod Historiæ istius exædificationem attinet*; (disertissimi viri verba sequor) *sive res, sive verba spectes*; *& in rebus, si temporum ordinem, si consilia, acta, eventus*; *& in rebus gestis declarari non solùm desideras, quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo*: *& cùm de eventu dicitur, ut causæ explicentur omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis*: *Hæc, & alia ejusdem modi, quæ dicendi, scribendique magistri, requirunt in Historiarum Scriptore*; *ille adeò plenè, accuratèque exequitur, ut in unius Concilii coägmentatione, omnes Historiæ conscribendæ numeros implêsse, atque hoc nomine, majorum gentium Historicis accensendus, meritissimò credatur.*

Hujus ejusdem *Centuriæ* res etiam, tam *Ecclesiasticas*, quàm *civiles*, ab Anno 1546, ad Annum 1608, luculenter descripsit *Jacobus Augustus Thuanus*, vir genere, doctrinâ, dignitate maximus; & inter hujus ævi Historicos, principe loco dignus: utì suprà etiam à nobis observatum est. Eam *Historiam*, pronuper etiam continuatam habemus, usque ad Annum 1618. Præter hosce suprà recensitos in utrâque *Historiâ* Scriptores, eximii & longè doctissimi viri

Obiit an. 1620.

Sect. 25.

Gerardi

Gerardi Johannis Voſſii, de *Hiſtoricis Græcis* libri, & de *Latinis*, ingentem numerum ſuppeditare poſſunt: ex quibus (ſi cui fortè delectus noſter non arriſerit) alium pro libitu ſuo facere licet. Ego ſic cenſeo: & de Parte primâ Methodi noſtræ, ſatis dictum opinor.

DE

DE RATIONE, ET METHODO *Legendi Hiſtorias.*

PARS SECUNDA.

De Idoneo LECTORE.

SECT. I.

Juvenis, utì moralis Philoſophiæ auditor, ita & Hiſtoriarum Lector minùs idoneus putandus. Quæ requirantur ad utrumque. Finis & ſcopus Lectionis. Doctiſſimi Voſſii & Kekermanni circa hanc quæſtionem, ſententiæ diſcrepantes.

PArtem primam expedivimus, in quâ, utriuſque *Hiſtoriæ* Auctores recenſuimus, eorúmque delectum fecimus; nec-non, quo ordine ſint legendi, commonſtravimus. Jam verò ſecundo loco, quis ſit *Lector* idoneus, diſquirendum. Et hoc quidem, quâ poſſimus

Vid. Sec. 1. p. 14.

mus brevitate, faciemus. *Aristoteles*, Ethicorum lib. 1. c. 3, de idoneo moralis *Philosophiæ* auditore disputans, hoc habet pronunciatum: διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. &c. *Juvenis ad civilem scientiam non est accommodatus auditor: est enim actionum, quæ in hâc vitâ versantur, imperitus:* nimirum, Juventus, ignara judicandi, in fraudem facilè inducitur, & spretis melioribus, vana amplectitur. Quòd si rectè hac ex parte pronunciaverit *Magister* noster; quid prohibet, quo minùs nos etiam, de habili & idoneo *Historiarum Lectore*, idem scitemus scitum? quandoquidem, *Historiam* nihil aliud esse quàm *Philosophiam* exemplis utentem, sapientes statuerunt. Auditori *Ethico*, sive *politico*, requiritur primò judicium, διάγνωσις: ut rerum agendarum præcepta internoscat. Deinde, animus sit ei probè affectus, ut præcepta rectè tradita, in usum dextrè transferre cupiat. Simili planè modo, *Historiarum Lectori* facultas adsit, discernendi exempla, quæcunque legerit, & de iis rectè judicandi: tum adsit lubido, & animi propensio, ea quæ proba fuerint, imitandi; quæ secùs autem, fugiendi: omnia denique in usum suum convertendi. Finis enim principalis τῆς παρούσης πραγματείας ἔστιν ὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις; *Præsentis negotii sive considerationis scopus, non cognitio & contemplatio, sed usus & actio.* Atque ideò discendum, non ut sciamus tantùm, sed benè etiam agamus, & honestè Vivamus. Unde nec desunt viri impensè docti, qui haud ullum esse studii genus asserunt, in quo plus solertiæ, plus judicii, usûs, & prudentiæ, postulari videatur, quàm in *Historiâ*, vitæ civilioris *Magistrâ*, legendâ requiritur. Quò magis mirari soleo *Gerardum Johannem Vossium*, inter eruditorum hujus ævi principes meritissimò numerandum, in libello suo eleganti de *Arte Historicâ*, firmiter tenere, hoc studium primæ etiam convenire ætati; *Bartholo-*

mæi

mæi Keckermanni, aliorúmque contrà sentientium opinionem rejicere, argumenta elevare, refellere. Ipsos audite, (si placeat) & primò *Keckermannum*, deinde clarissimum *Vossium*.

Keckerm. de Natu. Hi. Par. 1. c. 1. p. 10. *Cùm nihil aliud contineant* (inquit *Keckermannus*) *Historiæ, quàm exempla præceptorum; habent autem præcepta methodum, exempla verò non habent methodum, nisi eam quæ est in præceptis: error est vulgatus, & valdè damnosus juventuti, quæ voluptate & jucunditate studii Historici ducta, Historias* ex professo *incipit legere, plerumque antequam disciplinas, & præcepta ea cognoverit, quibus methodus inest, & loci communes illi, ad quos Historiæ reduci debent: quod quidem valdè est præposterum; & facilè intelligi potest, ex comparatione aliarum disciplinarum: exempli gratiâ, Grammaticæ, Logicæ &c. Sicut enim absurdus fuerit, qui exemla Grammat. Logic. Rhetoricæ, velit cognoscere, & notare, antequam dedicerit præcepta: ita absurdissimus haberi debet, qui Historias, id est, Exempla* Ethica, *Oeconomica, Politica*, seriò & ex professo *velit legere, & notare, antequam habeat perspectam Methodum præceptorum* Ethicorum, *Oeconomicorum, Politicorum, &c.* Ita *Keckermannus*.

Jam, si placeat, audite doctissimum *Vossium: Nihil*, (inquit) *absurdi habet, (uti vult Keckermannus,) si exempla ante præcepta addiscamus: linguas enim optimè absque præceptis addisci posse, notum est:* deinde, *non parvum eos* (qui cum *Keckermanno* sentiunt) *errorem committere* dicit, *cùm non satis distinguunt, inter lectionem historiæ alicujus, ac Historiam scribendi munus; ad quod, nemo Philosophiæ civilis ignarus, applicare animum debet.* Denique, *confundere eos*, (ait) *nudam, & simplicem rerum omnium historiam*, cum ἱστορικῇ πραγματείᾳ, *quæ curatè in circumstantias & eventuum causas inquirit.* Postremò, suam confirmat opinionem auctoritate *Quintiliani*, (*optimi instituendæ pueritiæ artificis,*)

Art. Hi. c. 5. p. 31

qui

qui ab *Rhetore* jubet *Oratores* atque *Hiſtoricos* incipientibus prælegi; inque Hiſtoricis, minimè dubitat *Livium præponere Salluſtio; non tantùm quia candidior ſit, ac Ciceroni ſimilior: ſed etiam, quia majoris ſit Hiſtoriæ Auctor: quomodo* (inquit) *neutiquam loqueretur, niſi ita credidiſſet, puritiæ convenire Hiſtorias magis univerſales.* Hæc eruditiſſimus *Gerardus Johannes Voſſius.*

SECT. II.

Keckermanni ſententia defenditur. Linguæ abſque præceptis, haud optimè diſcuntur. Linguarum, atque actionum longè diverſa ratio. Philoſophia practica tam legenti Hiſtorias, quam ſcribenti, requiritur. Ubertus Folietta, Sebaſtianus Foxius, Viperanus, ab hâc parte ſtare videntur. Etiam doctiſſimus Voſſius argumenta ſubminiſtrat non infirma.

SED liceat hîc nobis, pace tanti viri, (cujus aliàs ſumma apud nos auctoritas eſt, quémque, præcipuè in hoc genere Hiſtorico, ſuſpicimus, & veneramur,) paululùm diſſentire, & *Keckermanni* utcunque partes aliquatenùs defendere. Reſponderi itaque poſſe videtur pro *Keckermanno*; primò, haud diffitendum linguas poſſe diſci abſque præceptis, ſed *optimè* poſſe diſci, pernegandum. Voces articulare, verba formare, etiam componere, ac proferre; auditione, uſu, colloquio, abſque præceptis reguliſve, diſcere ſolemus. Sermonem verò aptè concinnare, orationem ſcienter inſtituere, vix ac ne vix quidem datur, niſi regularum, & præceptorum ductu. Prætereà, quamvis loqui addiſcat

discat quis (quâcunque fuerit linguâ) absque præceptis, eloqui tamen haud poterit; multò minùs de loquelæ sive congruitate, sive proprietate, dijudicare, & rationem reddere, nisi per præcepta. Porrò, ea *optimè* addiscuntur, quorum perfecta habetur cognitio, quorum rationem reddere quis potest, sicuti nos docet Magister noster *Aristoteles*. Adhæc, alia est linguarum ratio habenda, alia actionum; sive eas imitemur, seu mente nostrâ contemplando arbitremur. Usus illas dirigit, & corrigit; has, præcepta & norma vivendi. Illas consuetudo civitatis (*quæ nunquam in eodem statu stetit*) versat: Has turpis & honesti respectu temperandas, & juxta legum præcepta discutiendas, novimus.

Arist. Eth. l. 1.

Sene. Ep. 114.

Secundò, neque in eo videtur doctissimi *Vossii* sententia usquequáque comprobanda, quòd Philosophiam practicam concedat necessariam, *scribenti* Historiam, *legenti* verò nequaquam. Quid enim? Annon utrique finem quasi eundem propositum, omnes affirmamus? Uni, ut vivendi rationem ab exemplis discat? Alteri, ut ex eisdem exemplis, eandem pariter doceat? Annon illi scopus, ut prudentiam mortalibus, alienos describendo casus, insinuet? Huic, ut sibi ipsi, eosdem casus legendo, & observando, prudentiam comparet? Mihi quidem sic omnino videtur. Nec mihi soli, sed plurimis aliis, nec indoctis. Audiamus, si placet, unum atque alterum. *Duæ sunt facultates*, (inquit *Ubertus Folietta*) *quæ commune bonum, & utilitatem publicam spectant, quæque hominibus ad beatam vitam iter expediunt, illosque ad civilem societatem tuendam & ornandam instituunt; Moralis Philosophia, & Historia: ita hæ duæ facultates partitæ sunt inter se munere, ut illa disputationibus & præceptis, animos ac mores hominum informet; hæc utilibus exemplis, salubribúsque documentis, quid sequendum in vitâ, quid fugiendum sit, doceat,*

De scribi. penu. p. 954.

doceat, moneátque: ad quorum similitudinem, actiones & consilia sua homines dirigant, & conforment; casúsque atque exitus, qui bona consilia, & prava consequi soleant, ante oculos hominum ponat; quorum cognitione, illi vel ad virtutem inflammentur, vel à sceleribus revocentur. Dissentit manifestè, à clarissimi *Vossii* mente, vir doctrinâ, judicio, eloquentiâ, suo tempore non incelebris, *Sebastianus Foxius.* Is enim, libro de *Institutione Historiæ*, sic scribit. *Quo facto ipsius non modò Historiæ, sed nec omninò alicujus rei benè scriptæ artificium, & elegantiam dignoscere, aut dijudicare possis, si nec quid artificium, aut quale sit, rectè cognôris? Istbæc, quæ tu poscis, non nisi à doctis, & benè institutis intelliguntur. Nam qui accuratè debeat Historiam legere, quomodo sit eadem scribenda, noscat necesse est, &c.* Mox etiam rationem reddit. Quòd nimirùm artifices & eruditi, artificiosa & erudita tantùm noscat, non rudes & imperiti. Denique sic concludit. *Ergo lectioni accedat judicium, non tam naturâ, quàm arte usque comparatum; tum doctrina, non vulgaris, aut mediocris, &c.* Nec à *Foxio* dissentit *Johannis* Viperanus (vir etiam literaturæ haud contemnendæ,) sicuti planè evincant hæc verba, *Et magni quoque viri est,* (inquit) *veros fructus ex Historiarum lectione colligere; qui videlicèt rationes rerum divinas, humanásque percipiat; qui seligat morum optima documenta, qui eâdem, quæ vitam suam, honestatis normâ ac regulâ, aliorum facta metiatur; in quo multa locorum cognitio, mira virtutum vitiorúmque scientia, singularis magnarum rerum doctrina, & eruditio insit, &c.* Et paulò post. *Qui ad Philosophiæ præcepta, exempla adjunget; is magnos fructus ex historiâ capiet, ac perfectam & absolutam sapientiam consequetur.*

Ibid. p. 819.

Lib. de Scr. Hist. c. 17.

Quin & ipsius doctissimi *Vossii* conclusio, (eodem capite 5, circa præcipuum *Historiæ* fructum,)

Ars Hi. c. 5. p. 18

ad

ad confirmandam noſtram ſententiam, plurimùm valere videtur. Ita enim ſcribit. *Sit igitur ſtatuendum, vel præcipuum eſſe hunc Hiſtoriæ fructum, quod ex ſimilibus vel contrariis colligamus, quid privatim aut publicè expediat: nam prudens qui eſſe volet, debet obſervandi eſſe ſtudioſus, ſive ut Græci dicunt* ἐπιστημονικός. Quod, cùm pueri & artium ignari, aſſequi nequeant illi præcipuo lectionis Hiſtoricæ fructu, privari neceſſe habent; unde eos minùs idoneos Hiſtoriarum lectores eſſe, plus quàm probabiliter adſtrui poſſe, nobis videtur. Secundæ quidem notæ fructus, ſive effectus ſecundarios, non inficias ibimus, quin pueri & illiterati, ex Hiſtoriarum lectione vel auditione, indipiſci, & deportare poſſint: voluptatem ſcilicèt, & oblectationem quandam, immò fortaſsè (modò ſint melioris indolis, ingenioſique præſtantioris, & narratiunculas quaſdam non inficetas, aptè ac decorè in medium proferre norint; quod tamen in ætate tenerâ, atque immaturâ, vix reperitur:) gratiam & æſtimationem aliquam apud audientes obtinebunt. Sed ridiculi planè ſunt habendi, (ipſius doctiſſimi *Voſſii* opinione,) qui non alio fine Hiſtorias legunt, quàm ut animum oblectent, & *habeant quod in conviviis & circulis narrent.* *Apagè tales iſtos* (ut cum *Juſto Lipſio* loquar) *& ad Amadéum ſuum*, ad *Hugonem Burdigalenſem*, *aut ſi altiùs aſſurgere velint*, ad *Heliodorum*, aut ad nobiliſſimi *Sydnæi* noſtratis *Arcadiam*, ac *Barclæi Argenidem* eant.

Art. Hi. c. 5. p. 30

Cent. 3. ep. 61.

SECT.

SECT. III.

Tertium doctiſſi. Voſſii argumentum contra Keckermannum, haud ſatis firmum videtur. Nuda rei geſtæ cognitio, Lectori cordato non ſufficit. Id ex Ludov. Vive, Dion. Halicarnaſſeo, & ipſo Voſſio probatur. Puerorum, & virorum in artibus verſatorum, lectio Hiſtoriarum valdè diverſa.

HInc jam tertio loco, mihi videtur doctiſſimus Voſſius fruſtrà eſſe: ubi nos ſimplicem rerum omnium Hiſtoriam confundere affirmat, cum ἰσοειδῆ διηγματείᾳ. Quâ nos nudam rerum commemorationem, & magnorum facinorum, ſed & locorum etiam memoriam, haud difficulter concedimus, vel ipſis pueris, & ætatis teneræ juventuti, convenire; ſicuti jam diximus. Sed meminiſſe oportet, antiquitatem ea non multo meliori loco duxiſſe, *quàm fabulas*; (ipſiſſimis doctiſſ. Voſſii utor verbis:) *nempe quia ex iis, haud aliter atque ex fabulis, voluptas magis percipitur, quàm fructus.* Pag. 7. Verùm Lector ille, quem nos formare cupimus, ulteriùs ſpectare debet: non ad delectationem, ſed ad utilitatem, ad finem ultimum Hiſtoriæ, ut probis, ad benè beatéque vivendum, exemplis inſtruatur. Valdè appoſitè pro nobis, ad hanc noſtram mentem loquitur eruditiſſimus ille *Ludovicus Vives. Hiſtoria* (inquit) *cognita eſt jam nobis, quadantenùs in puerili inſtitutione, ſed illa modò ad rationem temporum, & nomina prælarorum virorum noſcenda: nunc verò exactiùs eſt, & pleniùs verſanda, quoniam meliùs ab adultis jam, confirmatiſque poſt rerum uſum aliquem, intelligitur, ut in vitæ* Lib. 5. de tra. diſc. p. 352.

emolumenta convertatur, judicio adhibito; tanquam succus naturali calore diffusus per corpus, unde alatur homo, & vita producatur. Dicimus igitur, lectori nostro non sufficere nudam ac simplicem omnium rerum Historiam, sed quod inquit *Dion.*
Lib 5. Ant. Ro. *Halicarnasseus,* ἀπαιτεῖ δὲ ἕκαστος καὶ τὰς αἰτίας ἱστορήσαι τῶν γινομένων, καὶ τοὺς τρόπους τῆς πράξεως, καὶ τὰς διανοίας τῶν πραξάντων: *unusquisque vult ipsas etiam causas quærere, & modos, quibus res peracta sit, & consilium eorum, qui negotia sunt aggressi.* Hæc ipsa verba, atque alia ad hanc sententiam, ex *Halicarnassei* 7°. prolixiùs citat ipse πολυ-
Art. Hi. c. 15. p. 80, & 81 μαθέστατος *Vossius.* Ubi etiam probat, quòd non in *Philosopho* solùm, sed etiam *Historiæ* scriptore, lectoréque locum habeat poetæ illud, *Geor.* 2.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Ac tandem, prope finem ejusdem capitis, sic concludit. *Et sanè, si causæ, consilia, modus prætereantur, pueris quidem fabulæ narrentur, non historiæ*
Lib 5. c. 18. *scribantur, ut apud Agellium dicit Sempronius Asellio.* Jam verò dicat mihi clarissimus *Vossius,* nunquid isthæc pueri satagant? Nunquid illiterati, & artium rudes viri, hæc perquirant? Aut cui bono, si de causis, conciliis, circumstantiísve, nesciant judicare? Vel in utilitatem suam convertere? Eleganter nescio quis; quemadmodum puellæ flores excerpunt, ad oculos suos, & sensus corporis tantùm exhilarandos; pharmacopolæ verò, universa herbarum folia, flores singulos, minutissimas plantarum fibras, & radices, ad medelam, & hominum sanitatem referunt: sic pueri libris Historicis, quasi trocho & astragalis ad ludendum, utuntur; auditâque, vel inspectâ rerum gestarum magnitudine aut novitate, lætitiâ incredibili gestiunt, aut pavore exanimantur; qui autem artibus mediocriter versati sunt, experientiáque aliquali, ac judicio,

judicio, exornantur; hos, legendo Hiſtorias, pauca effugiunt. Hi ſolùm divina inſtituta animadvertunt, jura humana obſervant; conſilia univerſa perpendunt, varia rerum eventa notant, domeſtica, politica, bellica, pacifica, omnia magno cum fructu & voluptate, ad civilis ſocietatis & prudentiæ uſum, referre ſolent. Atque hoc eſt apud *Keckermannum* Hiſtorias legere; hunc talem requirit *Lectorem:* nimirùm (ut ipſius utar verbis) *Qui exempla Ethica, Oeconomica, & Politica ſeriò, & ex profeſſo legere, & notare velit.* Illud autem quiſquis aggrediatur, niſi perſpectam habeat *Methodum* præceptorum *Ethicorum, Oeconomicorum, Politicorum, &c. abſurdiſſimus* (inquit) *haberi debet.*

SECT. IV.

Argumentum à Quintiliano mutuatum, expenditur, eique reſpondetur.

POſtremò; mihi quidem locus è *Quintiliano* citatus, videtur nihil quicquam facere, adversùs iſtam *Keckermanni* ſententiam. Conſtat enim ibidem *Fabium* docere, ex quibus Auctoribus puerorum *ſtylus* ſit formandus; idque *Rhetorum* ipſorum, ſive præceptorum ductu, atque adminiculatione, potiùs quàm ſuâpte ac privatâ lectione. Siquidem, Cap. 5. *profuturum ſanè diſcipulis plurimùm,* (ait) ſi *Rhetor* eos *Hiſtoriæ, atque etiam magis orationum* lectione, inſtruxerit. Ibique mox, quid ſit *Rhetoris* officium hac ex parte, luculenter oſtendit. Capite verò ſexto, à doctiſſimo *Voſſio* citato, quem velit Auctorum delectum haberi, pleniùs indicat: nam ſine *delectu, periculoſum* eſſe ait, quemvis in manum aſſumere; *optimos quoſque, & candidiſſimos, ſuavi* *Lib. 2. Inſt. Or.*

copiâ & perspicuitate amabiles, quales Cicero & Livius eligendos censet. Inde quos fugiendos existimat, ostendit; quos tamen *firmatis*, & *maturis* ingeniis etiam permittit. Respondemus igitur, aliud esse *stylum*, ac sermonem formare, sive (ut
Lib. 10. c. 1. ipse *Fabius* loquitur) φράσιν facere; aliud, exempla *Ethica*, *Oeconomica*, *Politica*, atque alia, *seriò* & ex *professo* colligere, notare, recondere; ut inde discat quis prudenter se gerere, & vitam ad virtutis normam instituere. Illud autem, *Quintiliani* propositum omninò fuisse videtur; hoc nequaquam intendit. Ideóque magis etiam *Orationum* lectionem, *Rhetorum* discipulis commendat: fortassè etiam *Historicorum conciones*, potiùs quàm narrationes: quippe, in iis quidem *T. Livium*, vel maxi-
Quintil. l. 10. c. 5 mè præcellere affirmat. Eum enim, cùm *in narrando miræ jucunditatis, clarissimíque candoris* esse dicit; tum in *concionibus suprà quàm dici potest eloquentem.* Sin autem quis aliter adhuc sentiat; & *Quintilianum* velle *Rhetorum* discipulos, rerum ipsarum contemplatione exerceri, opinetur; necnon exemplis (*quæ sunt in omni genere causarum potentissima,*) jam tum instrui, quibus, ubi res poscere videatur, utantur: secundò respondemus, hoc
Li. 2. c. 4 *Quintilianum* velle à juventute fieri, ductu, præmonstratione, atque indicio *Magistrorum*, *Rhetorúmque* primo, quorum erat *indicare*, atque *ostendere virtutes, juxtà & vitia*, non sermonis & loquelæ tantùm, sed etiam dictorum factorúmque, sicuti *cap. 5. lib. 2.* legere potestis. Jam verò, præeunte, illustrante, exponente præceptore, quis neget Historicos, vel primæ ætati, convenire posse? Et sic tamen, juxta *Quintilianum*, *Candidissimum quemque eorum, & maximè expositum:* qualis *Tit. Livius* reputatur: ad quem tamen intelligendum, jam *profectu opus esse*, inquit idem *Quintilianus*, *capite sexto.*

SECT.

SECT. V.

Simonis Grynæi ſententia hâc ex parte probatur. Quis ſit Idoneus Lector, fuſiùs oſtenditur. Philoſophiæ practicæ guſtum ſaltem habeat, requiritur. Item Chronologiæ, & Geographiæ, Hiſtoriæ oculorum. Artium denique aliarum, cognitio aliqualis neceſſaria.

QUapropter, *Simonem Grynæum* ego potiùs audiverim, & cum eo cenſuerim; qui lectores Hiſtoriarum adhortando, hunc in modum alloquitur. *Tantò*, inquit, *inſtructiores accedere decet, quantò fructibus uberioribus gravior Hiſtoria eſt, & fœcundior. Cúmque difficultas ſit eadem, & de ſuâ, & de aliorum vitâ rectè judicandi; nec alienam quiſquam (quantumvis perſpicaces hîc ſimus) intueri rectè poſſit, qui non poteſt ſuam; utrumque intelligitur, & ſummam hîc difficultatem verſari, & multa, antequàm huc accedamus, requiri; non ſolùm prudentiâ quâdam civili tinctos, ſed vitæ totius cērto propoſito firmatos, nos eſſe oportere; ne fluctuare animis, & miſerè ſpectris vitæ inanibus, circumduci perpetuò velimus.* *Admon. de util. leg. hiſt. pen. p. 1133.*

Nositaque (ut hoc caput concludamus) dicimus primò, Lectorem ſtudioſum ac diligentem, ſerium & attentum, conſtantem ac ſtabilem, omninò requiri. Studioſum ac diligentem; quia profectus diligentiâ præcipuè conſtat. Unde *Quintilianus: diu, non niſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt: ſed diligenter, ac penè ad ſcribendi ſollicitudinem: nec per partes modò ſcrutanda omnia, ſed perfectus liber, utique ex integro* *Lib. 10. c. 1.*

tegro resumendus, &c. Serium & attentum; nam *sive legis ipse quid, sive audis, attentus id fac,* (monuit olim quispiam;) *ne vagetur mens tua; sed coge illam ibi esse, & agere quod adest, non alia: scito te tempus & operam perdere, si quæ legis vel audis, non attendas.* Denique constantem ac stabilem; certa enim & constans lectio prodest. Desultoria illa, & transcurrens lectio, parùm habet utilitatis. *Senecam* audiamus: *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet,* (inquit ille,) *si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.* Atque hinc præcepit admodùm appositè *Stephanus Prætorius, Meminerint adolescentes, non esse priùs deserendam inchoatam alicujus libri lectionem, quàm ad finem deducta, & integrè percepta fuerit. Multi enim adeò delicatè, & fastidiosè in legendis Auctoribus versantur, ut cùm aliquem privatim legendum in manus sumpserint, tamen vix duabus aut tribus pagellis perlectis, mox eundem deponant, & alium librum legere incipiant, neq; quicquam ad finem perducant. Hæc fastidiosa legendi ratio, quantumvis magnâ assiduitate præsletur, ad veram & solidam eruditionem comparandam, prorsùs inutilis est.*

Lib. 1. ep. 2.

Tractat. de form. studii, p. 31.

Deinde, Lectorem nostrum sic probamus, si Philosophiæ practicæ præcepta degustaverit: cujus conditionis necessitas ex supradictis satis æstimari potest. Tum, si *Chronologiæ* notitiam, hoc est, temporum atque ætatum cognitionem, aliquam saltem, imbiberit: ut eorum seriem & ordinem teneat, ac velut terminis quibusdam, imperia, bella, eventus finire possit. Hanc *animam Historiæ*, sine quâ non spirat, vir summus ille *Josephus Scaliger* indigitat: ab aliis, *oculus Historiæ dexter* vocatur: ab aliis, *Cynosura*, quæ *Lectorem* in *Historiæ* pelago versantem regit, & adjuvat, ut expeditiùs, ac certiùs, necnon cum majori suavitate ac fructu, ad portum lectionis optatum perveniat. Qui enim sine ratione temporum, *Historias* intelligere sese posse putant,

tant, perinde falluntur, ac ſi labyrinthi errores evadere ſine duce, aut filo velint. Sed &, *Oculum ſiniſtrum* quoque tribuimus *Hiſtoriæ*, nimirùm *Geographiæ*, ſive *Topographiæ* ſcientiam; quâ niſi Hiſtoriarum ſtudioſus fuerit, ſaltem leviter, inſtructus; de jucunditate, immò de utilitate lectionis, plurimùm deperdat, neceſſe eſt; adeóque rei geſtæ perfectam intelligentiam aſſequi, haudquaquam valebit. In *Hiſtoriâ* enim, quis eſt qui non ſentiat, quantum lucis ex loci (quo quæque res geſta ſit) circumſtantiâ, accedat legenti? Communem igitur terrarum orbis diviſionem teneat; & ſciat mundi partes, ſitúſque diſtinguere; provincias, & in iis flumina, montes, oppida, clariora præſertim, internoſcat. Nam quòd ad exactam illam omnium partium notitiam, haudquaquam neceſſitate requiſitam *Lectori* noſtro, arbitramur. Denique, ſi aliarum artium cognitione mediocri, rerúmque experientiâ nonnullâ fuerit ornatus; hunc *idoneum, & habilem Hiſtoriarum Lectorem tandem cenſemus.* Atque hæc ſatis ſint dicta, de *Parte Secundâ* noſtræ Methodi.

DE RATIONE, ET METHODO *Legendi Hiſtorias.*

PARS TERTIA.

Viz. *De modo fructûs colligendi,* ſive *de* USU HISTORICÆ LECTIONIS.

SECT. I.

Caput ultimum tractandum proponitur. Conſilium Lud. Vivis circa ea, quæ ſunt in Hiſtoriarum lectione notanda. Auguſti Cæſaris mos, in legendis Hiſtoriis. Quæ reperiantur apud Hiſtoricos obſervanda, & ad quid conducant.

SUpereſt jam caput tertium, de quo poſtremo loco dicendum * ſub initio ſtatuimus; nimirùm, quænam inter legendum ſint eligenda, & quo modo. Paucis hoc poſſem conficere, ſi *Ludovici Vivis* tantùm præcepta, obſervanda proponerem. Is enim, quæ ſint in Hiſtoriis legendis

* *Sect.* 1 *p.* 14.

legendis notanda, hiſce verbis docet. *Tenenda ſunt* (inquit) *ex Hiſtoriâ, primùm ratio temporum, hinc facta & dicta, quæ exemplum poſſint aliquod adferre, ſive ut bonum imitemur, ſive ut malum devitemus. Bella & prælia, non accuratè perſequenda, quæ tantùm inſtruunt animos ad nocendum, & vias oſtendunt, quels invicem poſsimus lædere. Notanda ſunt duntaxat & leviter qui arma ceperint, qui utrinque duces, ubi congreſſum, qui victi, quid illis actum. Nec aliter dicenda vel legenda hæc, quam latrocinia, cujuſmodi reverà ſunt pleraque horum omnia, niſi quæ fortè adversùs latrones ſunt ſuſcepta; quod inter Chriſtianos, utinam non tam raro uſu eveniret. Satiùs igitur & fructuoſiùs fuerit, dare operam togatis rebus, quæ in virtute præclarè ac ſapienter ſunt acta, quæ in ſceleribus atrociter, fœdè: qui exitus, quàm læti benefactorum, quàm triſtes atque infælices malorum facinorum. Tum dicta, & reſponſa hominum præditorum ingenio, ſapientiâ, uſu rerum; ea potiſſimùm quæ Græco verbo ἀποφθέγματα dicuntur: Conſilia etiam, cur quicquid ſuſceptum, factum, dictum, eorum potiſſimùm, qui probitate, ſapientiâ, ſtudiis bonarum artium, reliquis antecelluerunt; quales ſunt Philoſophi, & præſtantiſſimi omnium, Divi noſtræ pietatis: ut non ſolùm, quæ ab animi incitatis motibus ſint edita, cognoſcamus; ſed quæ à vi mentis & judicii: indignum profectò eſt, affectionum noſtrarum opera mandari memoriæ, non item conſilii, ac rationis.* Hæc ab eruditiſſimo illo *Hiſpano* præſcripta ſunt. Brevioris adhuc negotii res eſſet, ſi tantum ad *Auguſti Imperatoris* exemplum imitandum, meum vocarem *Hiſtoriarum Lectorem*. De eo *Suetonius* ſic ſcribit. *In evolvendis utriuſque linguæ Auctoribus, nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta & exempla, & publicè & privatim ſalubria; eáque ad verbum excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum, provinciarúmque Rectores, aut ad urbis magiſtratus, plerunque mittebat,*

De Tra. diſc. l. 5. p 307. Edi. Baſil. 1555

Suet. l. 2 c. 89.

prout

prout quique monitione indigerent. Sed nos latiùs paulò extendemus Hiſtoriarum uſum, neque prolixi nimis erimus tamen. Namque Hiſtoriam ſuprà multigenûm rerum bonarum *Theſaurum* diximus; & verè: apud Hiſtoricos enim, alia ſunt, quæ ad doctrinam faciunt magis; alia quæ ad prudentiam; alia obſervare eſt, quæ linguam formant, quæ dicendi facultatem perficiunt; alia quæ rerum antiquarum notitiam conferunt; alia denique, quæ ad vitam potiùs inſtituendam, & ad mores effingendos conducunt.

SECT. II.

Duo excerpendorum genera, Philologica, Philoſophica: ſub utriſque, ſpecies quænam continenatur: quomodo ſingulæ ſint diſponendæ, & quis inde fructus, oſtenditur. Locorum Communium formulas, multi ſcripſerunt.

NOS itaque duo excerpendorum genera, lectori noſtro præcipuè obſervanda, in univerſum ſtatuimus. *Philologica*, & *Philoſophica*. Sub *Philologicis*, non ea ſolùm, quæ ad ſermonis elegantiam, linguæ politiem, phraſin, aut verborum proprietatem, ſpectant; ſed omnes etiam veterum conſuetudines, omnes ritus, ceremonias; Solennia cujuſcunque generis, ſive verba, ſive facta, ſive loca, ſacra & profana, comprehendimus. Prætereà, *Monarchiarum*, & præcipuorum in Mundo Regnorum ſeries; Gentium, Familiarúmque origines, & migrationes; Initia religionum, & depravationes; Urbium conditus, Coloniarum deductus; tum opera quævis magnifica; Ingentes opes,

pes, potentiam ultra modum immenſam; ſtupenda prodigia; denique quicquid cum admiratione legendum, immò & quodcunque meritò dicatur ἀξιομνημόνευτον, memorabile, ſeu recordatu dignum, huc referimus. Sub *Philoſophicis* autem (ut compendio dicamus) ea omnia complectimur, ſive Dicta, ſive Facta, ſive Conſilia, ſive denique rerum eventa, quæ ſuis cultoribus affatim miniſtrat *Hiſtoria*; ut documenta ſint ad inſtitutionem vitæ humanæ, publicæ vel privatæ, togâ vel ſago. Quibus obſervandis, *perſonarum* imagines, haudquaquam ſunt inſuper habendæ: nam ſicut luculenta eventorum & conſiliorum expoſitio, *politicam* auget *prudentiam*, eamque confirmat; ita illuſtres *perſonarum* deſcriptiones, monitrices ſunt, ut animis crebrò recurſet, quorum ſimiles, quorum diſſimiles eſſe velimus. Hæc (inquam) inter legendum ſunt obſervanda, hæc ſunt excerpenda; & in locos quoſdam communes ordine diſponenda; quorum titulis, ſicut imaginibus cereis, (uti loquitur eruditus quidam Scriptor) torpentes & languentes memorias adjuvare, excitare, irritare poſſimus. Unde ſalutaribus conſiliis, infinitis ſimilium aut diſſimilium, parium aut imparium exemplis, abundemus; agenda, fugiendáque, dicenda ac tacenda, percalleamus; varia rerum eventa præſentiamus; cauſas rerum teneamus; & malis imminentibus, præteritorum recordatione, occurramus. Nimius forem, ſi *Locorum communium* formulam hîc, & methodum inſtituere, aut plenam materiarum, quæ in Hiſtoriâ continentur, indicem conſtruere molirer: id jamdudum à multis factum, à *Bodino*, *Beurero*, *Glaſtero*, atque aliis; ſed multâ cum accuratione à *Bartholomæo Keckermanno*, in *Apparatu* ſuo ad *Philoſophiam practicam*.

SECT.

SECT. III.

Modus excerpendi, & in usum transferendi, varius indicatur, ex Annæo Senecâ.

MOdus tamen excerpendi, & in usum transferendi ea, quæ notatu sunt digniora, aliquibus fortasse in gravi dono erit à me, si breviter hîc proponatur. Neque tamen à me erit, sed ab ipso Senecâ, quanto viro! *Non est* (inquit ille) *quòd mireris, ex eâdem materiâ suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato, bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Cum Ciceronis libros præhendit, hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophiæ deditus; alius aliò curam suam mittit. Philosophus admiratur, contra justitiam dici tam multa potuisse. Cùm ad hanc eandem lectionem Philologus accessit, hoc subnotat, duos Romanos Reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur: Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur. Mox æquè notat Romulum periisse Solis defectione: provocationem ad populum etiam à Regibus fuisse. Eosdem libros cùm Grammaticus explicuit, primùm REAPSE dici ab Cicerone, id est, reipsâ, in commentarium refert: nec minùs SEPSE, id est, seipse. Deinde transit ad ea, quæ consuetudo seculi mutavit: tanquam, quod ait Cicero,* Quoniam sumus ab ipsâ calce, ejus interpellatione revocati: *hanc, quam nunc in circo metam vocamus, calcem antiqui dicebant.* Hæc *Seneca*, atque alia plura, quibus nihil luculentius, nihil disertius, aut ad nostrum propositum magis appositè, dici potuit.

Sen. ep. 108.

Cretam legis Mureius, & ita legendum probat.

SECT.

SECT. IV.

Modus excerpendi, exemplis illustratur. Primò Philologicis, ex Vell. Paterculo. Magnorum Virorum ortus, & obitus notandi. Majoris Catonis triplex Elogium. Ejus obitus. Circa ætatem ejus dissensio. Odium ejus adversùs Carthaginem. Urbis Corinthi conditus, Duratio. Ævum fatale urbibus evertendis. Cognominum ratio antiqua. Civium Rom. discrimen. Observationes criticæ sub philologicis. Scipio non fautor tantùm, sed & auctor (contra Lipsium) omnis doctrinæ, non ineptè dici potuit. Ejus præconia. Otium duplex. Dispungere quid, & unde dictum; expuncta etiam quæ dicantur. Exemplum ex Tacito. Primores Civitatis. Optimates, nobilium optimi, principes qui dicti. Consules, Exconsules, Exprætores, &c. Senatorum distinctio. Patricii, Conscripti, Pedarii, unde dicti.

ADdam tamen ex meo ipsius penu, & propriâ observatione, unum atque alterum exemplum, ut quid Auditores meos facere velim, ipse faciendo demonstrem; atque ita præceptorum meorum *praxin* aliqualem subjiciam. Primo loco igitur, exempla in *Philologicis* exhibebo. Quarum observationum subjectum, à *Velleio Paterculo* mutuabor, idque

idque satis fœcundum. *Vellëius, lib. 1. cap. 13.* Sic scribit. *Ante triennium quàm Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, Lucio Censorino, Marco Manlio Coss. mortem obiit. Eodem anno quo Carthago concidit* (à Scipione sublata) *Lucius Mummius Corinthum, post annos nongentos quinquaginta duos, quàm ab Alete Hippotis filio erat condita, funditùs eruit. Uterque imperator devictæ à se gentis nomine honoratus; alter,* Africanus, *alter appellatus est* Achaïcus; *nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio, cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuêre studia: Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit; ut Polybium Panætiúmque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. Neque enim quisquam hoc Scipione elegantiùs intervalla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli aut pacis serviit artibus; semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut captâ Corintho, cùm maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas, in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro Repub. fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quàm in tantum ea intelligi; & quin hâc prudentiâ, illâ imprudentiâ, decori publico fuerit convenientior.* Ita se habet *Vellëii caput* 13, *lib. primi:* In quo multa à Philologo observanda occurrunt. Primò tempus, quo, inter mortales esse desiit celeberrimus ille *Censor.* Magnorum enim virorum, & ortus & obitus, cognitione nostrâ non indignos esse arbitramur. *Cato* autem, quantus fuerit, ex triplici illo eulogio, quod *Plinius* ei tributum meminit, dignosci
Lib. 7. c. 27. potest. Sic enim scribit: *Cato primus Porciæ genitis, tres summas in homine res præstitisse existimatur,*

ut

ut eſſet optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator. Ampliſſimum ejus præconium habetur apud *T. Livium* l. 39. c. 40. quem videte. Annus autem ejus mortis deſignatur, nimirùm U. C. 604. quo anno Conſules fuêre *L. Marcius Cenſorinus*, & *M. Manlius*, tres annos ante excidium *Carthaginis*, quod ipſe adeò vehementer appetivit: & quod incidit in ann. 3. *Olymp.* 158. ſi veritatem, & *Euſebium* ſequamur. h. e. juxta *Scalig.* An. Mundi 3804. Circa ætatem *Catonis*, non convenit inter *Ciceronem*, & *T. Livium*; hic enim ad annum nonageſimum eum perveniſſe; ille annum octogeſimum quintum non ſuperaſſe, videtur affirmare. *Cic. in Ca. Maj. Li. l. 39. c. 40*

Prætereà, non eſt tanquam res nihili prætereundum, quòd perpetuus diruendæ *Carthaginis* auctor dicatur, à *Velleio*; cui ſuffragatur *Florus* noſter. *Cato inexpiabili odio delendam eſſe Carthaginem, etiam cùm de alio conſuleretur, pronunciabat: Scipio Naſica, ſervandam.* Verùm hæc conſideratio eſt *Philoſophica* potiùs, ſive *politica*, & ad alium locum pertinet, ubi cauſa hujus utriuſque conſilii exquirenda: & quis eorum in hâc re prudentior. Secundò igitur, ætatem ac durationem hujus urbis *Corinthi*, notabit *Philologus*; juxtà & tempus, quo fuerit condita: duravit (inquit) annos 952. deleta eſt, eodem anno cum *Carthagine*, h. e. Ann. U. C. 607. A. M. 3804. ergo condita eſt An. M. 2852. trecentos ſuprà annos ante *Olympiades*; quo tempore *Samuel Propheta*, & *Judex Iſraëlitidum* florebat. Tertiò, non ſolùm quando, ſed quis hujus *Urbis Conditor* fuerit, obſervabit. *Velleius, Aletem, Hippotis filium*, perhibet. *Joſephus Scaliger*, inter Animadverſiones *Euſebianæ*, *Velleium* hîc nugari ait. Siquidem *Apollodorus, Ephyren* primò dictam, ſcribit, & à *Siſypho* conditam. *Siſyphus* verò *Trojana* tempora, circa annos 60, aut 70 (inquit) anteceſſit; atque ſic longè antiquior erat hujus *Lib. 2. c. 15. Vide Cic. in Cat. Ma. Pag. 30.*

jus urbis conditus. Sed à *Corinthо Jovis* filio
In Corinth. transnominatam refert *Pausanias*. Post aliquot verò generationes, *Aletes* iste, abnepos *Herculis*, *Dorienſium* exercitum contra *Corinthios* duxit, & regnum obtinuit; quod ab ejus posteritate per ætates quinque occupatum, dicit idem *Pausanias*. Quartò, observabit hîc *Philologus*, hoc ævum quasi fatale fuisse urbibus evertendis. Nam, ut nihil de *Sagunto*, *Syracusis*, *Numantiâ*, atque aliis dicamus; præter duos illos oræ maritimæ oculos, (ita
De Nat. Deor. l. 3 appellat *Cicero*,) uno eodémque anno effossos, *Carthaginem & Corinthum*; *Thebæ Bœotiorum*, & *Chalcis Eubœorum* capita, à *Romanis* oppressa, eversa, deleta sunt. Unde *Philosophus*, Urbium etiam, Rerúmque publicarum periodos esse, multò magis hominum, concludit. Sed hæc quoque consideratio
Vid. Sen. Epist. 92 *Philosophica* est; quemadmodum & ista, quam hic locus porrò suggerit: nimirùm septingentorum annorum periodos, mutationes regnis & rebuspub. attulisse insignes: de quâ observatione, videndus *Joh. Bodinus*, *l. 4. de Repub.* & *Peucerus*, *de Divinatione l. 6.*

Cap. 1, 2. Quinto loco, quòd scribit, hosce duos Imperatores *Mummium* & *Scipionem*, devictæ à se gentis nomine honoratos, hunc *Africanum*, illum *Achaïcum*: hinc inquam observandus est mos antiquus cognominandi, ejusque rationem, tam apud *Græcos*, quàm *Latinos*: à rebus enim gestis, à formâ corporis, à Virtute aliquâ singulari, aut vitio, à casu notabili, aut fortunâ, plerumque cognomenta sunt indita: ita *Tarquinius* ultimus, à fastu & aliorum contemptu, *Superbus* est cognominatus. *C. Marius*, à captis *Coriolis*, *Coriolanus*; *Manlius*, *Torquatus* dictus, quod *Gallum*, provocatorem in duello, occiderit, & torquem ei detractum cervici suæ induerit. Ita, *Soteris*, *Callinici*, *Gryphi* cognomenta significant, *Servatorem* fuisse primum, secundum *Egregiâ victoriâ potitum*: tertium *a-*

dunco

dunco naſo præditum. De his videndus *Appian. Alexandrinus*, *in præfat. Plutarchus in Coriolano. Alex. ab Alexand. l.* 1. *c.* 9. Et hinc etiam obſervationes *Politicæ* poſſunt deduci, quas mitto notare.

Sextò, *Philologus* ex eo, quòd *Mummius* ex *Novis hominibus*, dicitur primus qui *cognomentum* ſuâ virtute adeptus eſt, notabit, *Cives Rom.* in triplici fuiſſe diſcrimine, *Nobiles*, *Novos*, *Ignobiles*. Nam qui Majorum ſuorum habuerunt imagines, hi *Nobiles*: qui ſuas tantùm, ii *Novi*: qui nec Majorum, nec ſuas, illi demùm *Ignobiles* ſunt appellati. Jam reliquâ hujus capitis parte, continetur *Scipionis* & *Mummii* comparatio; quâ utriuſque mores, ingenium, ac vitæ ratio, innuuntur; quæ omnia, unà cum obſervationibus inde emergentibus, ad *Philoſophica* referri debent; ideóque hîc prætermittenda: non ita tamen *obſervationes Criticæ*, ſi quæ occurrant: has enim, juxtà & *Grammaticas*, *Rhetoricas*, aliáſque omnes, quæ ad *Philoſophiam practicam* non ſpectant, ſub *Philologicis* comprehendi volo: ideóque non poſſum abſtinere, quin oſtendam, me à *Juſto Lipſio*, *Criticorum Coryphæo*, prorſùs diſſentire; qui non vult, ut *Scipio* dicatur hîc [*omnis doctrinæ auctor:*] ſcilicet *nimia* (inquit) *pro Scipione laus, ſcribo igitur* [fautor] *& id principi, ac militari viro convenit.* Immo (inquam *Juſte Lipſi*!) mutatione nihil eſt opus: neque immerenter dicetur *auctor*, quia primus ipſe, & pauci præterea doctrinas in urbem *Romam* induxiſſe feruntur. Quid ſi *Polybium* ſuam *Hiſtoriam*, *Panætium* ſuos de officiis libros, *Scipionis* impulſu ſcripſiſſe, aut edidiſſe autumemus? Ecquis abſurdam dixerit conjecturam? quum eos perpetuos ſibi comites habuiſſe, ſcripſerit ipſe *Vellëius*? Quid quòd, *Terentii* ſcripta ad *Scipionem* (teſte *Fabio*) referantur; & *Donatus*, non obſcuram eſſe famam, *Terentium à Lælio* & *Scipione* adjutum fuiſſe, dicat?

Huc accedat id, quod apud *Velleium* sequitur, [*quoties ab armis & reipub. negotiis vacare licuit, animum disciplinis exercuit:*] namque vel hinc etiam, laus illa *Scipionis* magis videtur probabilis, neque omninò (sicuti putat *Lipsius*) nimia existimanda. Sed neque *Principi*, aut *militari viro* nimia: videte enim quid de *Annibale*, *Cornelius Nepos*, sive sit *Æmylius Probus*. *Hic tantus vir*, (inquit) *tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis: namque aliquot ejus libri, sunt Græco sermone confecti: in his ad Rhodios, de Cn. Manlii Vulsonis in Asiâ rebus gestis, &c.* Ultimo loco, notabit *Philologus* verborum elegantias, ac proprietates, alluſiones ingenioſas, tranſlationes aptas & illuſtres. Sicuti hiſce verbis; [*Neque enim quisquam hoc Scipione elegantiùs intervalla negotiorum otio dispunxit.*] Sive enim ad illud *Catonis* in *Originum* principio alludat; ubi *Clarorum virorum atque magnorum, non minùs otii, quàm negotii rationem extare* debere, pronunciat: ſive magnificam illam *Scipionis* ipſius vocem reſpiciat, quâ ſe *nunquam minùs otioſum eſſe, quàm cùm otioſus, neque minùs ſolum, quam cùm ſolus eſſet, affirmavit.* Utrumque hoc elogio, videtur mihi *Velleius* oppidò eleganter expreſſiſſe. Quod ut liquidiùs appareat, notabit *Philologus*, otium negotio & labori oppoſitum; idque eſſe duplex. Nam aliud eſt iners & ſine opere, aliud verò actuoſum. Quod quidem poſtremum tantùm, *Scipioni* competere, locus indicat, qui in otio nequicquam ceſſaret; aut à publicis occupationibus liber, inertiæ ſe dederet; ſed vel de negotiis cogitaret, vel ſtudiis literarum, & ſapientum colloquiis intenderet. Hoc enim erat [*intervalla negotiorum, otio dispungere:*] quod etiam vocabulum, à nummulariis, iiſque qui à rationibus inſerviunt, mutuatum agnoſcet *Philologus*. Et ſignificat, accepta & data conferre: ita *Ulpianus*. Vel (ut loqui ſolet vulgus) computum examinare.

Cic. Offi. l. 3.

L. 56. D. de ver. ſig.

L. 6. D. de ſtat.

Per-

Percontandas (inquit idem *Ulpianus*) *atque examinandas rationes, & dispungendas atque discutiendas.* Quare sic (ut mihi videtur) intelligendus *Vellëius*; ac si dixisset. *Nemo publica negotia, studiis subsicivis* (*velut accepti & dati rationibus, ex omni parte subductis*) *pulchriùs compensavit.* Nam sciendum est, quòd quæ in rationibus probabantur, ultrò citróque; quæ in suffragiis, quæ in recensionibus militum, officiorúmve; ea solebant notari punctis, ut ad discutienda cætera veniretur; & dispuncta vocabantur: at contrà, expuncta, quæ ex rationibus velut improba, vel præterita eximebant. Ita quoque milites exauctorati, expuncti dicebantur. Breviter, Auctoris mens planè talis esse mihi videtur, ac si dixisset; *Nemo luculentiùs occupationes suas juxtà & vacationes, perindè utiles, atque salutares unquam præstitit.* Atque hæc dicta sunto ad *Vellëii c.* 13. *lib.* 1. *Jun. ad Ter. adv. Jud. c. 9*

Promisi alterum exemplum in *Philologicis*; nec mutabo. Sed tantò brevior, quantò in superiori fuerim prolixior, esse statui. *Cornelius Tacitus Annal.* 3. c. 65. suggeret nobis argumentum, ubi sic, temporum sub *Tiberio* corruptionem describens, narrat:

[*Cæterùm, tempora illa adeò infecta, & adulatione sordida fuêre, ut non modò Primores civitatis* (*quibus claritudo sua, obsequiis protegenda erat*) *sed omnes Consulares, magnâ pars eorum qui Præturâ functi, multique etiam Pedarii Senatores, certatim exurgerent, fœdâque & nimia censerent.*] Hæc *Tacitus.* Unde *Grammaticorum* & *Philologorum* filii observent, *Primores civitatis* hîc vocatos, quos *Optimates, Capitolinus: Aurel. Victor, Nobilium Optimos.* Et ipse *Tacitus* non rarò *Proceres* nuncupat. Aliquibus etiam, *principes civitatis*, πρωτοπολίται sunt dicti. Deinde, *Consulares* esse, quos ex-*Consulibus* viros, sive viros *ex-consules* dicimus; qui *Consulatu* jam functi essent. Eosdémque juxtà &

ex-Prætores, ſive viros *Prætorios*, (hoc eſt, quicunque *Prætoram* expleviſſent) cæteroſque omnes, qui *Magiſtratus Curules* geſſiſſent, veniendi in *Senatum*, ac ſententiam dicendi jus habuiſſe. Ultimò, *Senatorum* diſtinctionem ex hoc loco obſervabit *Philologus*; nempe eorum alios, *Patricios* fuiſſe; *Conſcriptos* ſive *Adlectos*, alios; alios denique, *Pedarios* dictos. Illos à *centum patribus*, quos *urbis* Parens & *conditor Romulus* elegit, oriundos: iſtos, *Regum*, *Conſulum*, *Cenſorúmve* decreto, lectos: hos, quòd ubi reliqui ſellâ *Curuli* in *Senatum* vehe-
A. Gell. l. 3. c. 18 rentur, hi pedibus itarent, & ſic in *Curiam* venirent (ut nonnulli cenſent;) vel quòd pedibus irent in ſententiam aliorum; ſententiâ nimirùm haud verbis, ſed tranſitione profeſsâ; vel diſceſſione, (ut alii) ſic olim dictos. Et huic opinioni favere
L. 1. ep. ult. videtur *Cicero* ad *Att.* *Cum eſt actum, neque animadverſum eſt ad quos pertineret, & raptim in eam ſententiam Pedarii concurrerunt.* Confirmat etiam hoc ipſe *Taciti* locus: *Pedarii Senatores certatim exurgerent.* Eſt apud *Vopiſcum* locus præclarus, ex quo triplicem modum probandi ſententiam in *Se-*
In Aurelian. *natu* elicimus. *Deinde aliis manibus porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, pleriſque verbis conſentientibus, conditum eſt Senatûs-Conſultum.* Atque hæc de *Philologicis* obſervationibus ſufficiant.

SECT. V.

In Philoſophicis, quæ ratio tenenda. Exemplo Herodoti, Polybii, & aliorum Hiſtoricorum. Duplex uſus exemplorum. J. Lipſius, Jo. à Chokier; & R. Dallingtonus noſtras, Hiſtoriarum & exemplorum uſum

usum luculentèr indicarunt. Specimen unum atque alterum, à nobis subjicitur: Ex L. Floro, Justino, Herodoto. Romuli & Remi Historiam, veram supponit Augustinus. Quis indè usus. Camilli & Fabricii fides, atque indè axiomata. Xerxis ingens apparatus bellicus, ejusque expeditionis successus, quid nos doceant. Confirmatur Darii ultimi exemplo. Caligulæ, Neronis, ac Valentiniani exemplis, ostenditur malignitas philautiæ, invidiæ, ac livoris. Polybius frequens in Historiarum usibus.

JAM verò in *Philosophicis* colligendis, hanc normam sequatur Lector. Omnia exempla, sive *Ethica*, sive *Politica*, sive *Oeconomica*, seu denique *Bellica*, tam virtutum, quàm vitiorum, ex *Historiis*, non observet modò, deducat, & undique colligat; sed ad leges etiam, & regulas vitæ, artisque principia, prudenter accommodet: juxta illud *Plutarchi*, πρὸς στάθμῃ πέτρον τίθεσθαι, μήτι πρὸς πέτρῳ στάθμην: *Applicandus lapis ad amussim, non ad lapidem amussis est.* Auctores ipsi non rarò hoc faciunt. *Herodotus* totam belli *Trojani Historiam*, ad communem justitiæ regulam refert; dicendo, ὅτι τῶν μεγάλων ἀδικημάτων, μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τοῦ Θεοῦ. *Magnarum injuriarum, magnas a Deo ultiones esse.* Ita etiam *Polybius*, exemplo *M. Attilii* docet, τὸ δεῖν ἀπιστεῖν τῇ τύχῃ, καὶ μάλιστα κατὰ τὰς εὐπραγίας: *Fortunæ non fidendum, præsertim in rebus lætis:* eò quòd *Attilius Regulus*, qui paulò antè, nullam misericordiæ locum dabat, neque ullam afflictis *Carthaginensibus* veniam concedebat; mox ductus ipse est, iisdem

Plut. de prof. vir.

Polyb. l. 1

pro ſalute ſuâ ſupplicaturus. Eodem in loco, oſtendit verificatum *Euripidis* dictum; ὡς ἓν σοφὸν βούλευμα, τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ: *Unicum rectum Conſilium, magnam militum manum vincere*: Idque pronunciat inſigniter probatum, exemplo *Xantippi Lacedæmonii*, qui unus unicâ ſententiâ *Legiones Rom.* (anteà invictas atque inſuperabiles habitas) vicit, ac ſuperavit: *Urbemque* profligatam, & collapſos tot virorum animos, inſtaurauit, atque erexit.

Hoc igitur ut exactiùs perſicere cognoſcat *Lector* noſter, cujuſlibet facti, atque etiam conſilii cauſas inquirat, circumſtantias appellet, ſucceſſum ponderet; ac ſingulatim in quo quid benè aut prudenter, quid malè aut imprudenter geſtum ſit, ſpectet: inde autem præceptum, monitum, ſive regulam univerſalem ipſe eliciat, eámque ſententiis pluribus comprobet, exemplíſque illuſtret. Eſt enim duplex uſus exemplorum: unus, ut ea imitemur, quæ à bonis viris geſta ſunt: fugiamus autem ea, quæ à malis perpetrantur. Alter, ut ex rebus, quæ ſigillatim narrantur, generatim ac in univerſum, διπλῶς aliquam utilem ſententiam (θέσιν, ἢ ἀφορισμὸν) extrahamus, & deducamus. Hanc rationem transferendi Hiſtorias in uſum noſtrum, exemplis copioſis luculenter indicavit *Juſtus Lipſius*, libello quodam ſuo, *Monita politica, & Exempla* complectente. Item *Johannes à Chokier*, *Lipſii* diſcipulus, Magiſtrum imitatus, *Theſaurum* edidit *Aphoriſmorum Politicorum*, ſatis locupletem. Quin & ante annos viginti & ampliùs, prænobilis *R. Dallingtonus* noſtras, vir ab eruditione, prudentiâ & pietate celebrati nominis, in *Civilibus* illis *Militaribuſque Aphoriſmis* ſuis, quos linguâ vernaculâ publicavit, egregiâ cum laude in hoc genere verſatus eſt. Liceat tamen etiam nobis, hîc quoque ſpecimen aliquod exhibere, quod pro exemplari ſibi novitius *Lector* noſter proponat, &, ſi viſum fuerit, imitetur.

Quùm

Quùm apud Auctorem noſtrum *L. Ann. Florum*, juxtà & *T. Livium*, alioſque legimus, urbis Imperiíque conditorem *Romulum*, incerto patre natum, *Amulii* imperio in profluentem abjectum, cum *Remo* fratre, non potuiſſe extingui: *Siquidem* (inquit *Florus*) *& Tiberinus amnem repreſſit, & relictis catulis, lupa vagitum ſecuta, ubera admovit infantibus, matrémque ſe geſſit, atque ſic repertos apud arborem, Regis paſtor tulit in caſam, atque educavit.* *Flor. l. 1. c. 1.* *T. Liv. l. 1. c. 4.*

Hinc nos divinæ providentiæ vim planè admirandam obſervare debemus; numiniſque divini ſummam benignitatem, quæ eos, quorum manibus ad ſumma quædam ſuo tempore exequenda, uti conſtituit, miris modis conſervare novit. Hinc etiam hoc exurgit axioma.

Magnorum Imperiorum fundamenta, atque incunabula, nonnunquam ex parvis & quidem pudendis initiis, ſed extraordinariis & miraculoſis modis, jaciuntur, ac conſervantur. Vel ſic:

Magnorum Imperiorum initia, quanquam ſæpè fuerint exigua, atque hominum judicio, ipſa ex ſeſe contemptibilia; ſemper tamen aliquam extraordinariam, & peculiarem Dei providentiam oſtendunt, & certiſſima utriuſque teſtimonia continent.

Notiſſima eſt Hiſtoria *Cyri*, principis *Monarchæ Medo-perſici*, qui juſſu *Aſtyagis* avi ſui, à feris devorandus expoſitus, miraculoſâ canis fœminæ tutelâ, & lactatione ſalvus evaſit. Æquè mirabilis, & planè ſtupenda *Galleciæ* Regis cujuſdam, nomine *Habidis*, Hiſtoria legitur apud *Juſtinum*, quem videat, quiſquis ejus ſcire caſus, & pericula deſiderat: alia etiam exempla horum ſimilia, legat apud *Ælianum*, inter varias Hiſtorias. * Ego feſtino. Nec negerat quis, *Mythiſtorias* eſſe; cùm quod de *Romulo* & *Remo*, Divus *Auguſtinus* verum ſupponit, de cæteris concipi, non improbabiliter queat. *Quid mirum* (inquit *Auguſtinus*) *ſi ad arguendum homi-* *Juſtin. l. 1. Herod. l. 1.* *Juſt. l. 44* * *Et Alex. ab Alex. l. 3. c. 31.* *Aug. de civ. Dei l. 18. c. 2.*

nem regem, qui eos in aquam projici crudeliter juſſerat, eis infantibus per quos tanta civitas condenda fuerat, de aquâ divinitùs liberatis, per lactantem feram Deus voluit ſubvenire.

Liceat mihi aliud, ex Auctore noſtro, *L. Annæo Floro*, paradigma deducere in Philoſophicis. Is *Romanorum* victoriam adversùs *Faliſcos*, pauciſſimis quidem verbis, at ſenſibus plenis, eleganter ſic narrat. *Faliſci cum obſiderenter à Camillo, mira viſa eſt fides Imperatoris, nec immeritò: quòd Ludimagiſtrum urbis proditorem, cum iis quos adduxerat pueris, vinctum ſibi ultrò remiſiſſet. Quid fit? Se ſponte Faliſci dediderunt.* Huic Geminum fidei exemplum habemus in *Fabricio* adversùs *Pyrrhum Epirotam*. *Frontini* verbis repetam. *Ad Fabricium Ducem Romanorum, Medicus Pyrrhi Epirotarum Regis pervenit, pollicitúſque eſt, daturum ſe Pyrrho venenum, ſi merces ſibi, in quâ operæ pretium foret, conſtitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam ſuam non arbitratus, Regi medicum detexit; atque eâ fide meruit, ut ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum.*

Flor. l. 1. c. 12.

Fron. St. l. 1. c. 4.

Nos hinc quid aſtruemus? Regulam ſcilicet univerſalem quantivis pretii, ab Auctore noſtro *Floro* diſertis verbis expreſſam, capite prædicto, ſic. *Ea tandem vera eſt habenda victoria, quæ ſalvâ fide, & integrâ dignitate, parari poteſt. Valerius Maximus* ad parem ſenſum, æquè eleganter. *Tum demùm victoria apud Deos, & apud homines, minimum invidiæ habitura eſt, cùm plurimum humanitatis habuerit.* Accipe eandem regulam aliis verbis expreſſam. *Verâ ſi quis graſſari viâ ad compendioſam victoriam cupiat, noverit erga ipſos hoſtes promptâ uti clementiâ.* Namque ſuperioribus exemplis, aliiſque id genus infinitis docemur, viros prudentes, & ſapientiæ plenos, moderatione plura, quàm vi componere. Imo, res conſilio peragi, & moderatione, de quibus vis deſperaverat; juxta illud *Claudiani* poetæ,

V. Max. l. 5. c. 1.

——*peragit*

——*peragit tranquilla poteſtas*
Quod violenta nequit.——

Iterùm, cùm apud *Juſtinum Trogi* Abbreviatorem, *Xerxis* apparatum bellicum quinquennalem adversùs *Græciam* contemplamur: cùm numeroſiſſimum ejus exercitum putamus, 700 millia de regno, 300 M. de auxiliis armata, ut non immeritò proditum ſit, *flumina ab exercitu ſiccata, Græciámque omnem vix eum capere potuiſſe: naves quoque decies centum millia habuiſſe*: denique, cum triduo, à quatuor millibus contra hanc ingentem multitudinem, non ſine dolore & indignatione *Perſarum*, ad anguſtias *Thermopylarum*, dimicatum animadvertimus, & tandem à treçentis *Spartanis* ſtragem infinitam factam conſideramus: poſtremò, cùm turpiſſimam, ac fœdiſſimam *Xerxis* in ſcaphâ piſcatoriâ fugam, attentiori cogitatione perpendimus, præter uſum illum, quem ſtatim poſt narrationem ſubjungit ipſe *Juſtinus*; viz. *Rem fuiſſe ſpectaculo dignam, & æſtimatione ſortis humanæ, rerum varietate mirandâ, in exiguo latentem videre navigio, quem paulò ante vix æquor omne capiebat. Eumque carente omni ſervorum miniſterio, cujus exercitus propter multitudinem, terris graves erant.* Lib. 2. §. 13.

Præter hunc (inquam) uſum, occurrit memoriæ *Demarati Lacedæmonii* oraculum, quod teſtante *Senecâ* apud ipſum *Xerxem* effatus eſt. Nempe; *multitudinem indigeſtam & gravem, metuendam eſſe ducenti*; *non enim vires habere, ſed pondus.* Sed & veri-verbii, à *Lucano* prolati, non poſſumus hîc non meminiſſe: *Sen. de Ben l. 9. c. 31.*

In ſe magna ruunt, lætis hunc Numina rebus
Creſcendi poſuêre modum.—— *Luc. l. 1. v. 81.*

Subit etiam mentem, prudens illud *Artabani* monitum.

nitum. *Vides, ut prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec ſinit inſoleſcere.* Φιλεῖ ὁ Θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα ταπεινοῦν. *Gaudet Deus eminentiſſima quæque deprimere.* Quæ omnia nobis perſpicuè probant, Regis *Darii* legatum, valdè appoſitè, nec minùs experienter, apud *Alexandrum M.* Philoſophum egiſſe, hiſce verbis: *Periculoſum eſt, prægrave imperium: difficile eſt continere, quod capere non poſſis. Vides ne navigia, quæ modum excedunt, regi nequeunt: neſcio an Darius ideò tam multa amiſerit, quia nimiæ opes, magnæ jacturæ locum faciunt.*

Herod. in Polybym.

Q. Curt. l. 4.

Suet. Calig. c. 34. Denique apud *Suetonium* cùm legò, *Caligulam* non minore livore, ac malignitate, quàm ſuperbiâ ſævitiáque adversùs omnis ævi penè homines graſſatum fuiſſe; ſtatuas virorum illuſtrium ita ſubvertiſſe, atque disjeciſſe, ut reſtitui ſalvis titulis non valuerint: vetuiſſéque poſthàc viventium cuiquam, uſquam ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe, & auctore, poni: cùm de *Nerone* ſcriptum invenio, quòd populariter fuerit elatus maximè; *omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent.* De *Valentiniano*, quòd benè veſtitos odio haberet, & eruditos & opulentos, & nobiles; quódque fortibus detrahere ſoleret, ut ſolus videretur bonis artibus eminere: hinc concludere promptum videtur.

Sue. Ne. c. 53.

Am. Marcel. l. 30. c. 8

Edi. Par. 1681.

Nonnulla reperiri ingenia, idque non rarò, quæ adeò philautiâ (dicam, an livore?) & malignitate laborant, ut ſoli omnia eſſe velint, neque ferant alios excellere in re ullâ. Hinc quoque *Marcellinus* ipſe verè philoſophatur, * *livorem virtutum, rectæ poteſtatis invidiam eſſe ſociam: quoque dignitatum apices majores, eò (licere ſibi cuncta exiſtimantes,) & ad ſuggillandum contrarios, exturbandóſque meliores, proniùs ſunt inclinati.*

Am. Marcel. lib. & c. cit. ubi tamen longè aliter edidit hunc locum Valeſius.

Frequens in hiſce uſibus eſt *Polybius*, (utì anteà monuimus) & lectorem ſuum plerunque labore aliquo levat; neque enim docet ſolùm, quàm uberes fructus,

fructus, ad rationes vitæ, gesta majorum sint allatura; sed etiam, quo pacto percipere quis queat, semper ferè demonstrat.

SECT. VI.

Christiani Ethnicorum exemplis utiliter instrui possunt; & non in virtute morali tantùm, sed in actibus etiam pietatis, ac vitæ Christianæ promoveri. Id docetur ex D. Augustino, D. Hieronymo, & aliis. Talia imitationum præcepta, ab Ethnicis quoque nonnullis adimpleta. Quos denique eleganter expressit D. Ambrosius.

SED nec in vitâ tantùm *civili*, *Historias* profanas usui esse posse putandum est; verùm in vitâ *Christianâ* vel maximè: id nos abundè docent *Sancti Patres Ecclesiæ*, & pluribus instantiis probant. Videte mihi D. *Augustinum*, *lib.* 5. *de Civ. Dei*. Ubi postquam ostendisset, *Brutos* & *Scævolas*, & *Curtios*, & *Decios*, aliosque, (quos Στοιχείους *Heroas* eleganter appellat doctissimus *Casaubonus*, ex *Dionys. Halic.*) tot egregia facinora, virtutúmque monstra (uti loquitur *Florus* noster) *ideò tantùm, ut patriæ libertatem, urbi imperium, sibimet ipsis gloriam compararent, edidisse, sumúmque finem obtinuisse, & mercedem desideratam percepisse.* Cap. 14. Tandem concludit. *Proindè, non solùm ut talis* Cap. 16. *merces talibus hominibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum est, verùm etiam ut cives æternæ illius civitatis, quandiu hîc peregrinantur, diligenter & sobriè illa intueantur exempla, & videant quanta dilectio debeatur supernæ patriæ,*

patriæ, propter vitam æternam, si tantùm à suis civibus terrena dilecta est, propter hominum gloriam.

Lib. 5. Similiter *cap.* 18. & alibi, argumenta ducit à profanis exemplis, ad *Christianam* constantiam. Sicuti lib. 1. c. 24. de *M. Attilio Regulo* loquens. *Si fortissimi & præclarissimi viri terrenæ patriæ defensores, Deorúmque licèt falsorum, non tamen fallaces cultores, sed veracissimi etiam juratores, qui hostes victos more ac jure belli ferire potuerunt, hi ab hostibus victi seipsos ferire noluerunt; & cùm mortem minimè formidarent, victores tamen dominos ferre, quàm eam sibi inferre maluerunt: quantò magis Christiani verum Deum colentes, & supernæ patriæ suspirantes, ab hoc facinore temperabunt, si eos divina dispositio, vel probandos, vel emendandos, ad tempus hostibus subjugaverit?* Ad eundem modum *D. Hieronymus*, in consolatione ad *Julianum*, per-

Lib. 2. ep. 21. quàm eleganter hortatur. *Contemnis aurum?* inquit) *contempserunt & multi Philosophi. Unus multarum possessionum pretium, projecit in pelagus, abite* (inquiens) *in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit; & tu te putas in virtutis culmine constitutum, si partem ex toto offeras? Teipsum vult Dominus hostiam vivam, placentem Deo, te*

Ibid. ep. 22. *inquam, non tua.* Iterùm ad *Heliodorum. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, &c. quorum non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit, &c. Ne videar potiùs aliena, quam nostra quæsisse: quanquam & hæc in sugillationem nostri breviter dicta sint, si non præstet fides, quòd exhibuit infidelitas.* Sed ut rem in compendium conferam, hanc normam quomodo nos Christiani sequamur, in observandis, applicandísque in usum nostrum exemplis, optimè nos docet, carmine non ineleganti, magnus ille *David Chytræus*, de re *Historicâ* optimè meritus, in *Præfatione*

fatione ſuâ, ad *Cornel. Nepotem,* ſive *Æmilium Probum.*

Chriſtiades ſimul Hiſtorias ac perlegit, ardens
Ruminat hæc animo ſecum; ſi Phocio nummos
Reſpuit oblatos dono; ſi Scipio ſponſam
Noluit alterius contingere; maluit exul
Attilius ſi ſponte mori, quàm fœda probando,
Et laudi patriæ, & Latiæ nociuiſſe juventæ,
Conſilio exemplóque ſuo; mihi quid faciendum,
A Chriſto nomen qui habeo? Num ſordidus auri
Servus ero? Faciámve, jubet quæcunque libido?
Num vitam pluris faciam, quàm nomen Alethes
Invictum? Num poſtponam mandata Jehovæ
Inſanis hominum placitis, juſſiſque cruentis?
Sic ſanè Hiſtoriæ laudanda exempla vetuſtæ
Cum fructu, quàm quis credat majore, leguntur.

Hæc eadem imitationum præcepta, inter *Ethnicos* etiam reperiuntur, qui opere & factis adimplerunt, nec dedignati ſunt majorum mores & affectus intuendo ac pertendendo, vel ſuos reformare, vel alienos inſtruere ac moderari. *Cato* ille (de quo ſuprà nonnihil jam dictum eſt) *Cenſorius* appellatus, ad tugurium *M. Curii* (quod à prædiis ſuis haud procul aberat) frequenter accedere, locíque ipſius anguſtiam & habitationis vilitatem contemplatus, de viro iſto cogitare ſolebat; quòd *Romanorum maximus, ſubactis gentibus bellicoſiſſimis, ejectóque Italiâ Pyrrho, ipſe poſt tres triumphos, eum agrum propriis manibus fodiſſet, idque ipſum tugurium inhabitaſſet: ibique eidem Curio ad focum ſedenti, & ligneo catillo rapâ cœnanti, Samnitum legati cùm adveniſſent, auriúmque multum obtuliſſent; brevi admodùm cum reſponſo eos demiſiſſet, nimirum, auro nihil opus eſſe ei, qui hâc cœnâ eſſet contentus: ſeque aurum habentes vincere, quàm poſſidere aurum, malle. His ita ſecum conſideratis,* Cato *abibat, ac proinde in ſuam*

Sect. 4.

Plut. in Cat. Ma.

am domum, prædia, famulos, & victûs rationem inſpiciens, laborem ſibi intendebat, luxúmque omnem porrò amputabat. Egregium etiam in hoc genere præbet nobis exemplum *Servius Sulpitius*, qui, ut *M. Ciceronem*, filiæ ſuæ mortem graviter dolentem, conſolaretur, meditationem quandam, (vel Chriſtiano dignam) quam ſecum ipſe quondam habuerat, ſuper exitio florentiſſimarum urbium (quæ perpetuò manſuræ videbantur) repetit: atque ita unum (inter alia plura) conſolandi argumentum, valdè appoſitum & efficax, à propriâ deducit experientiâ, in hunc modum. *Quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare, ſi fortè eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſiâ rediens, cùm ab Æginâ Megaram versùs navigarem, cepi regiones circùm circà proſpicere. Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextrâ Periæus, ſiniſtrâ Corinthus; quæ oppida quodam tempore, florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent: cepi ego ſic mecum cogitare; hem! nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet; cùm uno loco tot oppidûm cadavera, projecta jaceant. Vis ne tu te Servi cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione eâ, non mediocriter ſum confirmatus; hoc idem ſi tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas, &c.* In eandem planè ſententiam, eleganter philoſophatur, *Philoſophus* ille *Romanus*, & iiſdem ferè cum *Sulpitio* utitur argumentis, ut *Liberali* ſuo, ob incendium quo *Lugdunenſis Colonia* exuſta erat, admodùm triſti, leniret dolorem. *Tota* (inquit) *ante oculos Sortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter evenit, ſed quantum plurimùm poteſt evenire, præſumamus animo, ſi nolimus opprimi, nec ullis inuſitatis velut novis obſtupefieri. In plenum cogitanda fortuna eſt: Quoties Aſiæ, quoties Achaiæ Urbes uno tremore ceciderunt? Quot oppida in Syriâ, quot in Macedoniâ devorata ſunt?*

Cic. ep. fam. l. 4. ep. 5.

Senec. ep. 91.

ſunt? Cyprum quoties vaſtavit hæc clades? Quoties in ſe Paphus corruit? &c. Et poſteà: *Non tantùm manufacta labuntur, non tantùm humanâ arte atque induſtriâ poſita, vertit dies: Fuga montium diffluunt, totæ deſedêre regiones. Operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant. Vaſtavit ignis colles, per quos elucebat: eroſit & quondam altiſſimos vertices, ſolatia navigantium, ac ſpeculas ad humilem arenam deduxit. Ipſius naturæ opera vexantur: & ideò æquo animo ferre debemus urbium excidia. Caſura omnia extant, &c.* Hinc denique ſic infert: *Itaque formetur animus ad intellectum, patientiámque ſortis ſuæ, & ſciat nihil inauſum eſſe Fortunæ. Adversùs Imperia illam idem habere juris, quod adversùs imperantes: adversùs Urbes idem poſſe, quod adversùs homines: Nihil horum indignandum eſt: in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur.* &c. Nimius hîc fortaſſe videbor, non poſſum tamen abſtinere manum, quin *Divi Ambroſii* quoque huc exemplum adjiciam; is enim in epiſtolâ quâdam, quâ *Fauſtinum*, propter obitum germanæ ſuæ, acerbo dolore mœrentem conſolatur, *Servium Sulpitium*, *Senecámque* diſertim & eleganter imitando expreſſit, eandémque ſolaminis rationem uſurpavit. *Sed doles* (inquit) *quòd dudum florentiſſima repentè occiderit. Verùm hoc nobis commune, non ſolùm cum hominibus, ſed etiam cum civitatibus, terríſque ipſis eſt. Nempe de Bononienſi veniens urbe, à tergo Claternam, ipſam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas: in dextrâ erat Brixillum, à fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipſo adhuc nomine ſonans, ad lævam Apennini inculta miſeratus, & florentiſſimorum quondam populorum caſtella conſiderabas; atque affectu relegabas dolenti. Tot igitur ſemirutarum urbium cadavera, terrarúmque ſub eodem conſpectu expoſita funera, non te admonent unius, ſanctæ licèt & admirabilis, fœminæ deceſſionem conſolabiliorem habendam, præſertim cùm illa in perpetuum* Ambroſ. l. 2. ep. 8.

petuum proſtrata ac dirutâ ſunt; hæc autem ad tempus quidem erepta, nobis meliorem illîc vitam exigat? &c. Hæc ipſa, atque hiſce ſimillima exempla, copioſè nobis ſuppeditant auctores, quæ ſi noſter Hiſtoriarum ſtudioſus diligenter obſervaverit, necnon ad hunc modum, imitando, applicandóque repræſentare conatus fuerit, largos indubiè, & diuturnos laboris ſui fructus, ſecum reportabit.

SECT. VII.

Fructus uberiores, atque etiam præſtantiores ab Eccleſiæ Hiſtoriâ. Ethnicorum bona opera, ſplendida peccata. Ethnica Hiſtoria, ſecundam tantùm Decalogi tabulam illuſtrat: Eccleſiaſtica, totam Legem. In illâ, virtutum ſimulachra; in hâc, veræ virtutes leguntur. In illâ, jucunda quidem cognitu, & utilia; in hâc, etiam neceſſaria memorantur: inde, hortatione ad ſedulam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lectionem, diſſertatio concluditur.

ATque hactenùs de modo colligendi fructus, ab *Hiſtoriarum* lectione; quos ſi adeò uberes, adeóque ſuaves, nobis exhibeat *Civilis* & *Ethnicorum Hiſtoria*; quantos, qualéſque, nobis ab *Hiſtoriâ ſacrâ*, & *Eccleſiaſticâ* haurire conceſſum putemus? Quæ & argumento, & certitudine, & perfectione, *Civilem*, atque *Ethnicam* longiſſimè prævertit? Non poſſumus diffiteri, quin exempla ſatis crebra, & ſatis clara, juſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, omniſque adeò virtutis, nobis proponant *Hiſtoriæ Ethnicorum*: ea tamen ſi penitiùs examinentur, ſi juxta veritatis trutinam perpendantur,

pendantur, manca, imperfecta, polluta reperientur, neque rectè ad Dei vel iram, vel misericordiam relata: quod quidem in causâ erat, cur *Divus Augustinus*, præclara illa *Gentilium* opera, *splendida* vocaverit *peccata*: * eorúmque virtutes, quum ad Deum non referantur, etiam vitia, potiùs quàm virtutes esse, affirmaverit. Huc accedit, quòd secundam tantùm *decalogi* tabulam spectent; regulásque morum, solummodò in civili conversatione confirment. *Ecclesiæ* verò *Historia*, ea quæ totius legis sunt propria, certioribus multò, & luculentioribus illustrat exemplis: religionísque partes omnes, quarum cognitio summoperè necessaria est, haud obscurè demonstrat, aut leviter probat. Quid de Deo rectè usquam narrat, aut novit *Ethnicorum Historia*? quid certi, quid explicati, de mundi origine temporibúsve illis antiquissimis continet? Primorum hominum *Historiam*, neutiquam attingit: patefactiones de Deo, aut promissiones de *Messiâ*, nullas omninò habet: gubernationem *Ecclesiæ*, ejusque conservationem plane nescit. Hæc, & hujusmodi alia quàm plurima, ab *Historiâ sacrâ*, & *Ecclesiasticâ*, solummodò sunt petenda. Quid tu, *Marce Tulli*, Historiam vetustatis nunciam venditas, nec maximè vetustam, & aliquando fucatam? Testem temporum prædicas minùs locupletem, nonnunquam intestabilem? Sacra Historia sola est, quæ remotissimæ antiquitatis arcana pandit, nec unquam mentitur: *Sacra Historia* sola, quæ ab ipso rerum omnium primordio, fidele temporum exhibet testimonium, nec usquam vacillat. Hæc sola veritatis æternæ lux splendidissima. Hæc denique vitæ magistra sola est optima, & undequáque perfecta. Etenim dic mihi, quisquis Historiarum lector es, vel auditor; synceræ, ac solidæ virtutis, indubitata quæris documenta? Frustrà eris, si aliam quàm *Sacram*, aut *Ecclesiæ* perquiras *Historiam*. Veræ pietatis germana desideras exemplà? *Sa-*

* *Aug. de C. D. l. 19. c. 25*

cras, & *Eccleſiæ* ſcruteris *Hiſtorias*; ibi affatim invenies, non alibi. Ibi agnitionis Dei, invocationis, fidei, pœnitentiæ, conſtantiæ, patientiæ, pulchra ſervantur monumenta. Ibi, nec alibi, fortitudinis perfectæ, puræ obedientiæ, caſtitatis illibatæ, promptæ beneficentiæ, ſpecimina miranda paſſim occurrunt. *In aliis hiſtoriis, ſi quod facinus narretur memorabile*, (Euſebiani * Interpretis verba ſunt) *illud aut gloriæ causâ, quæ umbratilis eſt, ſuſceptum; aut ulciſcendæ injuriæ, quæ condonari debuiſſet, aut patriæ (quæ aliquando plus habet momenti) defendendæ; in hâc, non res geſtæ dicuntur, popularis famæ venandæ gratiâ, ſed veræ gloriæ conciliandæ, non vindictæ ſtudio, ſed Chriſti amore: non patriæ hujus caducæ defenſione, ſed cœleſtis Hieruſalem adeptione.* Breviter, quæ, & quanta *Eccleſiæ* complectatur *Hiſtoria*, legentibúſque ſeriò contemplanda proponat, verba Reverendiſſimi longéque doctiſſimi præſulis, ſuprà citata, abundè docent. Recolite (ſi placeat Auditores,) videbitis non utilia tantum, aut jucunda, aut ſcitu, memoratúque digna, ibi contineri; ſed graviſſima etiam, imò neceſſaria, & quæ homini *Chriſtiano*, præſertim erudito, ignorare minimè permiſſum eſt. Quare, ut concludamus, *Lectorem* noſtrum *Philo-Hiſtoricum*, hanc quoque ut pervolutet *Hiſtoriam*, impenſiùs ſuademus, eóque magis, ſi *Theologiæ* ſtudiis ſit addictus, ſacrilque initiari, & divinis inſervire miniſteriis cogitaverit; tunc enim potiſſimùm, ejus maximè intererit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*

Chriſtophor. in proœm.

Suprà, ſect. 42, & 43.

Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ.

FINIS.

Subjunctam hîc habes (Lector) Orationem, quam habuit Auctor, ubi Cathedram Historicam primùm conscenderet.

ORATIO AUSPICALIS,

Habita in Scholis Publicis, cùm primùm

L. ANNÆI FLORI

Interpretationem aggrederetur Auctor.

SAlvete Viri Ornatissimi, vósque reliqui omnes Florentissimi Academici; quos tam frequentes, ingenti multitudine, hûc confluxisse, tremebundus adspicio: nimirum, invulgare quid,

——— *insigne, recens, adhuc*
Indictum ore alio, ——— *Hor l. 3. od. 25.*

à recente prælectore vestro, sat scio expectatis. Sed quàm magis vósque, méque reputo; tam magis mihíque, vobísque metuo: vobis; ne frustrà omnes sitis; mihi, ne vester Historiæ novitius professor,

ridicula fiat vulgi Historia. Quippe quæ (fors) plerisque vestrûm, invitamenta viderentur, & adhortamina dicendi non mediocria; hujus nempe celebritas auditorii, materiæ subjectæ nobilitas, ejusque, qui meam huc conduxit operam, summa claritas; hæc, hæc (inquam) mihi necessitatem ingerunt hæsitandi, hæc, animo labandi, & (quod miremini) non secùs ac *Madaurensis* ille, ipsis illecebris deterreor, & stimulis refrænor, & incitamentis cohibeor. In hunc animi defectum, vigorisque deliquium adigit me porrò, cùm ingenii pauperrimi conscientia, tum eloquii macies, ac inelegantia; adhæc, decennalis plùs minùs, ab hisce studiis quasi feriatio; &, quod me prorsus ineptum reddidit, certè valdè impromptum, dictandi disserendíque latinè, per quatuor annorum olympiades continua desuetudo & insolentia. Orandi itaque à me estis, (literatissimi Acad.) &, utì spero, haud difficulter exorandi, ut mihi vosmet non candidè tantùm, & libenter præstetis auditores, sed & liberè etiam, ac indulgenter favitores.

Apul. Florid. 4

Arduum aggredior negotium, & cui me imparem esse, nequicquam inficias irem: nolite tamen opinari Auditores, à me, vel ambitiosè adfectatum, vel importunâ flagitatione extortum, immo tantâ cum modestiâ obtentum, (Θεὸς δ' ἐπιμάρτυρος ἔστω) ut munus si non impositum, certè benigniter & gratuitò collatum, verè & ingenuè prædicare possim. Nam cùm illustrissimus noster Cancellarius,

Comes Pembrokiensis.

(*Quem virtus animosa Deis Heroïbus æquat*)

eam jam olim de meis studiis spem concepisset, ut ad hoc etiam munus, honorificâ suâ commendatione me haud omninò indignum arbitraretur: deinde, ubi inter vos etiam, primates quidam viri (quibus æternùm me vadatum lubens fatebor) suo me hortatu insuper animassent: postremò, cùm

ille

ille δαιμόνιος ἀνὴρ, clarissimus *Clarentius*, quicquid ab aliis modestè fando de me inaudiverat, benigno nescio quo adfectu ductus, in majus interpretari dignatus fuisset, méque suâ in Academiam munificentiâ principe loco gaudere voluisset: Cedò tu quisquis es, (si quis sit, qui me aut importunum, aut *Suffenum* arbitretur) cedò inquam, si tu hîc esses, nunquid aliter sentires? Annon illicò, juxta Comicum, *habendum & ferendum hoc onus cum labore* putares? Aut si aliter animum induxisti tuum, occurrat tibi pro responso, quod mihi ex eodem Comico occurrit pro hortamento: *Plaut.*

Neque novum, neque mirum fecit, nec secùs quàm alii solent. *Aßin. Act 5. sc. ult.*
Nec quisqnam est tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat benè.

Quod fœlix igitur & faustum siet Matri Academiæ, mihimet ipsi, meisque auditoribus, Historiæ illustrationem hodierno die auspicatum, huc adscendo: opus (utì dixi) arduum planè, sed tamen pulchrum; laboriosum, sed & utile. Pulchritudo, ardentem in nobis accendet amorem; utilitas, sedulam provocabit industriam; ex utrisque indubiè orietur delectatio, & voluptas. Neque erit utilitas illa (fidenter loquor) exigua, tenuis, angusta: neque hæc voluptas, frigida, jejuna, arctioribúsve conclusa terminis: immò, utraque impendiò magna erit, latissimè patebit utraque, per omnem vitæ humanæ rationem diffusa; adeò ut, quod disertissimus ille *Romuli* nepotum loquitur de officiis, illud ipsum ego de Historiâ jure & meritò usurpaverim: *Nulla vitæ pars est, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas*, ubi Historiarum cognitio non abundè proderit, ubi Histo- *Laudat. Histor. 1 ab utilitate.* *Cic. de Off. l. 1.*

riarum lectio incredibiliter non delectabit. Arborem in *India* quandam esse ferunt scriptores, quæ non minus habet novitatis ad miraculum, quàm fidei ad veritatem: hæc enim hominibus cibum ad famem abigendam copiosè ministrat, hæc potum ad sitim sedandam largiter fundit, hæc materiam texendis vestibus e sinu pandit, hæc in arma & tela conversa & pugnare discit, & vincere: hæc, mirum dictu! navim instructam, oneratámque parturit: quippe ex eâ tabulæ, pix, resina, antennæ, vela, rudentes, cæteráque omnia, quæ ad navigia coagmentanda necessaria sunt, tanquam è παραμυθία quâdam eruuntur. Hujus arboris similem esse arbitror, simulachrúmque habere Historiam: Nulla est ars, scientia nulla, nulla facultas, vel ad usum necessaria, vel ad ornatum pulchra, vel ad delectationem jucunda, cujus Historia, aut inventrix, aut conservatrix, aut utraque meritissimò dicenda non sit. Spissum foret, & vobis fortassis tædium parerem, si singulas, uti res postulat, percurrerem: aliquas tamen, easque liberaliores, quàm brevissimè delibabo, & leviter perstringam. *SS. Theologia*, omnium scientiarum Domina & Regina, hujus totius universi originem, unde accepit? Ecclesiæ propagationem unde edidicit? Unde denique humani generis redemptionem, & veneranda illa salutis æternæ mysteria, vires ingenii, limitésque naturæ transcendentia, percalluit? nisi ab Historicis; θεοπνεύστοις quidem, quibus imprimis debere fatetur. Sed &, profana gentium Historia, quot nobis omnipotentiæ divinæ effecta narrat stupenda? quot justitiæ exempla memorat formidanda? providentiæ infinitæ quot specimina nobis suspicienda, & contemplanda proponit, in admirabili illa rerum in mundo gestarum ἀναχυκλώσει? Scire enim licet, * *rebus cunctis inesse quendam velut orbem, & quemadmodum temporum vices*, (supremo sic dirigente numine) *ita morum quoque verti*, testantur Historiæ.

Quid

Goiard. Artus Hist. Indorien. c 25. Rer. Jesorat. 10.

* Κύκλος τις ἐστὶ πᾶσι ἀνθρώποις ἐγγενὴς, καθάπερ ἐνιαυτῶν μεταβολαὶ, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ἤθεσι τὸ αὐτὸ συμβαίνει. *Herod. in Clio Tac. Annal. 3 c. 55.*

Quid quòd, ſacræ illius paginæ loca nonnulla, immò non pauca, velo quodam obnubilantur, nobiſque haud planè, aut plenè intelligenda, abſque Hiſtoriâ profanâ: vel unicam *Danielis* Prophetiam, ecquis homo, gentium in Hiſtoriis peregrinus, penitùs intelligere, aut dextrè interpretari queat? Tranſeamus ad ſcientiam *Phyſicam*: unde hæc rerum naturalium ſpecies innumeras, cauſas latentes, occultas proprietates, operationes mirabiles, niſi ab Hiſtoria novit? Ideóque *Plinius*, Naturæ magnus ille Myſtes, immenſo volumini ſuo, *Naturalis Hiſtoriæ* titulum indidit: atque *Ariſtoteles* ipſe, Peripateticorum porticus, decem pulcherrimos libros, de *Animalium Hiſtoriâ* inſcripſit. Jam verò *Geographia*, Regionum deſcriptiones, *Chronologia*, diſtinctas ætatum periodos, *Rhetorica*, orationum lumina, *Dialectica*, argumentorum pondera, ab Hiſtoriâ inprimis, & præcipuè mutuantur. *Juriſperitos* autem quod attinet; Hi omnes leges, omnia plebiſcita, Senatus-conſulta, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum, & quæcunque ad vitam rectè gubernandam, tam publicè quàm privatim pertinent, ex hoc fœcundiſſimo Hiſtoriarum fonte hauſerunt. Ultimò *medendi facultati*, quantam conferat varia Hiſtoriarum lectio, & diligens exemplorum obſervatio, nemo medicorum non agnoſcit, nemo non quotidiè experitur. Quid quòd etiam, Hiſtoria medelas aliquando, & curas valdè miras, præſtitit ipſa. Teſtes *Alphonſus*, & *Ferdinandus*, *Hiſpaniæ*, & *Siciliæ* reges, qui valetudinem amiſſam, quam à medicis non poterant, alter à *Tito Livio*, alter à *Q. Curtio* recuperâſſe perhibentur. *Job Badinus.* *Camerar. oper. ſub med. Hi. t. 3. c. 57*

Verùm diutiùs fortaſſis quàm par erat, in hiſce commorati ſumus: deſcendamus tandem in campum, quo ſeſe exercere amat Hiſtoria; Civilem puto doctrinam, & diſciplinam morum; his enim *fundamenta ponit, & faſtigium, ſupremámque manum* *Iſaac. Caſaub. præf. ad Polyb.*

prope sola imponit. Otiosa planè contemplatio, philosophia morum, absque Historiâ; inanis & jejuna de virtutibus officiisque disceptatio, sine exemplis; quibus tot & tantis vitam nostram instruit Historia, ut quid fugiendum homini sit, quid expetendum,

Horat. Senec. Ep. 6.

——*Melius Chrysippo & Crantore dicat.*

Plato & *Aristoteles*, & omnis in diversum itura sapientum turba, plus ex moribus *Socratis*, quàm ex verbis traxit: plus ex vitæ ratione, quàm ex doctrinâ, atque oratione indepta est. Experimenta enim præceptis ad probandum efficaciora, & exempla legibus ad movendum aptiora tantò sunt, quantò sensus ipse rationem, oculari superat certitudine. Antiquissimi Romanorum, uti memorat *Val. Maximus*, in conviviis ad tibias egregia superiorum opera, carmine comprehensa, pangebant; eo fine, ut juvenum virtutem, ad ea imitanda, alacriorem redderent: & quas Athenas, (exclamat Author) quàm Scholam, quæ alienigena studia, huic domesticæ disciplinæ prætulerim?

V. Max. l. 2. c. 1.

Claudia.

——*His mens generosa moveri,*
Accendique solet, similem ad virtutis amorem.

Reverà, hic legendi fructus est, audiendique; ea æmulari, quæ in aliis probamus, & quodcunque alibi miramur, aut horremus, domi imitari, vel fugere. Studio verò politico si quis animum appulerit, & reip. administrandæ artem desideraverit; huic imprimis Historia

Horat. de Art. Poet.

Nocturnâ versanda manu, versanda diurnâ est:

quippe quæ sola homines rerum ignaros, & planè rudes, honoribus capessendis, rebúsque vel togâ vel sago

ſago gerendis, aptos & idoneos præſtare valet. Hæc ſuppeditat exemplorum documenta, quæ vir politicus imitetur; conſiliorum adminicula, quibus dirigatur; eventuum experimenta, quibus prudens & cautus reddatur: quæcunque tandem vel in pace conſultatio, vel in armis molitio, vel in utriſque reſolutio, nullibi pleniùs, nullibi faciliùs, quàm in Annalium monumentis invenitur. *Zeno* ille *Cittiæus*, diſciplinæ Stoicæ inventor & princeps, oraculum conſuluiſſe fertur, quâ ratione vitam ſuam, dum inter mortales ageret, optimè inſtitueret. Reſpondit *Apollo*, εἰ συνχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς; *ſi mortuis & defunctis concolor fieret*: quod ubi ille intellexiſſet, τὰ τῶν ἀρχαίων ἀναγινώσκειν, ad veterum monumenta diligenter evolvenda, ſeſe contuliſſe dicitur. Nec de Philoſophorum ſcriptis tantùm, cenſemus oraculum intelligendum; ſed de Hiſtoricorum etiam aliquantò magis. Eam ſanè liquet fuiſſe mentem *Theodoſii* cognomento *Magni*; cum hoc idem Apollinis conſilium filio, Imperii mox hæredi futuro, immò jam participi, inculcavit; utì verſibus elegantiſſimis à *Claudiano* Poetâ perquam eleganti, expreſſum habemus. *Diog. Laert. l. 7.* *Claudia. pane. de 4 con. Hon. v. 396, &c.*

Interea Muſis animus dum mollior, inſta,
Et, quæ mox imitère, legas: nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve duces, aſſueſce futuræ
Militiæ. Latium retrò te confer in ævum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metî ſatiabere pœnis.
Triſte, rigor nimius? Torquati deſue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes.

Et quæ ſequuntur apud Poetam. Rectiſſimè & ſapienter Divus Imperator; utpote qui noverat id, quod eximius ille Arragonum Rex *Alphonſus* poſtea dicere ſolebat, mortuos conſiliarios optimos eſſe,

eſſe

esse fidelissimos, nihil palpare, blandiri nihil, sed omnibus salutari monitorum face, sine spe, sine metu prælucere; tam imperantes, quàm parentes, pace bellóque optimè formare: optimè denique adolescentes, imò viros, in negotiis publicis instruere, & patriæ præparare suæ;

Laudat. Histor. 2. à jucunditate & voluptate

Dicere uti possint rectè res, & gerere amplæ.

* Poly. 12 ὅτι τὰ μὲν ἐν τῇ βιβλιοκλισίᾳ πολυωφελημονέστερα χωρὶς κινδύνου καὶ κακοπαθείας. Et Cic. ad Luccei. ep. 12. l. 5 *Nihil est aptius ad delectationem lectoris, quàm tempor. varietates, fortunæque vicissitudines, quæ nisi nobis optabiles in experiendo non fuerant, in legendo tamen erunt jucundæ.*

Hujusdem consilii gnarus *Alexander Magnus*, *Homerum* Trojani belli scriptorem, per orbem terrarum in sinu circumgestabat, nec eum abs se segregabat unquam: quin & de nocte, *Homerum*, & pugionem pulvinari suo supponere solebat; nempe gladium corporis, *Homerum* animi præsidium autumans; nec tutam sine gladio, nec honestam sine *Homero* quietem futuram arbitrabatur. Quid *L. Lucullum*, *L. Syllam*, *Scipionem Africanum*, *Alexandrum Severum*, aliósque innumeros Romanorum duces, atque Imperatores, repetam? Quibus omnibus, Historiæ, & Historiarum Scriptores, in deliciis, in æstimio, in honore erant maximo. Quare, ex suprà dictis, liquere satis supérque videtur, (Aud.) quam sit utilis Historia: jam, ut vobis demonstrem, quàm sit legentibus jucunda, quàm delectabilis, plurimis uti aut verbis, aut argumentis, supervacanei foret laboris. Rem igitur oppidò in compendium conferam. Ita à naturâ comparati sumus omnes, ut nihil quicquam suavius, jucundius nihil putemus, quàm discere: & tantò quidque jucundius, quantò & laboris, & molestiæ, & periculi, facessit minus. * Verùm unde nobis discere concessum est, unde sapere, vel plura, vel citiùs, vel etiam tutiùs, quàm ab Historiâ? Quod disciplinæ, quod scripti genus, adeò puram, adeò nullius amaritudinis adspersione temeratam oblectationem, exhibere potest? Artium præcepta, dum traduntur, molesta sunt; Mathematicæ non plus

pulchri-

pulchritudine invitant, quàm difficultate deterrent; ipſa Philoſophia, ut ſui habeat ſtudioſos quamplurimos, habet & obtrectatores ſanè non paucos: una Hiſtoria eſt, quæ omnium ſtudia facilitate alliciat, aures dulcedine teneat, animos ſuavitate mulceat; ut, eum pænè dixerim hominem exuiſſe, ſi quis ab Hiſtoriâ ſeſe abhorrere dixerit. Breve ut faciam; vel una hæc delectatio, quanta eſt? unius libelli beneficio, omnes quotquot ante nos fuerunt homines, cujuſcunque gentis, ætatis, ordinis, ad nos accerſere, cum illis colloqui, rerum geſtarum rationem audire, experientias eorum noſtras facere, erroribus eorum dirigi, periculis ſapere, caſibus erigi, laboribus exerceri. Talibus Hiſtoria abundè referta eſt, & menti noſtræ, novitatis cupidiſſimæ, recentem ſubinde delectationis materiem præbet. Quapropter (Generoſiſſimi Adoleſcentes, vos enim alloqui jam lubet, tanquam proprios & mihi deſtinatos auditores) hûc vos ſuadeo, immò obteſtor, hûc concedite; in hæc ſtudia voſmet immergite; affatim invenietis, quod vos dirigat in viâ virtutis ad honorem, uberrimè quod vos inſtruat, largiter & copioſè quod vos ornet. Hanc *Magiſtram vitæ* conſulite, non tantùm ut linguæ formentur, ſed ut mores etiam reformentur; non ad augendam ſolùm ſcientiam, ſed ad confirmandam bonam mentem; non ad voluptatem & delectationem modò conciliandam, ſed etiam vel maximè, ad ſapientiam & prudentiam vobis comparandam. At quam tandem, & quarum gentium Hiſtoriam vobis commendare cupiam, fortaſſe requiritis? Romanam, Romanam (inquam) imprimis, & Romanorum; idque non ex meâ tantùm mente aut arbitratu; ſed conſilio, hortatu, auctoritate nixus munificentiſſimi hujus Spartæ meæ Conditoris, viri harum literarum peritiſſimi. Neque temerè id voluit; quippe (ut cum *Floro* meo loquar) *qui res eorum legunt, non unius populi, ſed generis humani*

Hiſtoria Romana aliis præferitur.

L. Flo. l. 1 in prologo.

Athenæ. Deip. l. 2

mani facta discant. Unde Urbs illa, *Compendium orbis, Orbis miraculum,* apud antiquos audiebat: & ut armorum gloria, imperiique magnitudine, aliis gentibus quas devicit antecelluit, ita exemplorum omnis generis claritudine; quæ quisque secutus, egregiè cùm sibi, tum reip. consulere possit, reliquum totum orbem multis parasangis antevertit. Spectemus (si placet) vel prima istius reip. tempora; non ab hominibus, sed ab Heroïbus quibusdam eam administratam putabimus. Deus bone! quantus justitiæ, & moderationis amor? Qualis parsimoniæ, & paupertatis cultus? quàm pertinax luxuriæ, atque avaritiæ odium? Quàm fortis divitiarum, atque opulentiæ contemptus? Adeò ut, si exempla virtutis quæramus, uberiora nusquam apparent; aut fortitudinis, ad mortem pro repub. oppetendam; aut prudentiæ, ad perniciem præcavendam; aut industriæ, ad propulsandam. Denique si lectionis dignitatem respiciamus, haud aliud imperium, aut resp. aut populus, cum *populo Romano,* Imperio, libertate, majestate, conferendus. Quæ omnia *Florus* hic noster, (leporis & ingenii flos merus) tam doctâ, tam concinnâ brevitate, tanto verborum acumine, & elegantiâ sermonis exequitur; ut totum illud nectar suavissimum, quod uberiori copiâ, & largo flumine *T. Livius, Cris. Sallustius, Cæsar,* alii legentibus effundunt, Hic in compendium redigit, & levi quasi haustu ebibendum propinat. Hunc igitur vobis commendo imprimis: in hujus lectione (divino adstipulante favore) spero me lucem nonnullam allaturum; conabor quidem certè, quantum in me erit, ut operta aperiantur, involuta evolvantur, perplexa, si quæ fuerint, discernantur. Quæ strictim & laconicè ipse tantùm delibavit, ego ab aliis fusiùs, & copiosiùs explicata commonstrabo. Aliarum etiam gentium res gestas, ut & Ecclesiæ conditionem, pro temporum ratione, & Synchronismi loco intertexam:

xam: quæ ad antiquos veterum mores, ritúsque illuſtrandos facient, diligentèr indagabo: leges, conſuetudines, ceremonias, quatenùs expedierit, & pro meo modulo, explanare ſatagam: verborum elegantias, & orationis ſtructuram, nec ſupinè prætermittam, neque curiosè aut ſollicitè nimis perquiram: ſed præcipuè, ad veros Hiſtoriæ fructus, ad præcepta ſcilicet Prudentiæ, ut diſcatis, & obſervetis; ad vitia, ut fugiatis, & ejuretis; ad virtutes, ut eis adhæreſcatis, & perpetuò auſcultetis, digitum intendam. Hiſce meis laboribus ſi vobis aliqualiter profuero, erit pariter mihi, vobiſque, cur impenſiùs Deo primùm gratias agamus; dein eis, per quos

——*Deus nobis hæc otia fecit.*

Otia ſanè tantò magis invidenda, quantò minùs olim ſperanda: quæ dum attentiùs mecum recolo, (florentiſſimi Academ.) iterùm, iterúmque gratulandum à nobis videtur almæ matri Academiæ, adeóque ipſi reipub. literariæ; quòd poſt tot præclara Benefactorum Nomina, *Danverſium*, *Bodlëium*, *Savilium*, *Sydlenum*, *Whitum*, qui munificentiſſimis ſuis largitionibus, & liberalitate planè Heroicâ, in tantum bonarum artium candidatis & ſtudioſis, adminiculari dignati fuerant, ut nihil ſuprà adjici poſſe videretur; invenit tamen Θαυμάσιον *Camdenus*, quo jam perfectis cumulum adderet, & fœlicitatis noſtræ ſublimitatem, adhuc in faſtigium tolleret. O fœlicis ingenii benignitatem! O virum, ad æternum melioris literaturæ bonum, natum! Habitari ab juſtis viris terras in Oceano ferunt, quas *fortunatorum inſulas* vocant, quòd per eas non arato ſolo frumenta naſcantur, fortuitis vicibus juga collium veſtiuntur, ſponte pomis arbor gravatur, ad herbarum vicem olus vulgò eſt. Quantula ſunt iſthæc præ iis, quibus nos uſque ad invidiam fruimur?

Oxonien. Academiæ fœlicitas prædicatur.

Maer. pan. 11. Cic de fin. l. 5.

Urbs,

Urbs, ecce! egregia & nitida; ædificia publica, magnifico apparatu fulgentia; privata, eleganti ornatu ſplendida; obſoleta, redivivo cultu inſignita; denique cœlum nullibi ſalubrius; ſolum vix uſpiam uberius; dites pro terrarum ingeniis meſſibus ſegetes: his omnibus nos fruimur gratis, atque ultra hæc, opes & divitiæ, nihil laborantibus, Benefactorum noſtrorum liberalitate quotidiè ingeruntur. Cedat nunc ſui oſtentatrix vetuſtas, & ceſſet atavos crepare noſtros; habemus & nos, quæ jactare fas eſt, hujus ultimæ ætatis luculentiſſima magnificentiæ monumenta: faceſſat invidioſa Sycophantarum natio, quæ

—benefacta malignè
Detrectare ſolet,—

ab infimo hoc ſeculo. Vel inclytum *Camdenum* reſpiciat, & ejus benefactum penſiculatiùs mecum ponderet; faxo, annuat ab eo uno factum, quod tantis infrà, ſupráque temporibus, vix invenerit æmulum, aut par habuerit exemplum. Cujus viri cæteras laudes dudùm ultra maria longè publicatas, & edecumatorum quorundam ingeniorum monumentis celebratas, nolite (Academici) in tantùm deæſtimare, ut putetis poſſe, vel ad oris, vel ad ingenii mei anguſtias revocari. Quicquid dixero, quicquid cogitavero, infrà erit. Expectatis tamen; quid expectatis, prædicem? bonitatem? non poteſt humana ſimplicitas ultrà intelligi bona. Animi candorem? vel unius horulæ ſpatio cum eo verſemini, jurabitis nivem ipſam, eo pectore non eſſe candidiorem? Quid? eruditionem? eam ad miraculum eſſe magnam, nemo veſtrûm neſcit: aut ſi quis neſciat, nolito mihi credere, opera ejus conſulito; quicquid in Poëtis lepidum aut acutum, apud oratores elegans aut defæcatum, in annalibus fidele & antiquum, inter Grammaticos ſubtile aut eruditum; ipſe omnia ferè ſolus hauſit, quaſi juſtus hæres veterum literarum.

G. Camdeni Encomium.

Sed

Sed laudes mitto, ne mei ſermonis mediocritas eas devenuſtare videatur. Supereſt adhuc una, ſed haud minima difficultas; videlicet, quibus tandem verbis huic tali, huic tanto, tantúmque de nobis benemerito, gratias agamus condignas. Nam beneficii ſolutionem, neque noſtri eſt ſperare, neque ejus expectare: illa potius gaudia munerentur eum, quæ meritorum ſecuritas parit; nimirum, *bonæ conſcientiæ præmium*, tam *magna præſtantibus, ſola ſatisfactio eſt.* Et tamen pro meâ parte reperi, (Clariſſime *Clarenti!*) reperi aliud præmium, licèt fortè parum te dignum, ſpero tibi haud parum placiturum: meipſum tibi donabo, ut olim *Socrati*, ſuus *Æſchines*: eam quoque mercedem, quam *Thales Mileſius* à *Mandraiito Priennenſi* ſibi optavit rependi, ego tibi rependam. Te meum Benefactorem munificentiſſimum, me tuum beneficiarium devinctiſſimum, lubens, indeſinenter, uſque prædicabo: prædicabunt & omnes, quotquot me audiverint, & longâ ſerie deincipes ætates juxtà prædicabunt: ita amplior adhuc tui fama, omnes eat per provincias, totóque abhinc orbe, totóque abhinc tempore, benefacti tui laudes, ubique gentium, ſemper annorum repræſentet. *Symmachus.*

Famque tuas precibus Jehova laceſſimus aures,
Ut quæ dona tuis hodiè largitus, & olim es,
Propria ſint nobis: ſeræque propaginis hæres
Intemerata ſuis eadem tranſcribat alumnis!
Interea Ipſe facem noſtris præferto tenebris:
Qui poliunt linguas, & qui poliuntur in iſtis,
Quique docent artes, quique haſce docentur, ut uſum
Hi capiant, illi, præter ſtipendia, laudem.

Concluſio votiva ex Fr. Taub.

DIXI.

GABRI-

GABRIELIS NAUDÆI PARISINI BIBLIOGRAPHIA POLITICA.

AD

Nobiliſſ. & Eruditiſſ. Virum

JACOBUM GAFFARELLUM,

D. Ægidii Priorem, & Protonotarium Apoſtolicum.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officinâ *Joan. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. M. DC. LXXXIV.
Impenſis *H. Dickinſon*, & *R. Green*, Bibliopol. *Cantab.*

AUCTORI,

JOAN. ARGOLUS

ANDR. FIL.

SI, NAUDÆE, iterùm Jovis rediret
Proles, prodigium, ſtupórque Pellæ,
Qui perjuria Perſici furoris
Armis frangeret, & potitus aulâ,
Capti ſcrinia ſolveret tyranni;
Illic Meonii *libros* Poetæ
Nunc non poneret, Ilion peruſtum,
Nec tardùm dubiis viis Ulyſſem.
Iſtos ſed celebres tuos libellos
Servandos nitidâ locaret arcâ.
Et ſi fortè iterùm rediret ætas
Tarquinî, & vetulæ manus Sibyllæ
Hos ferret prætio libros Superbo
Vendendos; licèt antè Rex avarus
Ingens pendere noluiſſet aurum;
Pro tantis, puto, prodigus papyris

Theſauros minuens, vel obſeratam
Laxaret Capitolii crumenam ;
Triſtes nec ſineret vorare flammas
Servandi Imperii eruditiones.
Non eſt fulgor enim micantis auri ;
Non gemmæ & lapidis nitor, mariſque
Non eſt purpurei ſub amne concha,
Non Hermus, Tagus, Indus, *aut* Iberus,
Qui vel lineolam tui libelli,
NAUDÆE, aut emere, aut valere poſſit.

GABRIE-

GABRIELIS NAUDÆI PARISINI Bibliographia Politica,

AD

Eruditiſſimum Virum

JACOBUM GAFFARELLUM,

Priorem D. Ægidii, in S.T. & Jure Canonico Doctorem, & Protonotarium Apoſtolicum.

QUÆRIS à me, mi *Gaffarelle* eruditiſſ. atque etiam frequentibus literis vehementiùs urges, ut pro eâ, quam in me non ſemel deprehendiſti diverſorum librorum, ac Scriptorum cognitione, eorum nomenclaturam, aut potiùs œconomiam ad te tranſmittam, quos, inſtituendis tractandiſque cum rectâ ratione, & methodo, *Politicæ* ſtudiis, non inutiles fore cenſeo. Quandoquidem ipſa tibi in præſentiarum maximoperè eſſe neceſſaria, vel te ipſo tacente, cæteri omnes facilè intelligunt, quos minimè fugit, te unum præ multis, non ut liberalibus modò diſciplinis excultum, imbutumque ſanctioris linguæ facultate

præclarissimâ, sed tanquam ad reliquas omnes disciplinas factum à naturâ, & diligenti arti expolitum, ab Illustrissimo, Sapientissimóque viro Domino *Thuillerio*, Christianissimi Nostri Regis ad Serenissimam Remp. *Venetam* Oratore Excellentissimo, selectum fuisse; quo cum de rebus gravissimis communicare, & subsecivis horis sermones literarios miscere posset. Ego vero, qui me talem non agnosco, qualem me nuper esse voluisti, desiderióne dicam istius, quod impensè postulas consequendi, an mutuâ, quæ semper inter nos extitit, conjunctione ductus, pendeo animi, quò me vertam dubius, reipsa tenuis, ac pauper, sed promptus obsequio. Etenim ut verum esset, quòd ex flagrantissimo librorum amore, qui me vel à teneris annis exercitum detinuit, eorúmque investigationi valdè propensum, atque etiam ex Bibliothecarii munere, quod mihi quidem olim ab æquissimo, doctissimóque Præside *Henrico Memmio*, ac postea demùm ab Eminentissimo Cardinale, eodémque Mæcenate meo munificentissimo *Johanne Francisco*, ex Comitibus Guidiis à Balneo, delatum fuit, levem quandam variorum Auctorum cognitionem contraxerim; quî fieri tamen potest, ut biennium jam à musæo meo Parisiensi, & instructissimis clarissimorum *Putæanorum*, *Morei*, *Cordei*, aliorúmque amicorum meorum bibliothecis sejunctus; & ab illis etiam separatus, quæ *Romæ* frequentes visuntur, & copiosæ; tot diserepantium nominum, & titulorum recordari possem, quibus memoriâ complectendis, etiamsi quotidie manibus tractarentur, vix quispiam posset, quantumlibet artificialis subsidio munitus, æqualis inveniri. Maximè cùm in hâc Civitate *Cerviæ*, quæ & *Cerevia* & *Phycocle* antiquitùs dicta est, atque istic locorum vivamus, ubi magna est non modò librorum, & hominum eruditiorum, quibus aliquâ saltem ex parte sublevari possim in hoc meo conatu, sed rerum omnium,

um, præterquam ſalis, inopia. Quod ex aquâ per certos Canales ex vicino mari in quadratos alveolos ingeniosè deductâ, & in ipſis per intenſiſſimos Soliſ fervores ſtagnante, accedente poſteà modico flatu, uberrimâ quantitate efficitur; illicitque ſuâ per Statum Eccleſiaſticum diſtractione incolas, ut huic uni tantùm opificio ſe dedant, poſthabitâ cæterarum artium, & diſciplinarum, reliquis vitæ uſibus ſummoperè conducentium, curâ. Verùm enim verò, licèt anguſtiis ejuſmodi interclusus, non poſſum tamen, quoties mihi jucundiſſimæ tuæ conſuetudinis in mentem venit, non me ipſis exolvere, ne te, cui omnia mea libenter conferrem, vanis promiſſis lactâſſe videar, aut expectatione votorum diutiùs macerâſſe. Quare veteres Romanos imitatus, qui Urbem ſuam lateritiam ædificarunt, cùm lapideam non poſſent, & Paſtores illos, qui Mercurium ex Marmore Luco conſecrantes, tabellam juxtà cum hâc epigraphe ſuſpenderunt:

Si fatura gregem ſupplèverit, aureus eſto.

Eligam citiùs videri parùm gnarus apud alios, quàm apud te parùm gratus; exhauriámque Theſauros divæ *Mnemoſynes*, non equidem quo te vel agris, vel *poſitis in fœnore nummis*, ditiorem efficiam, ſed optimis politicorum ſcriptorum codicibus, qui tibi, quam voveo, conſultiſſimi, ſapientiſſimíque hominis famam aſſerere poſſint, & honores unà, qui ipſam ſolent comitari.

Quandoquidem, igitur præcepta Civilis vitæ, quam politicam *Græci* vocant, eas philoſophiæ Moralis partes ex rectâ ſcientiarum diviſione ſubſequuntur, quæ paſſim in ſcholis, & libris philoſophorum, vulgatis Ethicæ ac Oeconomicæ nominibus edoceri ſolent; nec ullum unquam fœlicibus auſpiciis, ad publicas res gubernandas, acceſſiſſe, hiſtoriarum monumentis proditum ſit, qui ſuas an-

teà quidem apud ſe, & familiam ſuam, non benè compoſitas, exploratáſque habuerit: Inde eſt profectò, quòd, ne cruda adhuc ſtudia in Principum aulas propellantur, & politica diſciplina, quâ nihil ſublimius eſt, aut magis difficile, hominibus ſui impotentibus ac ignaris induatur, rationi valde conſentaneum eſſe exiſtimem, politicas inſtitutiones exordiri ab illa primâ philoſophiæ moralis parte, quæ velut unica vitæ hominum rectrix ac magiſtra, ſingulos ſui muneris ac officii admonet, voluntatem iracundiæ fluctibus agitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantémque paſſionum motibus confirmat; quid inter Patrem & Liberos, quid inter Virum & Uxorem, quid inter Fratres, Cognatos, Amicos, Cives, ac inter omnes homines obſervari par ſit, explicat; Fortitudinis denique, Temperantiæ, Liberalitatis, Juſtitiæ, cæterarúmque virtutum naturam, diſputationibus ſuis patefacit, & illuſtrat; ut accedente demùm pleniſſimâ rerum, quæ ad politicam ſpectant, inſtructione, nihil amplius humanæ perfectioni deſit; voluntate ſic ad boni vel mali dignotionem talibus præceptis confirmatâ, & intellectu (quod hîc nobis omninò præſupponendum fuit) ad veri vel falſi diſquiſitionem, per dialectices præcepta, plenè ac ſufficienter informato. Hâc verò morum regulâ, & præſtantioris animæ medicinâ, licèt multi ex antiquioribus philoſophis æternùm inclaruerint, ut *Socrates* ille, qui ſe primus fœliciſſimo conatu ex naturæ obſcuritate ad morum contemplationem tranſtulit; &, qui ex ejus Scholâ prodiêre, *Xenophon* & *Plato*, non magis eloquentiæ laude, quàm pari morum gravitate commendati; *Xenocrates* etiam, de cujus continentiâ dixit *Phryne*; de frugalitate, & contemptione pecuniæ, *Alexander*; de fide, & juſtitiâ, univerſus populus *Athenienſis*; & *Calliſthenes* denique, *Epictetus*, *Muſonius*, *Plutarchus*, alii: Neſcio tamen quo caſu factum dixerim, ut ipſorum de hâc re

Ethica.

Quinam de Ethicâ ſcripſerunt.

re præceptiones nobis injuriâ temporum fermè omnes ereptæ fuerint; ita ut, ſi unum *Ariſtotelem* excipias, nullus antiquorum ſuperſit, à quo, vel ipſius diſciplinæ ſyſtema repetere, vel aliquid ordine atque methodo conſcriptum accipere poſſimus. Neque enim eorum opinioni aſſentior, qui *Platonem* decem illis libris, quos *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Cicero*, *Macrobius*, & cæteri *politicos* vocant, non de Republicâ, ſed de juſtitiâ diſputaſſe contendunt; atque in ipſis, quæ vis ejus, quæque natura ſit, & quomodo ex ejus cultu omnia bona, & privatim & publicè ad homines perveniant: utque mala omnia ab injuſtitiæ fonte defluant, oſtendiſſe: ſed quidquid ille, quod ad mores privatos pertineret, nobis reliquit, id totum complectuntur *Memnon*, *Eutyphro*, *Philebus*, & *Crito*; reliqui ſiquidem ad publicos referuntur, quales ſunt dialogi de legibus, & de Republicâ. *Ariſtoteles* verò illud omne, quod ad iſtius doctrinæ perfectionem ſpectabat, variis operibus complexus eſt. E quibus ad nos tantùm pervenêre *decem libri Ethicorum ad Nicomachum*, *ſeptem ad Eudæmum*, & duo, qui communiter dicuntur ἠθικὰ μεγάλα, hoc eſt, *Moralia Magna*; quibus ſumma quorundam hominum ætatis præteritæ in perquirendis antiquorum operibus diligentia, *librum de virtutibus* ſuccenturiavit, Græcè quidem primo editum, & latinè etiam poſteà, ſed illuſtratum commentariis *Juſti Velſii* hominis eruditiſſimi. Omnes verò illi haud pœnitendâ acceſſione cumulari poſſunt eorum, quæ habent *Theophraſtus*, vitiorum pictor ſimul ac cenſor egregius; *Senecâ*, in omnibus libris commotior; *Plutarchus* in opuſculis ſedatior, & magis compoſitus; *Alexander Aphrodiſeus*, in quæſtionibus ſuis, ut *Ariſtotelis* interpretem decuit, ſingula majori cum ſubtilitate, & argutiâ examinans; ac demùm *Epictetus* in *Enchiridio*, & auctores illi, qui ſub compendio vitæ & mortis, non ita mihi allubente, ſimul editi ſunt,

græco

græco partim, & partim etiam latino contextu. Præter quos, non mediocri etiam adjumento esse possunt quatuor libri, solâ præceptorum, quæ complectuntur, ad mores pertinentium, excellentiâ, inter sacros codices jure meritò relati, *Proverbia* scilicèt *Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Sapientia*, & *Ecclesiasticus*: quorum sic est universalis doctrina, sic apta & castigata methodus, ut, quemadmodum etiam de oratione Dominicâ dicitur, omnium hominum generi utiles esse possint, Christianis, Ethnicis, Philosophis, Religiosis, Piis, Impiis; ac propterea sine flagitio, in hoc censu librorum prætermitti non debent: præcipuè cum magnam vim sententiarum suggerant, quorum usu tempestivo, viri gravissimi plurimum sibi tum dicendo cum scribendo auctoritatis conciliare solent. Ex recentioribus autem licèt infiniti fermè de Morali doctrinâ scripserint, paucos nihilominus hîc esse laudandos existimo. Satis mihi siquidem esse duco, *Hodii* alicujus vel *Hegemonii* instar, digitum ad principales vias intendere; idque etiam tanto confidentius facio, quòd, quicunque erit Antiquorum Auctorum doctrinâ plenè informatus, aliis omnibus, aut carere facili negotio poterit, aut saltem uti absque delectu illo, qui in reliquâ studiorum ratione diligenter solet adhiberi. Optimum tamen erit, melioribus se quamprimùm addicere, ut *Adovardo Gualando*, & *Francisco* atque *Alexandro Piccolomineis*: qui artem integram nobiliori quâdam methodo, & majori vi & copiâ spirituum tradidêre; duo primi latinè quidem, & minùs ut mihi videtur elato dicendi genere; posterior verò vernaculâ linguâ, eleganter suo more, & cum majestate ac imperio. Cui propterea duos nostrates lubens compono, Illustrissimos Antistites *Varium* & *Coëffetæum*. *Michäel de Montaignes*, ut magis abundat copiâ sententiarum in *suis Tentamentis*, & ad modum *Senecæ* crebriùs percutit: sic minùs ordine & nitore prævalet,

valet. *Petrus Charondas* vel hoc ipso *Socrate* ſapientior æſtimandus venit, quòd ſapientiæ ipſius præcepta primus, quòd ſciam, admirabili prorſus methodo, doctrinâ, judicio, in artem reduxerit. Sanè ejus liber, & *Ariſtotelem* nobis exhibet & *Senecam*, & *Plutarchum*, ac divinius etiam aliquid præ ſe fert, quàm Antiquioribus cunctis, & recentioribus fuerit conceſſum. Laudem pariter aliquam meruerunt *Pitardus*, & *Mayandæus*; qui non ſecùs ac præcedentes, linguæ noſtræ divitias ad moralis diſciplinæ tractationem attulêre. Quid autem reliquæ nationes idiomate ſuo præſtiterint, longior eſſem, ſi vellem referre. Illud tantum moneo, *Sebaſtianum Foxium*, *Marſilium*, *Ludovicum Vivem*, *Eraſmum Roterodamum*, & *Favianum Pontanum*, ſedatæ ac compoſitæ mentis homines, multa & præclara de hac facultate dixiſſe, hominúmque generi ſummoperè conducentia. Amicus etiam noſter *Thomas Campanella*, juxta doctrinam ſuarum *Primalitatum*, Ethicam novam compoſuit, quæ ſub epilogiſmi nomine cum philoſophiâ ſuâ naturali & politicâ typis commiſſa fuit à *Tobiâ Adamo*; ſtylo quidem non ita compto delineata, ut Ciceronianis arridere poſſit; ſed ea nobilitate cogitationum, rationúmque ſubtilitate, ut omnibus ſapientiæ myſtis non poſſit eſſe non ſummoperè gratiſſima. Pathologiam præterea animi paſſionum, *Germanus* aliquis non ita pridem edidit; cujus nomen cum ſuo libro *Pariſiis* diſcedens reliqui. Sed eandem materiam priùs abſolverat *Altiſius Luſinus* elegantiſſimo opuſculo de compeſcendis animi perturbationibus; & *Juſtus Lipſius libello de Conſtantiâ*, in quo tanquam in *Darii* Scrinio, res ipſas quas habebat pretioſiſſimas, elegantiam videlicet, & omnes ingenii ſui ac judicii gemmas, artificioſè concluſit. Ante hos omnes, anno videlicet milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, *Vincentius Bellovacenſis Speculum morale* ediderat,

pari

pari equidem verborum copiâ, ſed longè graviori ac ſolidiori eruditione, quàm priùs feciſſet Doctrinale, Hiſtoriale, ac Naturale: unde accedente eâ difficultate, & quaſi indiſſolubili nodo, quòd omnia in tali ſpeculo contenta iiſdem ferè verbis in primâ ſecundæ, & ſecundâ ſecundæ divi *Thomæ* inveniantur: minimè verò conſentaneum ſit arbitrari, doctorem Angelicum ſummæ ſuæ partem ſecundam, eámque nobiliſſimam, ex alio Auctore deprompſiſſe: *Bellarminus* huc ſe tandem convertit, ut exiſtimet ſpeculum illud morale non eſſe *Vincentii Bellovacenſis*, ſed alterius junioris auctoris qui fortaſſis etiam *Vincentius* diceretur, quique ſecundam hanc partem divi *Thomæ* neſcio quâ de causâ immutare, ac è fundo ejus proprio abactam, in proprium transferre voluerit. Atque hi ſunt Auctores quos nunc memini ſuis inventis ac Marte proprio, partem illam philoſophiæ quæ de moribus eſt, non abſque genio & induſtriâ excoluiſſe.

Quinam commentarios in Ethica aliorum ſcripſerunt.

Superſunt alii, qui videlicet propriis viribus diffidentes, aut aliâ ratione permoti, non aliquid ex ſe proferre auſi ſunt, ſed quæ ab Antiquis ſcriptoribus prolata fuerant, excolere duntaxat, atque intellectu faciliora reddere; quales fuêre, quantùm ad præſens attinet inſtitutum, *Simplicius*, & *Arianus*, qui in *Epicteti Enchiridion*; & *Juſtus Velſius*, necnon *Auguſtinus Maſcardus*, qui in tabulam *Cebetis*, hic nuperrimè & linguâ ſuâ Italicâ, ille verò latinâ, doctiſſimè ſimul ac eloquentiſſimè, commentarios ediderunt. Verùm in ejuſcemodi hominum cenſu, illi præcipuè conſiderandi veniunt, qui decem libros Ethicorum *Ariſtotelis* ſuis lucubrationibus illuſtrandos ſuſcepêre, quos inter primus occurrit *Euſtrathius* græcè quidem cum *Aſpaſio* & nonnullis aliis editus, & latinè poſteà à *Bernardo Feliciano* diligenter expreſſus, cui ſe, *Danielis Heinſii* ſummi proculdubiò viri diligentiâ, ſocium non ita pridem adjunxit *Andronicus Rhodius*, aut potiùs

potiùs *Olympiodorus*: talem enim appellationem in posteriori editione consultò sortitus est, cùm in priori ab eodem *Heinsio* factâ *Lugduni Batavorum*, sub anonymi nomine latens, nullâ pastoritiâ fistulâ, nullâque adversâ acclamatione exceptus fuisset, imò verò avidè à cunctis receptus, & probatus. Ab istis duobus Græcis, ad Arabes deveniendum est, & consulendus *Abenroïs*. Ille siquidem præter commentarios in *Aristotelem*, libellum etiam de animæ beatitudine conscripsit, qui ab *Augustino Nipho*, Philosopho *Italorum* omnium longè celeberrimo, haud pœnitendis quæstionibus illustratus, etiamnum hodie præ curiosorum manibus habetur. Eodem verò propemodùm tempore, cùm exorta fuisset Scholastica docendi methodus, multi etiam hoc scribendi genere eosdem Ethicorum libros explicarunt, aut potiùs inquinarunt, ut libenter dicerem, si tres mihi ex ipsorum numero excipere liceat, omni laude ac commendatione majores, nempe *Albertum Magnum*, *Divum Thomam*, & *Ægidium Romanum*, qui minus paulò quàm cæteri inquinatè loquuti sunt, judicio verò, doctrinâ, subtilitate, adeò supra morem & fatum sui seculi excelluerunt, ut, si pauca demas ex *Alberti* libro de historia animalium, nihil unquam eos ineptè, nihil non doctè ac sapienter protulisse, unicuique in eorum lectione versato, manifestum esse possit. Et licèt quidam posteà, ut *Barleus*, *Gerardus*, *Odonus*, *Buridanus*, *Favellus*, & alii, eorum vestigia sequi voluerint; istud nihilominus tam inæquali gradu, tam debili conatu, adeóque infœlici successu præstitêre, ut longè à tergo remanserint; in barbariei luto & fœtore unà cum libris ad *Nicomachum* eò usque sepulti, donec renascentibus tandem melioribus literis, & ab expugnatione *Constantinopolitanâ* velut alteram vitam vivere incipientibus, multi etiam floruerunt, qui hanc reliquarum scientiarum fœlicitatem ad disciplinam morum

rum transtulêre: partim librorum *Aristotelis* novâ interpretatione; ut *Vatablus*, *Lambinus*, *Perionius*; partim & commentatione; ut *Faber Stapulensis*, rudior adhuc & nondum plenè maturus, & *Argyrophilus Byzantinus*, cujus prælectiones *Florentiæ* habitas, non absque manifesto plagii crimine sibi postea vendicavit *Donatus Acciajolus*. Sequuti sunt ipsos *Joachimus Camerarius*, & *Zuingerus*. A quorum lectione nemo unquam nisi doctior recessit. *Simon Simonius* Lucensis benè, & eruditè; sed in primum tantummodò librum laboravit: ac *Petrus* demùm *Victorius*, & *Obertus Giphanius*; qui reliquorum instar jure haberi possent; sed tamen non absque eruditis Scholiis disertissimi Oratoris *Marci Antonii Mureti*.

Oeconomia.

Queis omnibus cùm nullos meliores aut potiores subnectere possim, reliquum est, ut ad illos qui de *Oeconomicâ* scripserunt levi passu me convertam. Totum verò istud negotium longè paucioribus quàm quod de moribus institutum est, mihi absolvendum esse censeo; cùm quia facillimum est ipsi, qui se ad moralis disciplinæ præscripta composuerit, familiæ suæ modum ac regulam ponere; tum etiam, quia res ipsa minùs arte valet vigétque, quàm experientia & usu, ac hominum legibus, moribus, & institutis, circumstantiisque rerum, temporum, & actionum particularibus, quas in artem vel methodum vix possibile sit reducere; maximè, cum viri docti, & librorum scriptioni incumbentes, earum fermè omnium ignari deprehendantur; illi verò, qui frequenti exercitatione secreta Oeconomica penitissimè callent, ut sunt plerunque Patresfamilias, Mercatores, Institores, Avari, Senes, ac uno verbo homines lucro potiùs, quàm studiis dediti, minimè omnium apti sint quidquam de illis scripto committere; ut proinde mirum non sit, quod præter *Oeconomicum Xenophontis*, & *duos Aristotelis libros de domesticâ doctrinâ*,

Quinam Oeconomiam scripserunt.

nâ, quibus fimbrias quaſdam attexuit *Leonardus Aretinus*, vix alius ex antiquis quidquam memoriâ dignum literis conſignarit; niſi forſan ad *Geoponicos* Auctores provocare velimus, *Catonem*, *Varronem*, *Palladium*, *Columellam*, *Conſtantinum*, & alios. Sed ipſi partem tantùm attigêre, non totum; nec ipſam quidem adhuc integrè aut abſolutè. Nam licèt *Cato*, verbi gratiâ, præceperit optimum Patrem-familias vendacem eſſe debere, haud emacem; non tamen admonuit quid, & quantum, ac quo tempore vendere oporteat; quod erat tamen maximoperè ſcitu neceſſarium. Unus autem noſtro tempore *Ludovicus Septalius* Medicus Mediolanenſis, gloriam omnem retulit, quæ ex ejuſmodi tractatione ſperari poterat, edito pereleganti libro *de re familiari*; in quo ita minutè ac diligenter cuncta proſequitur, ut telum fermè ſemper ad intima penetret: quemadmodum etiam feciſſe videmus *Hieronymum Cardanum* Medicum item ac Patricium Mediolanenſem, *in ſuo Prozenetâ*, & *libris de utilitate capiendâ ex adverſis*. In quibus non modò occultas artes palàm inſinuat, quæ hominibus congerendæ pecuniæ ſtudioſis familiares eſſe ſolent; ſed multa inſuper flagitia detegit ac docet, propter quæ ſatiùs illi fuiſſet huic ſe *Horatii* præcepto obſequentem præbuiſſe,

——Non tamen intùs
Digna geri, promes in ſcenam, multáque tolles
Ex oculis.

Poſtquam igitur Auctorum ejuſmodi frequenti lectione meditationéque continua, imbutus plenè fuerit atque informatus animus moralium & Oeconomicarum virtutum documentis, gradum ſibi tutò, viámque aperire poterit auſpicatiſſimam, ad Politicas diſſertationes eorundem, quos jam ſuprà laudavi, *Platonis* & *Ariſtotelis*: cùm nullos habeamus *Politid.*

mus

mus vetuſtiores, excepto legiſlatore Sanctiſſimo *Moſe*, aut qui copioſiùs & majori arte ac doctrinâ gubernandæ adminiſtrandæque Reipublicæ formam nobis reliquerit librorum monumentis confignatam. Quare ab uno *Platone* ſtatim incipiendum eſt, qui *Dialogis ſuis de legibus*, & *de Republicâ*, præclarè omninò regnum, & Rempublicam inſtituit, adeóque moribus, & inſtitutis Chriſtianæ fidei convenienter, ut Divus *Thomas* in opuſculo *de regimine Principum*, *Platoniſmum* in Republicâ deſideret. Ab illo verò licèt omnia fermè mutuatus fuerit *Ariſtoteles*; neſcio tamen quomodo, ſic iſta ſibi propria fecit, Magiſtri ſui rationes præcipuas aut clariùs ac faciliùs proponendo, aut ſubtiliter & acutè refellendo: ut non minus in iſtis, quàm in cæteris operibus ſuis, manifeſtum feciſſe cenſeatur, quantus ipſe philoſophus fuerit, quàm elegans ſcriptor, quàm acutus, quàm aptus ad docendum, quàm copioſus, quàm rerum omnium cognitione refertus. Et verò licèt communi graviſſimorum virorum ſententiâ, multa ſcripſiſſe dicatur, partim difficilia atque obſcura, partim etiam à noſtris temporibus, & moribus aliena; nulla tamen mihi videtur eſſe in eo difficultas, aut obſcuritas, quæ non improbo labore, & acri ſtudio, ac crebrâ lectione pervincatur. Siqua autem à noſtrâ conſuetudine in his libris videntur abhorrere, pauca certè ea ſunt, & quæ ingenioſus & prudens lector ad hæc tempora, atque ad uſum noſtræ Reipublicæ facili negotio accommodare poſſit, modò tamen apud ſe reputet, non hunc ſolis modò prudentibus, quemadmodum *Platonem*; ſed catis etiam atque aſtutis viris, quales eſſe debent, qui rerum gubernaculis admoventur, politicam ſuam ſcripſiſſe. Ipſius igitur *octo libri* ſedulò evolvendi ſunt, cum *duobus Cyriaci Strozzæ*, quibus nobilis ille *Florentinus* idem in *politicis Ariſtotelis* conatus eſt, quod *Leonardus Aretinus* in *Oeconomicis* ejuſdem, ac *Maphæus Vegius*

Quinam de Politiâ ſcripſerunt.

gius in *Virgilio*, & *Sulpitius Verulanus* in *Lucano*. Sed quemadmodum nullus pictorum eâ fœlicitate potuit Veneris effigiem absolvere, quæ ab ipso *Apelle* incœpta primùm fuerat, atque delineata; ita profectò immane quantùm ipsi ab istis auctoribus distent, quos sibi ad imitandum proposuêre. Legendi tamen sunt, atque etiam laudandi: quia, quantum in ipsis situm fuit, rerum pretiosissimarum jacturam sarcire conati sunt, & desideriis nostris cumulum imponere. Jam verò primipilos illos & capitales viros plurimi certè ex Antiquis sequuti sunt, sed omnes fermè invidiosâ vetustate, & Barbarorum insidiis illachrymabiles urgentur, ignotique, excepto uno *Cicerone*, cujus librorum sex *de Republicâ*, quos se in *secundo de divinatione* composuisse fatetur, jactura æternùm nobis lugenda est; utpote cùm extincta simul fuerint tot oracula, quæ ab homine eloquentissimo, & sapientissimo, qui tamdiu *Reipublicæ Romanæ* clavum gubernaverat, non nisi verissima, certissimáque poterant expectari. Unde si *Aristoteles* ipsemet in *libris de Cœlo*, ad *Hipparchum* & *Eudoxum* astronomos, libenter provocat; si divus *Augustinus Orosium* laudat in Paganorum historiis; si *Origenes* ad *Huilium Hebræum* recurrit in loci cujusdam *Isaiæ* explicatione; & Summus Pontifex *Hilarius* contentionem de tempore Paschatis celebrandi, uni *Victorio Britannico* terminandam proponit, eâ solùm lege, quòd optimo cuique & in arte suâ versatissimo credendum est; unusquisque jam per se satis existimare potest, quantum ab omnibus uni *Tullio* concedendum fuisset, politicas leges, & axiomata dictanti; cùm non equidem ut *Aristoteles* & *Plato*, ac cæteri, qui de Republicâ dixerunt, id tantùm, quod probabilius esse videtur, & ratione magis consentaneum, sequutus fuerit; sed experientiâ ipsâ edoctus, nobis eleganter præceperit, quid ex doctrinâ vel usu foret in publicâ rerum administratione. Minus certe habet

ipſe *Plutarchus*, quod de temporis edacitate conqueratur: cùm *ejus præcepta politica* ex illo tam inſigni bonorum auctorum naufragio enatarint, valde quidem illa ſedatæ ac compoſitæ doctrinæ, ut genium auctoris graviſſimo judicio, ac moderatione temperatum, præ ſe ferant. Superſunt quoque *Heraclidis fragmenta de politiâ*, & aliorum opuſcula quædam, ſed vix tanti ea ſunt, ut magna ex ipſorum lectione utilitas ſperari debeat. Quare ſi ordinem temporis ſequamur, unus ſe poſteà offert, *Averroes*; cujus liber *de Republicâ* editus eſt, unà cum *Robortelli diſceptatione*, & *Franciſci Philelphi* de eâdem re libris, qui priſcæ gravitatis imaginem redolent, nitore ſtyli, & argumentorum præſtantiâ; quod idem judicium ferendum eſt *de Republicâ* elegantiſſimi juxtà Oratoris ac Poetæ *Hieronymi Vidæ*; niſi quòd tantâ rerum copiâ ac varietate non luxuriat; diffuſus in quærendo, vitâne publica privatâ ſit præſtantior; in cæteris ſiccior, ac jejunus. Eodem fermè tempore *Franciſcus Patricius Senenſis*, Farraginem quandam exemplorum ſub Reipublicæ titulo, puerorum credo uſui, ac *chriarum* in Scholis compoſitioni, evulgavit: tantùm diſſimilis alteri *Franciſco Patricio Romano*, qui non nihil pariter de hâc re inter opuſcula juvenilia protulit; quantùm noctua Aquilæ, aut anſer diſpar eſt Olori. *Fritſius* & *Simancæ* adminiſtrationis Chriſtianæ potiùs, quàm Civilis formam, nobis propoſuerunt. Primus quidem ſermone caſtigato, decenti ordine, nec infimo ſpiritu; quorum omnium, ac judicii præterea, alter fuit pauperrimus. Neque aliter profectò cenſendum eſt de duobus aliis, qui hoc ipſum munus explicandæ politicæ Chriſtianæ, vulgari Gallorum linguâ ſuſcepêre. *Molinerius* ſiquidem presbyter *Tholoſas*, lectorem ſuum catenulis eloquentiæ, vel nolentem etiam, quocunque vult trahit, ac mulcedine quâdam vehementer reficit, atque recreat.

Joannes

Joannes verò *Frater Lavallensis*, licèt mole voluminis grandior, sensûs tamen integritate, ac verborum ornatu destituitur.

Nec est in tanto corpore mica salis.

Memini etiam me aliàs librum quendam evolvisse, *Parisiis* ni fallor editum in chartæ formâ expansâ, & majori; in quo vernaculâ item linguâ politica *Mosis* explicabatur, tantâ profectò exactissimi judicii copiâ, ac sententiarum luce, ut quilibet emunctæ naris politicus nunquam melius temporis rationem, quàm in ipsius diligenti lectione, collocare possit. Quo fit, ut silentio lubens prætermittam librum sub eodem fermè titulo à *Castalione* editum; quoniam ipse inter auctores refertur damnatæ lectionis, &, hoc opus Græco ac Latino sermone in puerorum tantummodò gratiam se composuisse, primo statim in limine testatur: ab istis autem omnibus Syndromis, quasi lampadem per manus accepisset, *Nicolaus Biesius*, Medicus *Lovaniensis*, stadium etiam istud decurrere tentavit; sed non eodem prorsus fato cursum suum absolvit, quo *Antilochus* apud *Homerum*;

——ὃς τοὺς νέους πρὸς πάντας ἐνίκα.

meliúsque sibi consuluisse videri posset, si, quemadmodum fecit alter medicus *Tholosus*, *Augerius Ferrerius*, solâ librorum de Republicâ promissione, non autem editione, politici famam sibi quæsivisset: morosus siquidem est in hoc, non minùs certè, quàm in operibus Medicis; nec præter tædium, quidquam in legentis animo relinquit. Copiosior extitit *Gregorius Tholosanus*, ac magis ex arte scribens, quia jucis peritus; desiderantur tamen in eo modus, quem sibi præscribere non potuit, eruditione vulgari luxurians; & majestas, cui non magis in-

 dulsit,

dulsit, quàm judicio, dum omnia ingerit, & passa digerit : cæterùm valdè utilis est, & diversa in se continet, propter quæ thesauri instar haberi possit, ubi meliorum auctorum gemmas, ac preciosam variæ doctrinæ supellectilem possis invenire. Verùm enimverò, licèt hi omnes superiùs enumerati, multa conati sint ; at *Paulus* etiam *Parita*, flos *Venetæ* nobilitatis, & subactæ decus eruditionis, præclarum linguâ suâ patriâ librum ediderit de vita politicâ, quem in nostratem translatum habemus ; nullus tamen jaculum extra metam expedivit, excepto *Joanne Bodino*, cui uni tantùm cæteri concedunt, quicunque unquam de Republicâ libros edidêre,

Quantum lenta salix pallenti cedit Olivæ.

Nec immeritò sanè ; cùm animum inquietum ac vastissimum, quem acceperat à naturâ, tam pertinaci studio, tam inexhaustâ doctrinâ, tam admirabili judicio excultum, ad rerum omnium comprehensionem attulerit, ut superatis linguarum penè omnium ac scientiarum difficultatibus, non modò naturæ theatrum novis rationibus extruxerit, sed regnorum, quotquot in Mundo constituta fuêre, species, leges, instituta, arcana denique, & virtutes, ac vitia, in ordinem sapientissimè reduxerit, ac velut phœnix unicus sui seculi, se ipsum tandem consumpserit in contemplatione altioris illius sapientiæ, cujus secreta revereri potiùs ac admirari debuisset, quàm ipsa in medium & examen, velut reliqua omnia, vocare. Sanè, quantum ad ejus *Rempublicam* spectat, fatendum est, opus esse elaboratum ingenio, expolitum industriâ, perfectum judicio, & ita numeris omnibus absolutum, ut qui ab ipso discesserit, haud dissimilis videri possit nautis illis antiquioribus, qui neglectâ vel ignoratâ Cynosuræ præstantiâ, navigationis suæ cursum ad a-

vicularum

vicularum quarundam placitum dirigebant, sæpiúsque per cautes & saxa præcipites ferebantur. Scio equidem, *Fabium Albergatum* hominum *Italum*, & *Serrium*, & *Augerium Ferrerium*, *Gallos*, magnis conatibus, & libris ad id consequendum editis, periculum illi ac ruinam intentâsse: sed eventus docuit, eundem fuisse istius pugnæ eventum, quem *Pygmæorum* cum *Hercule*: ut non jam ad miniatas alicujus *Attici* aut *Hyperattici* ceras trepidare debeat, sed ad Ecclesiæ solius judicium; cujus censuris quoniam vehementiùs urgetur, quàm inimicorum argumentis, hinc est, quòd ipsius libri evolvi minimè debeant, nisi obtentâ prius & hunc & quoslibet auctores politicos legendi facultate. Atque hi sunt fermè omnes, quantùm memoriâ recordari possum, ex quorum libris cuncta peti debent, quæ magis præcisè ad Rempublicam spectare videntur. Quidquid enim posteà vel à *Justo Lipsio*, vel à *Timplero*, aut *Keckermanno* superadditum est, styli potiùs, aut facilioris methodi occasione, quàm rerum novitate commendatur. Quamvis hoc unum prætermittere non debeam, εὐφαντασιώτους videlicet quosdam extitisse; qui veræ alicujus ac perfectissimæ Reipublicæ formam, aut potiùs idæam, nobis exprimere voluerunt: ut saltem exemplar aliquod reperiretur ejus, quod in hoc genere optimum est, & ad quod, si res omnes ex æquo & bono procederent, convenientissimum esset publicas regnorum administrationes inter homines componi; eodem sanè voto, quo *Galenus* Sanitatem omnibus numeris absolutam depinxit; *Fernelius* corporis temperiem, æquis ex utrâque parte contrariorum perfectissimè libratam ponderibus: *Xenophon* Principem, *Cicero* Oratorem, & Divus *Paulus* Episcopum; nimirum ut ipsâ verissimâ & primigeniâ recti specie ob oculos continuò positâ existente, quidquid in *Ectypo* vitiosum esset, facilius dignosceretur, emendaretúrve. Primus verò qui

talis imaginariæ Reipublicæ formam ſcriptis conſignârit, fuit doctiſſimus ille, ac omnium calculis Sapientiſſimus habitus *Thomas Morus, Præfectus ſacris ſcriniis*, ſeu *princeps ſcribarum in Angliâ*. Cujus *Utopia* tamdiu vivet, & habebitur in pretio per manus hominum, quamdiu Juſtitia ipſa ac modeſtia & pietas non omnino ex ipſorum animis & affectibus exulabunt. Secundus ab ipſo fuit *Thomas Campanella* audentis penitùs & portentoſi vir ingenii. Qui dum in tenebris & pædore carceris vitam traduceret, *civitatem Solis* delineavit, eâ cogitationum novitate, & ſublimitate ſenſuum, ut præter philoſophicas ſpeculationes, multa etiam contineat, quæ Reipublicæ tutiùs adminiſtrari poſſent, & homines ipſi meliores evadere. Ultimùm verò, *Angli* neſcio cujus *Mundus Alter & Idem*, non ità dudum prodiit; aut veriùs Satyra adversùs depravatos præſentis ſeculi mores: in quo, dum ſingulas ſtationes ſingulis vitiis aſſignat, gentéſque illas incolentes, ac loca ipſa, contortiſtulatis ingeniosè, fictiſque ex cujuſque rei naturâ vocibus appellat; non ineptè meo judicio *Moneropolim* inſtituit, quæ ad hilaritatem non minùs homines excitare, quàm ad virtutem inflammare poſſit.

Quinam commentatos in politicam alierum ſcripſerunt.

Licèt autem de Commentatoribus Politicorum *Ariſtotelis* & *Platonis* nondum quidquam dixerimus; ipſi tamen in eorundem librorum Lectione diligenter evolvendi ſunt, ut ſalebræ, ſi quæ in illis reperiantur, feſtinantibus minùs officiant, omniáque facilius & clariùs perſpiciantur, obſcuritatis depulsâ caligine. Ex antiquis tamen neminem laudare poſſum, qui hoc munere defunctus ſit, cùm, præterquàm unius *Divi Thomæ*, nullius unquam vetuſtioris Libros præ manibus habuerim; ipſe verò, ut in cæteris operibus *Ariſtotelis*, ſic præſertim in iſtis more ſuo fecit; & ex interpretatione neque bonâ neque verâ, bonam tamen

tamen & veram ſententiam elicuit. Succeſſit illi in eodem opere expoliendo *Nicolaus Oreſmus* Archiepiſcopus *Bajocenſis* : qui illud unà cum libris Ethicorum, diſcipuli ſui *Caroli Quinti*, cognomine *Sapientis*, votis obtemperans, in Gallicum ſermonem non modò tranſtulit, ſed brevibus ſcholiis illuſtravit : quæ multa nihilominùs continent, & reconditæ & liberalioris doctrinæ : ambo tamen ipſius libri difficillimi ſunt inventu, ac propterea à curioſis plurimi nunc æſtimantur ; quia ante centum & viginti annos *Pariſiis* editi fuerunt, charactere Longobardico, & rudi prorsùs atque incondito ſermone. Paulò pòſt etiam *Joannes* quidam *Buridanus*, celeberrimi nominis Sophiſta, ſuas in *libros Politicorum* quæſtiones evulgavit ; ſed nugaces ac ineptas, ut ejuſmodi ſcholaſticorum fermè omnia. Vulgavit & *Faber Stapulenſis* commentarium ſimilem omninò huic alteri, quem ipſum in *Libros Ethicorum* compoſuiſſe, ſuprà diximus. Sed vix ac ne vix quidem ipſorum conatibus quidquam promovebatur, niſi ſuppetias *Ariſtoteli* veniſſent celeberrimi interpretes ſuprà jam aſſignati ; & *Geneſius Sepulveda* Hiſpanus ; cujus verſionem atque notas, ut quiſque erit ingenioſior, ita pluris ſemper æſtimabit : necnon etiam Commentatores præcipui *Camerarius* & *Giphanius* ; qui nihil unquam ineptè moliti ſunt ; & à quibus parùm diſcedunt *Antonius Scainus Salodienſis*, & *Tarquinius Gallutius*, Societatis Jeſu presbyter eloquentiſſimus ; qui tam eruditè priores quinque libros politicorum interpretatus eſt, ut polymathiâ cæteros omnes facilè vincat atque exſuperet. Sed qui *Danielis Heinſii* paraphraſin, unà cum editis è regione *Zuingeri* & *Petri Victorii* commentariis, ſibi ad diſcendum & evolvendum proponet, is rectè, meo quidem judicio, & doctrinæ facilitati videbitur, & ſtudiorum prætereà ſuorum utilitati conſuluiſſe. Ad *Platonem* verò quod attinet, tres,

quòd noverim, Commentatores ſolummodò nactus eſt: *Antonium* nempe *Montecatinum*, qui libros de *Republicâ Platonis* & *Ariſtotelis diexodicis* notis, tabulis, diſtinctionibus, explicare conatus, nunquam neque ſibi, neque Lectori ſuo ſatisfecit; & *Sebaſtianum Foxium Morzilium*, qui multa paucis; ac *Pompeium Gariglianum*, qui pauca multis complexi ſunt: utriuſque verò Libros, *Platonis* videlicèt & *Ariſtotelis*, *Ludovicus Regius*, *Henrici Secundi Galliarum Regis* aulicus, Græcè ac Latinè eruditiſſimus, ornatè primùm in linguam noſtram tranſlatos apparere fecit, eoſdémque demùm tantâ doctrinæ copiâ, & exemplorum apparatu nobiliſſimo, illuſtravit, ut licèt gravitate cæteris ſit inferior; varietate tamen atque ubertrimo fructu, qui ex ipſius lectione percipitur, veniat in primis commendandus.

Atque hæc eſt auctorum Palæſtra, hæc Schola, in quâ Tyrocinium ſuum ponere debent, quicunque præſidiis univerſalibus & maximoperè neceſſariis ſuffulti, ad penitioris doctrinæ politicæ intelligentiam pervenire ſtudent. Omnia ſiquidem in illis habentur fusè ac diſtinctè pertractata; de fundamentis ac principiis communibus Societatis humanæ; de Rerum publicarum ſpeciebus legitimis, ac ſingulis ipſarum depravationibus; de Populi, ſeu Democratiæ; Optimatum, ſeu Ariſtocratiæ; unius, ſeu Monarchiæ legibus & inſtitutis; de Imperiorum ortu, incremento, converſione, interitu; de officio Principis & ſubditorum; de Jure Belli ac Pacis; de Magiſtratuum electione; vectigalium impoſitione; & rebus denique cæteris, quarum jugi & continuâ meditatione viam ſibi ad reliquas difficultates munire debent, qui ſeriò deſiderant in publicâ rerum adminiſtratione verſari. Ubi verò iſtis præceptis plenè imbuti atque inſtructi fuérint politicæ doctrinæ ſtudioſi, debent omninò, ſi faciliùs velint reliquas ejus difficultates

cultates emetiri, quædam ſibi velut ſumma rerum capita conſtituere, ad quæ poſteà cætera omnia referre poſſint, quæ in tantâ diverſorum auctorum confuſione, ac incredibili propemodùm quantitate, huc & illuc diſperſa continentur : eo quidem fine, ut cùm iſtorum aliquod magis cognitu neceſſarium ſe offeret, indicem ſimul habeant librorum & auctorum. quos, plenioris doctrinæ ac informationis gratiâ, operæ tunc pretium erit diligenter conſulere. Ejuſmodi autem ſumma capita, vel negotiorum eſſe poſſunt, de quibus in adminiſtratione politicâ ſæpiùs pertractatur; vel perſonarum, quibus illa committuntur; vel tandem auxiliorum, queis ſingula meliùs ac faciliùs perficiuntur. Negotia ipſa, aut ſunt de Reipublicæ adminiſtratione, tam ordinariâ quàm extraordinariâ ; aut de Religione; aut de Confœderationibus, aut de bello & pace ; aut de prærogativis & Ceremoniis Principum inter ſe; aut de Commercio; vectigalium impoſitione; civitatum incrementis; & diſſidiorum, quæ inter nobiles oriuntur, compoſitione. Iſta enim ſunt, quæ potiſſimùm legibus politicis adminiſtrantur : reliqua, vel minùs digna cenſentur conſideratione, vel Juriſprudentibus, aut aliis Magiſtratibus, relinquuntur pertractanda. Perſonæ verò non poſſunt eſſe niſi Principis Conſiliarii, Legati ; aut ejus, qui illis omnibus inſervit ab epiſtolis ſecretioribus, quem propterea Scribæ vel Secretarii nomine vulgò appellant. Auxilia demùm vel unicuique ejuſmodi perſonarum determinatè conveniunt, vel omnibus ſimul poſſunt eſſe utilia.

Omnis igitur Regnorum ac ſtatuum adminiſtratio politica, quam ordinariam meritò dicere poſſumus, quamdiu ipſa vel æquitatem præ ſe fert, vel æquitatis ac Juſtitiæ ſpeciem ſaltem aliquam prætendit, quò faciliùs, *Lavernæ* inſtar *Horatianæ*, noctem peccatis, ac fraudibus nubem objiciat; tria

ſibi

ſibi proponit, ad quæ cætera omnia ejus placita & ſtatuta, tanquam ex deſtinato, collineent: nempe ſtatum naſcentem exorientémque firmare; ſtabilitum conſervare; & labentem ſuſtinere ac reficere. Queis tribus arte ingenióque abſolvendis, varii auctores auxilio eſſe poſſunt. Ac primò quidem & ultimò, duo noſtrates, *Lufingeus* & *Duretus*, qui proprio idiomate multa & egregia dixerunt de ortu Imperiorum, ac eorundem ruinis & interitu; necnon etiam *Ludovicus Regius* in libro ſuo item Gallico; quo rerum omnium viciſſitudines, ac ætatum & regnorum converſiones, jucundiſſimâ exemplorum varietate proſequitur. Superioribus quoque annis prodiit *Venetiis* cujuſdam *Itali* liber, eâdem de re fusè pertractantis: verùm quo Genio, aliorum eſto judicium, quibus ille notior eſt, quàm mihi. Sed neque contemnendi ſunt *Methodius*, qui de ortu & occaſu *Imperii Romani* eleganti Libello ſapienter admodùm diſſeruit; nec etiam *Lazius* ac *Bezius*; quorum hic de ruinis gentium; ille verò, de populorum migrationibus, prolixas commentationes edidêre; ex quibus diverſa ſimul conſtitutionis ac deſtructionis Regnorum exempla haberi poſſunt. Conſervandæ autem, ſeu adminiſtrandæ Reipublicæ præcepta, *Syneſius* quidem in oratione ad *Arcadium* Imperatorem; *Iſocrates* in eâ, quam ſcripſit ad *Nicoclem*; *Agapetus* Diaconus in Libello ad *Juſtinianum*; *Dio Chryſoſtomus*, *Herodes Sophiſta*, *Themiſtius*, *Ariſtides Rhetor*, & *Maximus Tyrius*, paſſim in ſuis Orationibus complexi ſunt; ſed omnes tantâ fide atque integritate iſtud præſtiterunt, ut eorum monita Legibus *Platonis* citiùs, quàm ſæculi noſtri moribus conformia videri poſſint. Quare rationi magis conſentaneum erit, Italos quoſdam recentiores conſulere, qui libros *de ratione ſtatûs*, (ut iſthæc illorum verba, *Raggion di Stato*, commodiùs exprimam,) non invitis equidem Muſis,

Musis, aut Apolline nullo, composuêre. Inter quos, *Joannes Boterus*, qui & ingenio fuit admodùm facili, & ad Politicas dissertationes nato, rem omnem primus, quòd sciam, ordine & methodo præclarissimâ distinxit; quam postmodùm *Hieronymus Frachetta*, nimiâ suâ diligentiâ, ac collectionum mole, fermè obruit; medium verò tenuêre *Gabriel Zinarus* & *Ludovicus Septalius*; quorum hic, licèt professione Medicus, nihil tamen de Politicâ ἀνεγκλήτως scripsisse, jure meritò censeri potest. Adeò cuncta, quæ dicit, ab exquisito judicio, & absolutâ civilis administrationis cognitione, videntur profecta. Quod unum etiam sperandum esse moneo politicâ doctrinâ, quam nuper accepi *Scipionem Claromontium* typis penes se præparatam habere: quandoquidem homo ipse est solidæ eruditionis, ac magnæ & plerumque pertinacis, suis in compositionibus, diligentiæ.

Utcunque autem Reipublicæ administratio extraordinaria, totidem pariter capitibus absolvatur; pauci tamen hactenùs reperti sunt, quibus robur & æs triplex circa pectus esset, ut de præceptis ac mediis legitimis, quibus unumquodque illorum ad finem perducatur, aliquid memoriæ, publicæque hominum luci, cum ratione & methodo committerent. Quamvis enim *Clapmarius*, libro suo de *Arcanis Imperiorum*, onus istud lubens in se receperit; nihil minus tamen, quàm quod ipse promiserat, exequitur; dum solius tantùm administrationis ordinariæ leges, in medium adducit. Adeò proclive est Literarium pelagus emetientibus, in hanc censuram, velut in Scyllam ac Syrtes periculosissimas impingere, dum titulo tenùs, magnifica de se multi jactitant, & promittunt.

——— *Amphora cœpit*
Institui; currente rotâ, cur urceus exit?

Politicus

Politicus verò *Florentinus*, licèt axiomata fermè omnia istius administrationis, conclusionésque præcipuas, suis in operibus passim disseminârit; quia tamen subtiliores Philosophos imitatus est, qui inter disputandum plura supponunt, quàm probent; *Astuti* & *Temerarii* famam potiùs, quàm *Prudentis*, sibi conciliavit; multorúmque adversùs suam doctrinam pennas acuit: quarum acumen retundere, non ita forsan incassùm *Gaspar Scioppius* proximis annis conatus est, edito *Romæ* de *Pædiâ politicâ* cultissimo doctissimóque libello. Cui uni plus inesse bonæ mentis ac judicii, quàm rehquis ejus operibus, æquissimi certè librorum censores haud immeritò existimavêre. Quare cùm idem prorsus judicium de *Cardani* sapientiâ ferendum sit, neminem profectò laudare possum, qui de hac administratione quidquam rationibus philosophicis innixum, politicísque regnorum ac Principum exemplis illustratum, scriptis consignarit, præter *Fredericum Bonaventuram* nobilem *Urbinatem*; qui nusquam exhaustus tot ingentium voluminum de *Ventis* & *Octimestri partu* compositione, politicam etiam, aut veriùs publicæ administrationis rationem, typis edendam curavit. In quâ, ut nihil dicam de maximo ejus ingenii acumine, & singulari rerum cognitione, quibus inchoatæ scriptionis dignitatem mirificè sustinuit; certè validissimis rationibus ostendere conatus est, rationem illam extraordinariam publicæ administrationis, non alitèr definiri posse, aut debere, quàm Consilium optimum de rebus ad majorem Reipublicæ utilitatem spectantibus, absque alterius rationis consideratione. Ex illâ siquidem definitione, quam variis posteà argumentis confirmarunt, ejusdem *Bonaventuræ* nepos meritissimus *Julius Veteranus*, in *Epistolâ suâ* ad *Ludovicum Septalium*, & *Titus Cornæus* in *politicâ tractatione*, quæ *Urbini* cum infinitis aliis codicibus manu exaratis studiosè

sè conservatur ; ex hâc inquam definitione, & auctor ipse campum sibi aperuit amplissimum, ut de variis rebus differeret, quæ ad secretiorem illam politices pædiam spectare videntur ; & unusquisque tantum ex illo sumere potest, quantum illi opus erit, ad tutiùs & copiosiùs philosophandum de veris Rerum publicarum arcanis : de quibus & nos * tractationem illam anno superiore accuravimus, quam aliquando politicæ doctrinæ studiosis haud ingratam fore, injucundámve confido.

* al. contractionem.

Perceptis autem communibus istis cujuslibet Statûs administrandi legibus, ad illas continuò deveniendum est, quibus Reges ipsi, ac principes, Terræ Gentes inter ac Nationes, quibus imperio præsunt, divinitatis cultum aliquem stabilire, & meritò quidem, conati sunt ; cùm hoc unum ab omni temporis memoriâ persuasum hominibus fuerit, dominos esse omnium rerum ac moderatores, Deos ; &, quæ geruntur, eorum geri ditione atque Numine, eósque optimè de genere hominum mereri ; &, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, quâ mente, quâ pietate colat Religionem, intueri, Piorúmque & Impiorum habere rationem. At verò, cùm ejusmodi leges, & divinarum rerum constitutiones, variæ semper in variis mundi partibus, & antiquitùs quidem, extiterint, & nunc etiam non magis, quàm olim, inter se conveniant ; non rarò etiam accidit, ut zelo ac æmulatione pietatis, dissidia quædam & internecinæ quæstiones de illis exoriantur :

——Dum numina vicinorum.
Odit uterque locus, dum solos credit habendos
Esse Deos, quos ipse colit.

Quibus certè compescendis, dirigendísque ad finem Religionis Christianæ præceptis ac instituto consentaneum,

sentaneum, sanè haud necesse erit, diversas inter se Religiones committere; quemadmodum non sine dispendio veræ pietatis, superioribus annis fecêre, *Petrus de Alliaco Cardinalis* & Episcopus *Cameracensis*, in opusculo quodam astrologico *de tribus sectis*; *Hieronymus Cardanus* in Libris suis *de subtilitate*; & *Joannes Bodinus*, compositio, sed nondum edito (atque utinam nunquam edatur!) *de rerum sublimium arcanis* ingenti volumine; quod equidem, Jesuitam *Possevinum*, non perperàm de ipso judicium tulisse, argumento esse potest validissimo certè, manifestissimóque. Verùm oportet Religionum omnium principia communia, & singularum inter se persuasiones proprias, apprimè intelligere, ut, cùm nostra quibusdam in locis stabilienda aut confirmanda venit, aliarumque cognitio necessaria esse quàcunque tandem de causâ videtur; habeat in promptu politicus nonnullos auctores, quorum lectione de singulis informatus, omnia postmodum, quæ in tali casu fieri debent, sapientiùs præscribat, consiliúmque sumat rebus ipsis, ac intentioni suæ convenientissimum. Tales igitur esse possunt quatuor *Libri de orbis terræ concordiâ Guillelmi Postelli Barentonii*; in quibus fermè solis, nihil inceptum, aut quod ridiculum non esset, immiscuit, sed universam Religionum omnium informationem instituit; nostrámque præsertim rationibus tam propriis, quàm ex aliarum confutatione desumptis, valdè quidem acutè subtilitérque confirmat & stabilit. Idemque auctor, in tribus Libris de *Republicâ Turcarum*, quos nondum pariter luxatâ mente composuit, Religionis *Mahometicæ* Summam, nihil quidquam vel minutissimarum ejus Ceremoniarum prætermittens, complexus est. Quemadmodum etiam novissimè fecit nobilis quidam Gallus, nomine *Bauderius*, libro ad hoc unum, magno quidem politioris linguæ nostræ apparatu, ac Lectionis

onis varietate, peculiariter deſtinato: ut ex ipſius, ac gemino *Poſtelli* volumine, promptum ſit omnibus, qui propter Eccleſiæ cenſuras ipſiuſmet *Mahumedis Alcoranum* ac *Sunam* legere non poſſunt, quidquid ad ineptas *Muſulmanorum* ſuperſtitiones attinet, facili negotio percipere. Quamvis multùm præterea juvari poſſint relationibus epiſtolicis præclariſſimi viri *Augerii Busbequii*, & Libellis *Ricoldi ſeu Richardi Monachi*, ac *Joannis* cujuſdam *Andreæ*; qui propterea in omnes linguas habentur tranſlati: quoniam vel ipſius *Poſtelli* judicio cæteris omnibus præferri debent, quicunque conati ſunt *Turcicæ* Religionis fundamenta validiſſimis rationibus convellere. *Judaicæ* verò notitia, quoniam ex veteri teſtamento diverſiſque ejus Librorum interpretibus, nobis abundè ſuppeditatur, hoc unum ſolummodò requirit, ut, quoties ejus refellendæ ſeſe offeret occaſio, & antiqui Eccleſiæ Patres, quorum multi præclarè admodùm in hoc negotio verſati ſunt, in conſilium advocentur, & præter illos, *Lyranus*, *Samuel Riccius*, & *Hieronymus de Sanctâ Fide*; qui omnes Linguæ Sanctæ cognitionem ab incunabulis, ac inter *Judæos* ipſos viventes edocti, diverſáque *Rabbinorum* Lectione informati, non mediocrem ſanè gloriam, licèt ex mediocribus Libris, retulêre; non ſecùs profectò, quàm ex Majoribus poſteà fecerunt *Philippus Mornæus*, auctor alioquin cæteris in operibus lectionis improbatæ; ac *Coſtus* & *Delfinius*; omniúmque, ut majori conatu, ſic etiam feliciori eventu, *Petrus Galatinus* monachus ex ordine *Sancti Franciſci*; aut potiùs *Raimundus Sebondus* profeſſione Medicus, cujus, præter Libros *de Theologiâ naturali*, duo inſuper volumina ingentia in *Collegio Fuxenſi Tholoſano*, etiamnum hodie ſub titulo *Pugionis fidei* conſervantur. Ex quibus, ſi *Joſepho Scaligero* fides eſt habenda, omnia ſua hauſit & tranſcripſit *Galatinus*, diſſimulato ipſius *Sebondi* nomine;

nomine ; non tam propter acerrimum, quod ſemper extitit inter *Dominicanam* familiam & *Franciſcanam*, odium, quemadmodum malignè cavillatur *Scaliger* ; & fortaſſis etiam imperitè ; quàm ut eruditum iſtud opus acceſſione quâdam augeret, & ſibi vendicaret lucupletatum ita atque expolitum. Quod equidem, utrùm à *Galatino* factum fuerit, & an iſtâ, aut aliâ ratione, tuum eſt omninò ſtatuere, *eruditiſſime Gaffarelle* ; qui Linguæ Sanctæ difficultates omnes grallatorio paſſu ſuperâſti ; & plures ac meliores in eâ Libros evolviſti, quàm quivis alius eorum, qui nunc ſunt, non dicam tantùm ætate tibi ſimiles, ſed etiam profeſſione. *Judaicæ* verò Religioni ac *Mahometicæ*, *Chriſtiana* ſuccedit, ætate quidem inter illas mediâ, ſed nobilitate dogmatum, ac eorundem certitudine, longè omnium præſtantiſſimâ, & ſolâ ac unicâ de cujus veritate dubitare non liceat abſque flagitio. Verùm enimverò, cùm Infidelibus ac Paganis eadem Lex lata non fuerit ; arbitror ego, hanc ipſis non incommodè, quoties opus erit, ſuaderi poſſe, rationibus, quas habent *Citero Chriſtianus*, ſeu mavis *Lactantius*, in *Libris divinarum Inſtitutionum* ; *Tertullianus in Apologetico* ; *Minutius Felix* in *Octavio* ; *Arnobius adverſus Gentes* ; *Theodoretus de Græcanicis affectionibus* ; *Salvianus* in *Libris verè aureis de Providentiâ* ; & *Doctor Angelicus Sanctus Thomas*, in *ſummâ contra Gentes* : quæ omnium inſtar, jure meritò haberi poſſet ; adeò ferax eſt ſenſuum, rationum, ſubtilitatis, & doctrinæ. Nec minimum quoque auxilii repoſitum eſt, in *Libris de Providentiâ Thomæ Bradwardini* ; quoniam in illis pari fermè cum divo *Thomâ* ſubtilitate, & rationum pondere procedit ; ut etiam in *Triumpho Crucis Hieronymi Savanarolæ*, & in Libris de *Religione Chriſtianâ Marſilii Ficini*, & *Ludovici Vivis*. In quibus licèt magis latinè, non minùs tamen ad rem appoſitè locuti ſunt. Iſtorum

rùm verò Labores excepit *Auguſtinus Steuchus Eugubinus*; qui dum Infideles ipſos propriis armis atque auctoritatibus jugulat, plurimùm & ipſe negotium fidei promovit. Quod ſimilibus doctorum virorum argumentis comprobandum eſt; non autem obſervationibus Aſtrologicis *Petri de Alliaco*; aut naturalibus *Lullii & Sebondi*; aut denique philoſophicis *Petri* cujuſdam *Montui*: quandoquidem intempeſtivæ ſunt illæ nugæ, ac futiles argutiæ, cùm eâ de re tractandum eſt, quæ meritò cenſetur omnium eſſe graviſſima: atque in hoc delectu maximè ſe prodit hominis prudentis ac politici judicium. Sed cum negotii & faſtidii vim ſemper maximam, vel ab Eccleſiæ naſcentis exordio, Hæreſes ipſæ, Chriſtianæ paci & tranquillitati è directo contrariæ, attulerint, dum Civitates ac Nationes, inter ſe committendo ipſas, plerumque in manifeſtum diſcrimen adducunt, totque calamitates excitant, ut earum incremento totis ſe quàm primùm viribus opponere conſultiſſimum judicetur, quemadmodum optimè à *Ludovico Regio* demonſtratum eſt, in *Libello*, quem patriâ linguâ compoſuit *de diſſidiis & bellis maximis propter Religionem excitatis*; ſanè, ad hoc unum faciliùs & commodiùs exequendum, non mediocriter opinor juvabit, priſcorum quidem Hæreticorum fraudes, ingenium, ac erronea dogmata, ex divo *Hilario*, *Philaſtrio*, *Perpiniano*, & *Alphonſo Caſtrenſi* deprehendere; *Pelagianorum* autem maximè ex *Vorſtio*, cujus Liber appendicis loco eſſe poteſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; & *Lutheranorum*, ex *Florimundo Raimundo*, ac ejus continuatione *Pariſiis* editâ, ſed abſque auctoris nomine; quoniam multùm ſe *Raimundo* inferiorem exhibuit eloquentiâ, judicio atque diligentiâ. Utile etiam erit *Caſſandrum* evolvere, qui tot lites apertè quidem componere tentavit, licèt majori pietate quàm ingenio; & *Melchiorem Canum*, qui hoc idem, ſed occultè co-

natus est, ingenio majori, quàm pietate, ac propemodùm admirabili judicio. Vix enim potest imaginatio consequi, quantum auctorum ejusmodi Lectione, Politicorum mentes acuantur, excitentúrque ad saluberrimè de rebus istis consulendum, quibus non unius aut alterius Hominis modò, sed universæ plerumque Reipublicæ salus, & belli pacísque momenta continentur.

Maximi quoque habentur in rebus Politicis Consœderationes, junctæque cum vicinis aut potentioribus populis amicitiæ: quoniam illæ, seu ad hostem propulsandum irruentem, seu ad Mercium permutationem, aut quâvis aliâ tandem de causâ instituantur, non possunt sanè non existimari publicis Regnorum & Principum commodis valdè salutares ac necessariæ. Quamobrem hoc unum maceror, hoc unum doleo, quòd auctores illos in numerato non habeam, qui forsan plura de illis, & maximè scitu ac cognitione digna, Librorum monumentis consignavêre. Memini tamen, quædam esse inter opuscula *Bruni*, quæ huic negotio plurimùm inservire possint; & *Joannis Boteri* Libellum inter politicos circumferri, cui ipse titulum fecit *la Lega*: ac *Emericum Crucæum* nostratem *Parisinum*, animi potiùs exercendi gratiâ, quàm quòd rem unquam ita fieri posse arbitraretur, conatum fuisse in *novo suo Cyneâ* modum aperire, quo Principes omnes inter se convenire possent, & pacem universalem stabilire: quemadmodum etiam eloquentissimi viri *Baudius* & *Puteanus*, cùm de Induciis Belgicis tractant, & *Gaius* quidam, ac *Ferrerius* auctor. Catholico-politici, interim, dum variis rationibus contendunt, Principes Christianos posse cùm Infidelibus fœdere conjungi, multa & ipsi subministrant, ex quibus, accedente frequenti Lectione Historicorum, qui diversa Principum fœdera ipsorúmque secretiores causas

causas ac Leges suis monumentis inserunt; quemadmodum fecêre *Polybius*, *Guicciardinus*, *Thuanus*, & alii; non dubium est profectò, quin multa sensim animis illabantur, ad ipsas Confœderationes melius instituendas plurimùm conducentia. Illæ verò, quandoquidem aut belli suscipiendi, & communis Hostis invadendi propulsandive necessitate, aut pacis firmandæ gratiâ, aut vitæ commodis, per mercium commutationem, consulendi causâ, sæpiùs concluduntur: Commercii autem ac rerum utilium, & unde illæ ac quomodo haberi possint, notitia, meliùs usu ipso, ac quotidianâ cum expertis communicatione, quàm studio, quod in libris ponatur, intelligi potest. Juvatur nihilominùs relationibus diariis, ac navigationibus *Hollandorum* & *Hispanorum*; qui nunc fermè soli varias terræ partes Mercium permutandarum causâ, obire, *Indiasque* tam *Orientales* quàm *Occidentales* perlustrare, consueverunt: ut etiam historia naturali rerum exoticarum; qualis est *Josephi Acostæ*, *Clusii*, *Monardis*, *Garciæ ab horto*, & *Principis Cæsii Mexicana*, quam omnes docti, graviter & iniquo animo ferunt, publicis commodis tamdiu invideri. Sed nec inutilis erit Lectio *Georgii Agricolæ*, *Ferrandi Imperati*, *Gesneri*, *Boëtii à Boot*, *Lucæ Pæti*, *Cænalis*, *Garraudi*, & aliorum; qui de Mineris, Metallis, Lapidibus, Nummis, variisque Mensuris, ponderibus & *Tariffis* (ut vocant Itali) scripserunt; quoniam ejusmodi rebus potissima pars Commercii ipsius videtur constare. De quo licèt aliqui nondum vivis exempti, quædam magis determinatè suis in Consiliis & Instructionibus monere conati sint; frigidiùs tamen istud præstitêre, quàm ut in ipsorum nomina diligenter inquirere, operæ pretium esse existimem.

Quòd verò ad pacem & bellum spectat, non hîc *Erasmi* aut aliorum declamationes laudabo, utpote Scholæ magis convenientes, quàm Aulæ, &

prudentûm consilio ; verùm quidquid in illis generatim loquendo considerandum venit, istud commodè quidem, sed impetratâ priùs ab Ecclesiasticis Censuris immunitate, haberi poterit in opere doctissimi viri *Hugonis Grotii de Jure Belli & Pacis.* Speciatim verò, si res ipsæ considerentur, & vel de *Turcarum* aut *Hispanorum* Hæreticorúmve coërcendâ potestate tractandum sit, cùm hæc tria præcipuis ac maximis dissensionibus occasionem præbeant, quæ nunc, & anteà quidem, omnes Europæ provincias pessimè videntur exercuisse ; sanè, cùm non quæratur de *Turcis*, quo jure, sed quâ tantùm arte, debellari possint, hoc ultimum cogitatione duntaxat assecuti sunt *Augerius Busbequius Germanus, Lazarus Soranzus Venetus, Johannes Boterus Pedemontanus*, & *Breevius* ac *Nuæus Galli.* De *Hispanis* autem, cùm potior sit juris quàm artis difficultas, propterea quòd discrepantes sunt, hinc & inde, de ipsorum antiquis prætensionibus, & nuperis statuum acquisitionibus, Politicorum sententiæ ; huic equidem nodo cunei esse possunt, *Balthasaris Galli* liber de *Regnis & Provinciis*, quæ cùm aliquando *Gallorum* fuissent, nunc injustè ab *Hispanis* detinentur ; cum Responsione *Julii Cerii* ad eundem *Balthasaris* Librum ; itemque varii discursus, ultrò citróque facti, pro eorundem successione in bona omnia *Ducis Burgundiæ*, Regni *Navarræ* usurpatione, prætensionibus in statum *Montisferratensis Marchionatûs*, & similibus dissidiis, quæ cum aliis principibus habuerunt ; ac demùm Liber Politicus fratris *Thomæ Campanellæ* de propagandâ *Hispanorum* Monarchiâ, Italico quidem idiomate ab eodem conscriptus, sed editus posteà Germanico. Tandem verò, cùm utrumque in Hæreticorum profligatione desideraretur, multi quidem ex ordine Theologorum & Politicorum, quid juris esset declararunt, ut *Claudius de Sainctes, Ludovicus Aurelius, Gaspar Schioppius*, & a-

lii ;

lii; ſed qui artem ipſam & modum juris exercendi, ac Hæreticos procul à noſtris finibus propulſandi, declararint, pauci certè haëtenùs extitêre, aut veriùs nulli.

Has autem de jure Regnorum & Armorum contentiones proximè ſequuntur, quæ de prærogativis, ac honoribus, non ſolùm inter Chriſtianiſſimos *Galliæ*, & Catholicos *Hiſpaniæ* Reges, ſed inter cæteros Europæ Principes, Nationéſque ipſas & Civitates, excitantur; cùm omnibus hominibus hoc à naturâ peculiari ſtudio inditum ſit, ut Laudis ac Honoris ſtudio maximè ducantur; nec ſua bona deprehendi poſſe ſibi perſuadeant, niſi ipſa, ſub quâdam ſpecie vanitatis ac gloriæ, ex inaniſſimis plerumque ſplendoris inſignibus collecta, nobis exhibeantur. Quæ opinor cauſa fuit, cur celeberrimi duo Juriſconſulti *Chaſſanæus* & *Tiraquellus* libros illos ediderint *de Gloriâ Mundi*, & *de Nobilitate*: in quibus, prout illis ex jure videbatur, rebus, ſi non quidem omnibus, at certè præſtantiſſimis, locum uniuſcujuſque dignitati convenientiſſimum aſſignare conati ſunt. Unde poſteà multi occaſionem ſumpſêre, pro dignitate Nationum & Imperiorum majori cum ſtudio & pertinaciâ ſcribendi, quibus aut Patriæ vinculis, aut obligatione fidei, aut virtutis admiratione, alióve peculiari nexu & affectu conjungebantur arctiùs, connectebantúrque. Quemadmodum feciſſe videmus *Valdeſium* pro *Hiſpanis*, non minùs injurioſo & impotenti, quàm ingenti volumine; & *Vivaldum*, *Joannem Feraldum*, *Andræam à Quercu*, diuerſóſque alios, quibus ſuum nomen reticere conſultius viſum eſt, pro *Gallis*; quorum exemplo *Domus Eſtenſis* & *Medicea*, multæque aliæ principales Familiæ, ſcriptis pariter in lucem prolatis quæſtionem inter ſe de præeminentiâ ventilarunt. Ut etiam inter civitates fecêre *Ticinum* & *Cremona*: *Panormus* & *Meſſana*, ac aliæ ſimiles. De quibus plura mihi

fateor dicenda forent, si obvia & minutissima quæque, non autem utilia tantùm ac necessaria, consectarer. Hoc verò non prætermittam, multa videlicèt, quæ ad ejusmodi quæstiones pertinent, haberi posse ex orationibus contrariis de principatu inter præcipuas *Europæ* nationes constituendo, quæ ab Auctore quodam *Germano* non ita pridem, variâ cum eruditionis supellectile, publici Juris factæ sunt; & ex *Ceremonialibus Libris*; *Gallicis* quidem, Doctissimi *Gotofredi*; Italicis verò, *Paridis de Grassis*, & aliorum.

Supersunt igitur tantummodò incrementa Civitatum, & ipsis è diametro oppositæ vectigalium impositiones, ac Civium inter se dissensiones & Privatorum inimicitiæ. De quorum primo *Joannes Boterus* & *Hippolitus à Collibus* multa quidem ac præclara omninò, & valdè utilia loquuti sunt, in libris ad istud negotii peculiariter destinatis.

De secundo verò, quoniam res ipsa plerumque à necessitate dependet, aut Principum voluntate, quæ Leges non admittunt; inde est, quòd pauci admodum reperti sunt, qui de illis politicum quidquam monere voluerint. Quare unicum tantummodò proferam *Scipionem Gramontium*, ex cujus *Nummo Regio*, Gallicè quidem edito, plurima depromi possunt, quæ rem ipsam præclarè illustrent, simúlque legentium animos reficiat dulci pabulo variæ lectionis, & gratissimâ diversarum observationum raritate.

At enim, quoniam opiniones hominum ducuntur auctoritate, trahuntur eloquentiâ, ingenio ac industriâ mitescunt, & in utramlibet partem, quemadmodum cera, facillimè convertuntur; multi propterea de Honore ac ipsius læsione, unde privatæ inimicitiæ nascuntur, singularis certaminis occasiones, ac præterea de ipsius restitutione, & reparatione, quæ omnia in opinione consistunt, mul-

ta

ta etiam dixêre. Inter quos, illi primùm evolvendi ſunt, qui nobilitatis ipſius, ac gloriæ & Honoris naturam & eſſentiam monumentis ſuis expoſuerunt. Prout egregiè omninò mihi feciſſe videntur *Flaminius Nobilius*, & *Typotius*, eleganti & terſo ſermone; *Simon Simonius*, erudito & peripatetico diſcurſu; ac *Bernardus Mirandulanus Epiſcopus* * *Caſertanus*, in opere illo undequáque abſoluto & perfecto *Dialogorum de Honore*, quod ſub nomine *Joannis Baptiſtæ Poſſevini*, *Italicâ* primùm linguâ, mox verò etiam Gallicâ, neſcio quo caſu, Typis commiſſum fuit. Cujus rationes licèt *Joannes Baptiſta Suſius*, Medicus *Mantuanus*, & *Antonius Maſſa* funditùs evertere conati ſint, ipſe tamen *Mirandulanus*, edito alio libro de ſingulari certamine, ita ſe defendit, ut præter ſolidiſſimas reſponſiones, multa etiam in illo attulerit, quorum gratiâ famam ſibi comparavit inter præſtantiores philoſophos, non modò illuſtrem, ſed nec intermoriturum ullo ſæculorum aut ætatum decurſu. Iſtis verò auctoribus perlectis, ad leges, & conditiones ipſius ſingularis certaminis ineundi, deveniendum eſt. Quæ vel univerſales ſunt, à *Petro* quodam *Montuo Mediolanenſi*, & ab aliis deſcriptæ; vel unicuique Nationi peculiares & propriæ, quemadmodùm *Galli* ſuas habent, ab antiquis Regibus conſtitutas, & in unum collectas ac editas, neſcio an à *Savarone*, aut à quopiam alio. Et in *Italiâ* multi quidem reperiuntur, ſeu duelli committendi, ſeu pacis tractandæ, cenſores & arbitri: quorum in recenſione, primus mihi doctrinæ ac eloquentiæ purioris gratiâ appellandus venit *Mutius Juſtinopolitanus*; deinde verò *Baptiſta Olevanus*, & *Franciſcus Biragus*, qui nobiliſſimâ ſubtiliſſimáque concertatione, rem iſtam præclarè explicant. *Fabius* verò *Albergatus*, licèt teretibus etiam ac purgatis auribus nitore ſufficiat, * habitior tamen eſt in toto ſuo opere, ac in minutiis

* *Al Caſertanus.*

* *Al. habitior.*

quibuſdam & titivillitiis plerumque moroſior. Qui præter ipſos modum illum explicarint, quem *Itali* dicunt *di ſar pace in via Cavallereſca*; ſcio equidem, extare plures alios : veruntamen, quia non ita mihi familiares exiſtunt, nihil propterea de ipſis, ut nec de *Alciato* & Juriſperitis, mihi dicendum eſſe exiſtimo.

Enumeratis igitur illis auctoribus, qui de negotiis in publicâ rerum adminiſtratione præſertim occurrentibus, varias præceptiones conſiliáque diverſa ediderunt ; * aggrediendum nobis eſt ex inſtitutâ ſerie, ad dicendum de illis, quorum lectione meliores illi ac præſtantiores evadere poſſunt, qui circa rerum ac negotiorum ejuſmodi tractationem verſari debent. Horum autem en ! commodè primi ſe offerunt Reges ipſi ac Principes : ex quorum moribus & inſtitutione, reliquorum hominum fata pendere, adeò verum eſt, ut tunc illis benè ac fortunatè ſit, cùm ipſi, qui Reipublicæ clavum moderantur, non ſolis modò Prætorianorum Cohortibus, & longo ſatellitum ordine auctoritatem ſuam fulciunt ; ſed labore in negotiis, fortitudine in periculis, induſtriâ in agendo, celeritate in conficiendo, ac denique conſiliis in providendo, dignitatem ſuam illuſtrant ac muniunt ; ſecùs verò omnia illis contingant, quibus non Reges præficiuntur, ſed Tyranni. Cujus vocis occaſione, hîc omninò animadvertere neceſſe eſt, hanc poſterioribus tantùm ſæculis pro iniquo & flagitioſo Principe fuiſſe uſurpatam ; quemadmodum optimè notavit *Suidas* in voce τύραννος, & poſt eum eruditiſſimus *Cardinalis Beſſario* adversùs Calumniatorem *Platonis* ; conſtátque auctoritatibus clariſſimorum poëtarum ; *Virgilii* quidem, cujus ille verſus in ore omnium & libris reperitur :

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyranni.

* *Al. progrediendum.*

&

& *Silii Italici*, qui de *Hierone* optimo ac integerrimo *Syracuſanorum* Rege hunc alium uſurpat:

Vos etiam tandem Siculi contra arma Tyranni
Fuviſſe egregium.———

Idque eò potiſſimùm ſpectat, ut, quoties nobis *Platonem*, *Ariſtotelem*, vel *Xenophontem* legentibus, aliquid occurrit, quod ab ipſis de Tyranni Laudibus aut officio dictum ſit; non ſtatim arbitremur cum *Georgio Trapezuntio*, Tyrannidem ab illis commendari: tantum enim abeſt, ut illis quidquam ſimile in mentem venerit, ut neminem ex antiquioribus conſtet, magis quàm ipſos, præclarè & ſapienter de optimi Principis Munere, fuiſſe loquutum. Sanè, cùm apud *Ciceronem*, *Cato Scipioni* & *Lælio* ſuadere videatur, multas ad res perutiles eſſe *Xenophontis* Libros, eóſque etiam, ut ſtudioſè legant, adhortetur; tum verò ille ita ſe mirabilem exhibuit, cùm *Cyrum* Regem, alioqui improbum atque impium & infelicem, non quidem ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad veram Juſti & Moderati Imperatoris effigiem depinxit, ut non tantùm ejus mendacio venia concedenda ſit, ſed magna inſuper commendatio tot ſaluberrimis admonitionibus tribuenda. Atque, cùm ingenioſiſſimus Poëta *Claudianus*, *Porphyrius Optatianus*, *Sidonius*, & omnes *Panegyriſtæ Latini Antiquiores*, qui ſimul editi ſunt, nihil etiam aliud in votis habuerint, quàm optimorum Principum naturam, mores, dicta, præclarè geſta, factáque omnia, laudare, ac per hoc poſteris velut è ſpeculâ faces, quas ſequerentur, accendere; multum propterea in illis repoſitum eſt ad Regiam inſtitutionem momenti, & præſidii ac adjumenti certè non parùm; præſertim verò, cùm tot exempla præclariſſima, tot Heroicæ ac penè divinæ virtutes, facillimè ſe in animos demittant, illorum orationis vehiculo, qui caſtiga-

caſtigatiſſimo dicendi genere uſi ſunt, orationémque uſurparunt, ut inventione admirabilem, ſic locorum ubertate, ſententiarúmque gravitate venuſtam, & ſemper variam, utilem, auguſtam, naturalem, propriam denique ubique, ac perſpicuam. Lutulentiùs fluunt, & Romanas aures neglectâ dictione radunt, viri duo præclariſſimi *divus Thomas*, & *Ægidius Romanus*, in operibus quæ de Regimine Principum nobis reliquerunt. Sed in illis tamen minimè, ut erat ſæculi fatum, ſomniorum monſtra aut nebulas pictas ſequuti ſunt. Imò lectionis diuturnâ ac ſedulâ meditatione, ingenii rerum optimarum & politicarum copiâ luxuriantis argumentum exhibuêre; quo in concipiendo, non magis indulſerunt Genio potenti, & ad grandia quæque & difficillima nato, quàm Principum Imperio. Nam ut de *Divo Thomâ*, qui hoc ipſum in operis limine fatetur, nihil dicam; certè ex *Pauli Æmilii* Hiſtoriâ conſtat, *Philippum Pulchrum*, jam inde ab adoleſcentiâ peculiari cultu *Ægidium Romanum* coluiſſe, eique auctorem fuiſſe, ut *de Regimine Principum monumenta*, quæ nunc in manibus habentur, conſcriberet. Superiori verò, ac noſtrâ etiam ætate, de quâ meritò quis antiquum iſtud uſurpare poſſet,

Sumpſerunt Artes hâc tempeſtate decorem,
Nullâque non melior, quàm priùs ipſa fuit:

non defuerunt ſanè, qui eandem de Principatu tractationem laboribus ſuis illuſtrandam, explicandámque ſuſciperent. Ex quibus *Niphus* & *Machiavellus*, *Principes* ſuos effinxêre, quales ut plurimùm eſſe deprehenduntur: *Eraſmus*, *Oſorius*, *Foxius*, *Natta*, *Omphalius*, *Wimphelingus*, ut ſe moraliter gerere deberent: *Mambrinus Roſeus*, *Frachetta*, & *Lælius Marettus Senenſis*, cujus liber publici juris nondum factus eſt, ut illis Politicæ communis

munis legibus agere conceditur; *Bellarminus* denique, *Ribadeinera*, & *Scribanius*, ut se ad Christianæ Religionis præcepta componere deberent. Quibus omnibus velut coronidem accessisse ferunt * *Balsaci*, viri clarissimi, *Principem*, Gallicâ modò pumice diligenter expolitum. Verùm enimverò, quoniam ipse Liber post meum è Galliâ discessum Typis fuit demendatus, & propterea nondum in manus meas pervenerit; variáque ut audio ac prorsùs ancipiti judiciorum aleâ fuit exceptus: hoc solùm de illo pronunciare possum, quod fuit ab antiquis in simili occasione ex formulâ usurpatum, *Non liquet*.

* *Al. Belsaci.*

Cùm autem personæ illæ Politicæ, de quibus sermonem jam habere instituì, multùm præterea juvari possint variorum Librorum lectione, qui ad ipsas arctiori quodam præceptorum nexu spectare videntur: Necesse idcircò mihi visum est, ipsorum recensionem velut suppetias unicuique illarum destinatas subjungere. Atque ut à Principibus exordiar, nemini dubium esse arbitror, paulò diligentiùs in hanc rem intuenti, quin illis summoperè utilia esse possint præcepta vitæ & morum, ac Regni etiam administrandi, à Principibus viris scriptis consignata: maximè verò illa, quæ, cùm essent morti propinqui, familiaribus, & amicis, ac successoribus etiam, observanda reliquerint: Cùm opinio sit, non futilis quidem illa aut ridicula, sed omnium fermè Gentium ac nationum consensu firmata; animam ipsam, cùm in procinctu est ut à corpore discedat, sapientiorem longè ac diviniorem fieri; seu illud contingat, quemadmodum volunt *Platonici*, quòd animus noster, dum tempus mortis instat atque appetit, paulatim incipiat ab ostraceo seu futili & testaceo vehiculo, recipere se in igneum æthereúmve, & quo magis appropinquat morti, hoc magis tenuetur; multáque tunc intelligat, quinetiam sæpe divinet, ac futura

Libri à Principe legendi

futura prospiciat; quemadmodum fecisse dicuntur *Patroclus* quidem ab *Homero*, *Orodes* à *Virgilio*, & *Possidonius* à *Cicerone*: seu potiùs verior sit Medicorum, & *Peripateticorum* sententia, istud fieri asserentium, quòd in extremâ illâ dissolutione, occupatis jam ab Hoste exterioribus Membrorum præsidiis, Spiritus, qui in illis morabantur, ad arcem interiorem muniendam, propugnandámque, tanquam strenui Milites, confugiant; unde circa Cordis meditullium, & cerebri Regiam, numerosiori exercitu congregati, omnia præclarè disponunt, decernúntque de multis sapienter & ingeniosè, donec continuam ac recentem morborum impressionem

Nec Claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent.

Sanè, undelibèt ista vis animo proveniat, certissimum est, ab illâ, & extremas morientium voluntates religionem, & grandia illa morituri *Catonis* ac reliquorum Heroum verba, æstimationem suam desumpsisse. Unde neque à Politicis, multóque minùs à Principibus viris, contemni debent præcepta illa, quæ ab expertis & sapientibus viris sapientissimè totius vitæ tempore prolata, non nisi saluberrima, sapientissimáque esse possunt. Qualia experimur reverà esse *Monita Manuelis Palæologi*, *Basilii* & *Caroli Imperatorum*: *Ludovici IX*, & *Philippi Secundi*, *Regum Galliæ & Hispaniæ*: ac demùm *Pauli Tertii*, & *Gregorii decimi quinti*, *Summorum Pontificum*. Quibus pares auctoritate videri quodammodò debent *Libri illi Constantini Porphyrogenetæ de administrando Imperio*: & cæteri, quos de vitâ propriâ, aut rebus cùm à se, tum ab aliis Principibus gestis, Principes ipsi scripserunt. Nescio enim quomodò, Genium potentiorem, quàm reliqui auctores obtinere consueverint,

Libris

Libris ſuis infundunt, majoréſque ſpiritus, ac nobiliores ad Muſarum cultum afferunt: Naturâ, ut credibile eſt, præclariſſimum iſtud ac Honeſtiſſimum Liberalis ſtudii cum Regali virtute conjugium, lætiſſimis ſimul ac fœliciſſimis auſpiciis promovente. Hujuſmodi verò ſunt, quæ *de bello Gallico*, non *Julius Celſus Vincentii Bellovacenſis*, & *Joannis Sariberienſis* (qui ambo occaſionem etiam dubitandi doctiſſimo *Lipſio* præbuêre,) ſed *Julius Cæſar*, cujus ductu ac Imperio illud confectum eſt, in commentarios retulit: & quæ optimus *Imperator Antoninus*, non quidem de Itineribus ad clariora Imperii Romani loca (cum *Martiani* cujuſdam potiùs illa ſint, nec quidquam ad præſens inſtitutum faciant,) ſed de *vitâ ſuâ*, conſcripſit: ac propterea quæ *Julianus Parabata de Cæſaribus* edidit: & *Hiſtoria de vitâ & rebus geſtis Baſilii Macedonis*, ſcripta quidem jam olim à *Conſtantino Porphyrogenetâ*, nunc verò è tenebris erutа, ac priſtino ſuo nitori reſtituta, ab eruditiſſimo, eodémque nobis amiciſſimo viro, *Leone Allatio*; cujus inexhauſtam in propriis fœtibus abſolvendis doctrinam, neſcióne magis admirer, an diligentiam in antiquorum Laboribus detenebrandis ac illuſtrandis ſuſpiciam. Atque ut ſumma illa benevolentia, quâ me ſibi plurimùm devinxit, tali judicio viam mihi omnem ac aditum præcludat; non faciliùs tamen erit æquiſſimis rerum æſtimatoribus, quidquam de hâc controverſiâ ſtatuere; poſtquam decem ejus volumina variorum Antiquorum edita fuerint, quorum divitiis immane quantum Reſpublica ipſa literaria conſequetur honoris ac emolumenti. Verùm ut illuc, unde paululùm digreſſus videor, me referam; eò demùm pertinent *Apophthegmata ſeu dicta memorabilia prudentiſſimorum Regum & Principum*; ſive ea unius tantùm illorum fuerint, ut *Alphonſi*, *Matthiæ Corvini*, & *Alexandri Medicis*, collecta quidem

ab

ab *Antonio Panormitâ*, *Æneâ Silvio*, *Galeotto Martio*, & alio quodam *Italo*, sive multorum, generatim ac per communes titulos distributa, ut memini à Doctore quodam *Lovanienſi* fuiſſe factum. *Plutarchus* enim, *Lycoſthenes*, *Eraſmus*, dum omnia colligunt, certè à Principibus non leguntur, quibus eruditionis compendia ſunt in Lucro, & ſimiles tantùm in exemplo. Quare utiliſſimum quoque illis fuerit, exercere ſe gnaviter in Hiſtoricorum Lectione, qui fortiſſimorum lectiſſimorúmque Principum vitas monumentis ſuis conſecrârunt; atque in *Alphonſi Ulloæ Carolo quinto*, Cæſareæ Majeſtatis virtutes intueri; in *Philippi Cominæi* ac *Petri Matthæi Ludovico XI*, politicas artes ac verſutias deprehendere; in *Barlettæ Schanderbecho*, fortitudinis bellicæ triumphos ac honores æmulari; in cæteris denique auctoribus, virtutes illas inveſtigare, quarum ad imaginem & velut ideam, ſuas poſteà actiones componant, ſeque tales exhibeant, quales ſemper extitêre, qui ad Regnorum faſtigia ſupremáſque dignitates fuerunt, non favore & amicorum gratiâ, ſed ſuo merito ſublevati.

Hactenùs igitur tam multis de Principe dictum eſt; quoniam, ut ipſe fuerit, ſic erunt & ejus Miniſtri. De quibus nobis in ſequentibus minimè dicendum foret, ſi omnes, ab optimo ſapientiſſimóque Principe, officiorum ſuorum dignitate, vitæ ac morum integritate, rerúmque intelligentiâ, pares eligerentur. Hoc verò quandoquidem rariſſimè contingit, age *mi Gaſſarelle*! percurras alacriter quod reliquum eſt iſtius *Bibliographiæ*, ut videas, quibus libris ad dignitatem ſuam præclarè ſuſtinendam, informari poſſint *Herculès illi Politici*, qui, cum *Atlante ſuo*, ſi non totius Mundi, at vaſtiſſimorum Regnorum pondus, humeris ſuis ſuſtinere debent.

Libri viris à conſiliis Principum legendi.

Miniſtri igitur, ſeu viri à Conſiliis Principum præcipui,

præcipui, cùm vel ex illorum ordine sint, quibus se Principes insano amore, aut scelerum participatione, totos in utramlibet velint ipsi partem flectendos committunt, (quales sunt isti qui *Gallis* nostratibus, ac *Italis*, ficto ab ingenti favore vocabulo, commune quidem sed ominosum nomen accepêre,) vel ex aliorum censu deligantur, qui per virtutum gradus ad Honores conscendunt, pretiúmque suis laboribus in Patriæ commodis & rectâ hominum de se existimatione constituunt: sanè quod ad priores spectat, nec Honestum est, consiliis ipsos juvare, nec etiam facile: cùm libidine potiùs trahantur ac impetu, quàm ratione, & obscura plerumque initia impudentibus ausis ad omne nefas præcipitent, nullius consilii, quàm istius *Horatiani* capaces,

——*Tu, dum tua navis in alto est,*
Hoc age, ne mutata retrorsùm te ferat aura.

Si tamen *Hephæstionis* artes potiùs, quàm *Sejani*, ad aucupandam Principum gratiam usurpare velint, ipsarum prima quidem rudimenta graphicè delineata conspiciuntur, in libro *de minimorum erga potentiores officiis*, quem *Joannes Casa* velut appendicem fecit *Galateo*. Quibus postquam firmiùs, altiúsque pedem figere, velut infantes serperastris, didicerint; tunc consulere poterunt commentarium Italicum *Camilli Baldi*, quem scripsit *in Epistolam Antonii Peresii*, quâ ipse amicum instruit, quibus se modis in Principis alicujus gratiâ conservare possit: & Libros vernaculâ item linguâ de eâdem ipsâ re tractantes, sed nondum (quod sciam) editos, *Lælii Maretti nobilis Senensis*, & *Ascanii Philomarini*, præfecti cubiculo seu Aulicorum familiæ, doctissimi juxtà ac integerrimi; simul & eminentissimi *Cardinalis Francisci Barberini*. De posterioribus autem Ministris, qui nihil aliud

aliud in votis habent, quàm Principibus, quæ optima ſunt, & rectæ rationi conſentanea, ſuadere; ferre opem patriæ; ſuccurrere ſaluti fortuniſque communibus; intercludere omnes ſeditionum vias; ac ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: longè profectò aliter ſtatuendum eſt. Cùm enim duo in illis ad illud præſtandum ſummoperè videantur eſſe requiſita, oratio nimirùm, & ſapientia; de Oratione nudâ quidem, & ſimplici, quæ in familiaribus etiam colloquiis ac rebus domeſticis uſurpatur, extant præcepta ejuſdem *Camilli Baldi*; de artificioſâ verò, quæ in conſultationibus de regno & rebus graviſſimis uſurpari ſolet, ipſe libellum aliquando præ manibus habui, cui auctor linguâ ſuâ titulum præfixerat, *Del parlar Senatorio*. Et, præter elegantiſſimum opus *Ludovici Vivis de conſultatione*, conſuli poteſt etiam aliud *Gabrielis Paleotti de Conſiſtorio*. In quo ſummus ille vir, tum ſparſa colligit, inculta illuſtrat, confuſa certo ordine diſtinguit, ac omnia ſingulari prorsùs judicio & diligentiâ colligit, quæ magis quidem propriè ad Cardinales ipſos ſpectare videntur; tum verò multa etiam habet, quæ Secretioribus Regum ac Principum Miniſtris, haud meritò cenſeantur eſſe inutilia; ſeu Linguam ipſi velint, rerum copiâ & dicendi modo inſtructiorem, ſeu animam ipſam ſapientiæ documentis ornatiorem efficere. Cui ultimo fundus eſſe poſſunt *Gabriel Zinarus*, & *Hippolitus à Collibus*, ambo de Conſiliarii officio, quamvis idiomate diverſo ſcribentes; & *Simon StaroVolſcius Juvenis Polonus*; qui Librum de Conſilio edidit, tantâ quidem verborum elegantiâ, & compoſitionis ſuavitate, ut non patriæ ſuæ modò, ſed Linguæ etiam Latinæ maximum decus ac Honorem addiderit. Cæterùm, quoniam non raro contingit, ut purpurati *Romanæ* Eccleſiæ Principes in eorum etiam numerum adlegantur, quorum fide ac auctoritate, interioris

terioris aulæ ſecreta Summorúmque Principum negotia, adminiſtrentur; propterea non abſurdum erit, quòd ipſi *Cardinales*, viam ut ſibi faciant ad iſtud muneris majori cum dignitate ſuſtinendum, temporis aliquid ac ſtudii impendant in ipſorum Libris evolvendis, qui de *Cardinalium* officio leges condidêre. Mirum eſt enim, quantum juvari poſſint ideâ illâ perfectiſſimarum virtutum, quam *Andræas ab Auriâ*, pulcherrimo quidem dicendi genere, ſed tantâ feſtinantis calami celeritate complexus eſt, ut locum etiam reliquerit ſaluberrimis conſiliis *Fabii Albergati*, *Hieronymi Plati*, & ipſorummet Cardinalium *Paleotti* & *Corteſii*: quanquam poſterioris Liber ſuâ mole fatiſcat, ſeque difficulter regat, licèt *Ciceronianæ* dictionis adjutus præſidio. Omnes verò cogitationum Principis periti, gratiam debent habere *Petro Matthæo* certè quàm maximam, quòd pauciſſimis verſibus *Villaregium*, *Henrici Quarti* principalem Miniſtrum, adeò verè fidelitérque effinxerit, ut ad ipſius exemplar cæteri, qui in eodem dignitatis gradu quàm diutiſſimè ac glorioſiſſimè verſari deſiderant, non modò ſuas actiones publicas componere debeant, ſed omnem inſuper vitæ ac morum & Conſiliorum rationem inſtituere.

Cùm autem Principes, ac eorum Miniſtri, non poſſint inter ſe de rebus graviſſimis, & ad Reipublicæ ſalutem pertinentibus, niſi per internuncios oratores, quidquam ſtatuere; horúmque propterea, quàm cæterorum Miniſtrorum, vita ſit illuſtrior, quippe quæ in oculis potentiſſimorum populorum, atque in mediâ regnorum ac Rerumpublicarum luce verſari debeat; ſanè qui à Principibus viris in ejuſmodi faſtigio dignitatis collocantur, pluribus etiam, ut in hoc præclarè ſe gerant, indigere videntur Librorum adjumentis. De quibus etiamſi nihil eſt neceſſe, cur tecum nunc, *eruditiſſime Gaffarelle*, diſſerere debeam, qui præ-

cepta omnia, quæcunque unquam de Legatis ab auctoribus tradita sunt, expressa potes intueri continuò, ac confirmata in Excellentissimo Regis nostri Oratore, ac tuarum virtutum fautore generosissimo, Domino *Thuillerio*; sequar nihilominùs, si non utilitatis, at saltem institutæ tractationis gratiâ, de ipsis dicere.

Ac primùm quidem, inter ipsos non laudabo *Cratem* aut *Phalereum*, quos nunquam mihi legere concessum fuit; sed *Carolum Paschasium*, politioris doctrinæ luminibus illustrem, ordinis ac methodi perspicuitate clarum, soliditate judicii maximè præstantem, ac talem in omnibus, ut, eo veluti dictante, non *Villerius Hottomanus* modò, sed quicunque post ipsum de Legatis scripsêre, loquuti sunt. Proximus ab eo, nè *Puteani* Labores parùm honorificè excipiantur, recensendus venit *Federicus* * *Maitselerius*; quibus elegantiâ styli, non autem rerum ubertate ac varietate, rectè componentur *Octavianus Magius*, & auctor quidam anonymus legati Pontificii. *Conradus* verò *Brunus*, *Joannes à Chokier*, *Anastasius Germonius*, *Stephanus Doletus*, & *Motteus Vajerius*, Sapientissimi & eruditissimi *Mottei* nostri pater, magis ad Jurisconsultos accedunt; ut *Scipio Gentilis*, ad philologos; & *Canonherius* ac *Gaspar Bragaccia*, ad Politicos. Omnes verò non mediocriter illustrari possunt Historiis particularibus Gentium & locorum, in quibus versari debent; & relationibus, quæ in publico concilio fieri solent ab Oratoribus, præsertim *Venetorum*: dum, ex aliquâ Legatione reversi, rerum à se in ipsâ gestarum, ac populorum, cum quibus ipsis tractandum fuit, mores, Ingenium, Religionem, divitias, militares copias, arces, Regem ipsum, ac principales ejus Ministros, fideliſſimis ac diuturno usu diligenter exploratis observationibus, delineant. Sed nec inutile erit, varias Principum Confœderationes, Ministrorúmque negotiationes, quales

* *Alit. Mairselerius. Cui ab elegantiâ, &c.*

quales in ſecretioribus Hiſtoricis plerumque continentur, evolvere. Ex quibus non modò Principum inter ſe prætenſiones, ac intentiones, & Jura, Læſionéſque, manifeſtè deprehenduntur; ſed facilitas quædam ac diſpoſitio ſenſim acquiritur, convenienter de ipſis, utque viros decet rerum ipſarum capaces, ſapientiſſimóſque, pertractandi.

Verùm, cùm negotia ipſa politica, non voce tantùm, ſed propoſitionibus aut articulis, declarationibúſque hinc & inde ſcripto prolatis, concludantur; occaſionéſque indies naſcantur, politicas diſſertationes, aut epiſtolas de rebus graviſſimis, tam ad principes, quàm ipſorum miniſtros, tranſmittendi; quod equidem minimè uſu venit, abſque illorum induſtriâ fieri, qui Principibus ipſis, aut Reipublicæ, ejuſque Miniſtris, à ſecretioribus Epiſtolis inſerviunt; quibus propterea & *Secretariorum* nomen illis recentiori Latinitatis ævo inditum eſt, cùm antiquiori, magis certè eleganter, ſed minùs officio convenienter ac appoſitè, *Scribæ* vocarentur: Inde eſt profectò, ut nonnihil etiam in præſentiarum nobis de illorum munere dicendum ſit. Quod quidem, ut dignitatis ipſius amplitudine præſtantiſſimum eſt, atque negotiorum & perſonarum diverſitate varium; ſic à paucis rectè, & pro rei majeſtate, atque præſtantiâ fuit expreſſum; quandoquidem omnes *Itali*, qui ſoli fermè inter cæteras nationes de illo ſibi ad dicendum propoſuêre, nihil præclarum attulerint, aut quod rem ipſam ſublimitate præceptorum illuſtret: ſed ingenium prorsùs materiæ ſubmiſerint; ſolis epiſtolarum formulis, veluti *Polypus* ſcopulis, continuò addicti alligatíque. Verùm enimverò, quoniam non contemnenda ſunt, tanquam parva, ſine quibus magna eſſe non poſſunt; ipſæque rectè pingendi, efformandíque characteres, & epiſtolas ex arte dictandi, regulæ, velut fundamenta ſunt to-

tius dignitatis ex officio ſuſtinendæ; eapropter utiles erunt huic adipiſcendæ facultati, *Auguſt. Dathus*, qui verſibus hexametris, & *Sanſovinus* at *Ingegnerus*, qui ſtylo & methodo familiari, talia documenta ſunt complexi. Elatior eſt omninò, & à vulgi ſenſibus remotior, *Pamphilus Perſicus*; quem unum eruditione, facilitate, cæteris præferendum, imò verò inſtar omnium habendum eſſe, exiſtimo. *Baptiſta Guarinus* rem omnem implicat, non explicat; & Sophiſtarum more diſputat, non docet. *Zinarus* denique artem laudabili conatu ad politicos uſus tranſtulit. Præter quos, etſi neminem alium mihi videre contigerit, qui ex profeſſo quidquam monuerit de illorum officio, quibus innituntur epiſtolarum ſecreta; pluribus tamen aliorum Libris juvari poſſunt: ac illis primùm, qui varia epiſtolarum paradigmata, ſeu exempla & formulas, edidêre. Quâ etiam in re, ubi à *Latinis* diſceſſeris, neceſsè eſt omninò, ut ad *Italos* convertare; cùm cæteræ nationes gloriam illam, quæ epiſtolarum vernaculâ quidem, ſed comptâ atque eleganti ſcriptione, comparatur, aut neglexerint omninò, aut nondum in ejus conſecutione paria cum *Italis* fecerint; quidquid *Balſacus*, *Marcaſſus*, & *Lanæus*, poſtremis hiſce temporibus apud *Gallos* ſint conati. Quare, ut ab ipſis Oratorium, ſic ab his Epiſtolicum ſcribendi genus, repetendum eſt: purum quidem & elaboratum à *Bembo*; Laxum & molle, ſed ornatum tamen, à *Viſdomino*; elegans à *Guidicione*; acutum à *Berniâ*; conciſum à *Bonfadio*; floridum à *Guarino*; negotiis valdè proprium & accommodatum, à *Perandâ*; limatum denique, breve, & luminibus ingenii ac orationis floribus diſtinctum, à *Cardinale Lanfranco*. A quibus poſtquam Secretarii compoſitionis modum, atque ornatum deſumpſerint; divertendum illis erit ad auctores, qui modum ipſius tegendæ obnubilandæque notarum involucris

&

& arte cifrarum docuerunt. Quorum omnium ſecreta & alphabeta, licèt à *Joanne Baptiſtâ Portâ Neapolitano* compilata fuerint; utiliſſimum tamen erit *Blaſium Vigenetium*, *Jacobum Gohotium*, & *Erycium Puteanum*, reconditioris doctrinæ gratiâ evolvere; ac *Abbatem* etiam *Trithemium*. Cujus inventa Polygraphica, cùm per ſe perſpicua ſemper extiterint; ſanè, quod ad ſteganographica pertinet, quæ *Carolo Bovillo* doctori parùm naſuto, ac ipſius relatione multorum credulitati, magica omninò viſa fuerant, ea ſic nuper illuſtravit nobiliſſimus auctor Cryptographiæ *Guſtavus Selenus*, ut, quidquid in illis obſcurum involutúmque tamdiu in ſummâ omnium opinione ac veneratione delituerat, non ampliùs ſui deſiderium excitet, poſtquam ab illo retectum eſt atque patefactum. Sed, utcunque his artibus Scribarum induſtria contineatur; reſtat tamen alia longè omnium præſtantiſſima nobiliſſimáque, quæ velut Colophonem cæteris omnibus adjiciat; compoſitionum videlicèt politicarum, diſſertationúmque, quæ tractandis Principum negotiis frequenter uſurpari ſolent, ac ſecretariorum induſtriæ committi. Quamobrem, gnaviter ipſi operam ponere debent, in lectione diverſarum ejuſmodi diſceptationum & inſtructionum; quæ *Latinè* quidem haberi poſſunt ab auctore *Theſauri Politici*; *Gallicè* verò à *Villa-Regio*, *Perrionio*, *Mornæo*, *Lanæo*, & variis anonymis; qui, à Temporibus *Franciſci Primi* ad hæc uſque, avidos rerum novarum animos famoſis * declarationibus & libellis, in ſuas partes allicere, ſubinde tentârunt; ac *Italicè* etiam ab eo, qui literas aut Principum, aut ad Principes ſimul collegit, ac in duos tomos digeſſit. Sed omnium meritò cenſentur utiliſſimæ digniſſimæque, quæ Politicorum mentibus atque oculis perpetuò obverſentur, *Cardinalis Oſſati Epiſtolæ*, utpote quæ graviſſimo ac planè ſenili cultu exaratæ ſunt, feraciſſimóque graviſſimarum rerum

* *Al. declamationibus.*

ac ſententiarum ingenio ; nuſquam laxæ, nuſquam molles, ſed ſemper æquales, ſemper Lectoris animum demulcentes detinentéſque, jucundiſſimâ rerum ac rationum varietate.

Libri ab omnibus politicis legendi.

Poſtquam igitur de auxiliis particularibus ſermonem inſtitui, quæ ad officium uniuſcujuſque viri Politici magis determinatè referri poſſunt ; reliquum eſt, ut generalia paulatim exequar, quorum doctrina omnibus æquè neceſſaria videtur eſſe, ac utilis. Atque, ut ab illo incipiam, quod Homines ad urbanioris vitæ rationem morúmque elegantiam componit, nec tantummodò proprias cujuſque actiones gratiâ quâdam & comitate temperat, ſed viam inſuper ſternit & præparat ad actiones civiles, modúmque docet cum ſingulis Hominibus rectè & ex officio atque decoro pertractandi : ſanè ipſum perbellè & eleganter expreſſiſſe videtur *Epiſcopus ille* peramœni virentiſque ſemper ingenii, qui *Galateum*, velut exemplar ingenuæ ac nobiliſſimæ educationis cæteris adoleſcentibus, tanquam ad imitandum propoſuit ; & *Marcus Tullius*, ac *Ficinus*, qui libros *de Officiis*, ambo quidem, quanquam diſpari ſtylo, & variâ docendi methodo, conſcripſêre. Quorum lectionem excipere poterunt præcepta vitæ Civilis *Stephani Guazii*, *Alexandri Piccolominei*, & *Fabricii Campani* ; nec non etiam *Nicolai Cauſſini*, *Antonii Guevarræ*, & *Reinardi Caſtorii*. Hi ſiquidem poſtremi, Civiles ſimul, ac Chriſtianas leges in unâ eâdemque tabulâ inſculpere tentârunt. A quibus tandem, ſi quis in Aulam vocatus fuerit, conſulere poterit oracula *Balthaſaris Caſtilionis*, & *Reſſugii* nobilis *Galli* : ut ab illis reſponſa ferat de Principum moribus, ac Aulicorum Technis & artibus, longè certiora, quàm ipſa unquam reddiderit

Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, Lauróque, profatur.

Præter

Præter quos *Canonherius* lápidem etiam in hunc acervum conjecit; nec inutilem, prout mihi quidem videtur, aut fruſtraneum: quandoquidem multa monet valdè ſcitu neceſſaria, quæ tamen alii, cùm graviores videri optarent, ſublimiáque tantùm atque ardua ſequuti, tanquam vilia omninò & abjecta neglexêre.

Secundum verò, quod adjumento non mediocri publicis rerum adminiſtratoribus, eſſe conſuevit, partim ab hiſtoriâ dependet; partim etiam à philoſophiâ, cùm naturali, tum morali, lucem mutuatur & accipit. Quâ præeunte, viam illi ſibi muniunt, ad latentes hominum affectus, atque mores, quibuſcum tractandi neceſſitas incumbit, faciliùs deprehendendos, eorúmque latentes ſenſus, velut è ſpeculâ, proſpiciendos. Abſque quorum diligenti fidáque exploratione, dubio procul *Andabatarum* more illis incedendum erit, qui negotia cum Hominibus tractant, quibus pectus ex *Momi* voto feneſtratum non eſt, aut cor, ut antiqui loquebantur, *diſclupeatum*; * ſed omnia cogitationum & affectionum animi ſecreta, velut atrâ nube, & Orci tenebris, obvelata gerunt: ut proinde in hâc *ſemiotice Morali*, non ſecùs ac in *Medicâ*, nihil quidquam tentari aut pronunciari debeat, non inſtitutâ priùs ſignorum phyſiognomicâ ſyndrome; quemadmodum illam efficere non ampliùs operoſum aut difficile cenſeri debet, poſtquam *Flaminiæ* decus æternum *Scipio Claromontius*, methodum ipſius abſolvendæ tam eleganter præſcripſit, in libro ante quinquennium *Venetiis* edito, de *conjectandis cujuſque moribus & latitantibus animi affectibus*. Quæ doctrina, cùm ad politicum relata, tria potiſſimùm complectatur, ſedulò quidem inveſtiganda; nempe mores atque inclinationes populorum, naturas & complexiones individuorum, & geſtuum atque actionum ſignificationes, quas, non minùs quàm Linguam, ſecre-

* *Al. ſed qui omnia &c.*

tiores aliquando cogitationes detegere notavit *Polybius*. Sanè, quantum ad illorum omnium inveſtigationem attinet, auctor eſt *Cardanus*, illam tutò & citò haurire poſſe ex communibus dicteriis, & proverbiis, quæ in ore vulgi communiter feruntur: quoniam hæc velut ex Adytis ſapientiæ prolata, & longâ annorum ſerie confirmata, rarò non veritatem præ ſe ferunt. Unde vellem omninò, ut alicui in mentem veniſſet, phyſiognomicum tractatum ex ſolis ejuſmodi veriverbiis contexere: quoniam ille, præterquam altiùs memoriæ tali pacto, Rythmorúmque aut verſuum concinnitate infigeretur; plus etiam in ſe veritatis contineret, quàm tot alii, ex philoſophorum placitis inſtituti. Ecquis enim diſtichum illud *Martialis* in ore non habet, tanquam conſtantiſſimâ exemplorum obſervatione comprobatum?

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine Luſcus;
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Aut quis de ſequentium fide, quæ ad facetum referuntur, & proverbii vicem obtinent, unquam dubitavit?

Inconſtans animus, oculus vagus, inſtabilis pes;
Hæc tria ſigna viri, de quo mihi nulla boni ſpes;
Rarò breves, humiles vidi, Ruſóſque, fideles,
Albos, audaces; miror magnos ſapientes.

Verùm, ut de ſuperioribus illis pauca ſigillatim moneam. Nationum inclinationes, diverſáſque ex locorum ſitu & Temperamento complexiones, præclaris rationibus demonſtrant *Hippocrates*, *libro de Aëre, Locis, & Aquis*; *Albertus magnus*, in Tractatu *de naturâ locorum*; *Joannes Bodinus*, in *Methodo Hiſtoriæ*; itémque in *Republicâ*, & *ejuſdem defenſione*; & *Fredericus Bonaventura*, in opere illo

variæ

variæ ac diffuſæ eruditionis de *octimeſtri partu*. Mores verò atque qualitates, undelibet aſcititias, & à diverſis accidentibus ortum ducentes, fusè etiam proſequuti ſunt auctores Geographici, Hodœporicique: ac *Garcias* quidam, atque auctor anonymus *Sfortianarum Quæſtionum*; quorum ille *Hiſpanorum* ſimul ac *Gallorum* ingenia minutiſſimè delineavit; Hic verò *Italorum* artes, ac in rebus & urbibus ſingulis receptas conſuetudines, tantâ diligentiâ expreſſit, ut nauſeam aliquando & faſtidium, vel patientiſſimis lectoribus injiciat. Horum autem ex Laboribus & Inventis, prodiit tandem, velut aurum ex Marchaſitâ, & uniones ex Matrice Conchâ, *Icon Animorum Joannis Barclaii*. Cui ego auctori, non modò præſtanti facundiâ, ſed omni genere Laudis, quæ ex literarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, nè ex illis quidem veteribus Romanis quenquam antepono. Hujus verò aut iſtius hominis, ſeu mavis individui, naturam triplici genere ſignorum conſequi poſſe, multi contendunt: quorum tamen primum ſolummodò tutum ac philoſophicum eſſe cenſeo; cùm ſecundum plus vanitatis habeat, quàm rationis; ultimum verò, ingenii potiùs in re quâdam Ludicrâ oſtentandi, quàm utilitatis gratiâ, ab eruditis quibuſdam fuerit excogitatum: ut hîc proinde, ſi mecum omnes conſentirent, de priori tantùm dicendum foret. Verùm, quia non ita forſan tibi, aut cæteris videbitur, age mi *Gaffarelle*, percurras diligenter libros *Ariſtotelis*, *Adamantiique*, & *Polemonis*; quibus ſolis emergere ex antiquorum naufragio, qui de Criſi phyſiognomicâ Libros ſcripſerunt, fatorum indulgentiâ conceſſum fuit. Ac inter recentiores, qui artem ejuſmodi ſcriptis explicârunt, potiores ſemper habe *Auguſtinum Niphum*, & *Camillum Baldum*, eruditiſſimos *Ariſtotelis* Commentatores. *Bartholomæumque Coclitem Bononienſem*, cujus integrum Librum convaſavit, ac

in

in ſuum opus Mathematicum tranſtulit, *Joannes Taiſnerus*, plagiarius inſignis, & imprudentior longè *Horatii Corniculâ*, cùm præterea tractatum etiam *de Magnete* à *Petro Peregrino Gallo* quondam editum, furto ſibi vendicârit; quod equidem velut per tranſennam obſervandum eſſe duxi, ut ſuus benè de Republicâ literariâ meritis honos aſſeratur, & ipſe *Taiſnerus*

Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,
Migret in obſcuras furaci mente tabernas.

Proximus à *Coclite* locus, *Petro Montuo* jure debetur. Cujus librum, inter diverſos, raritate ipsâ atque bonitate præſtantes, qui *Romæ* in inſtructiſſimâ Bibliothecâ *Eminentiſſimi Cardinalis Biſciæ* aſſervantur, oſtendit mihi ſingularis amicus noſter, & quem paulò ante dicebam natum eſſe ad augendum ætatis ſuæ decus, *Leo Allatius*: quamvis ipſum poſteà reſciverim *Typis Mantuanis* ſtatim ante urbis ipſius direptionem fuiſſe demandatum. Sed ultimum tandem in hâc arte eruderandâ explicandâque conatum, attuliſſe videri poteſt *Joannes Baptiſta Porta Neapolitanus*; cùm *Timplerus*, *Moldenarius*, *Goclenius*, & cæteri recentiores, longè infra limites jam ab ipſo prolatos conſtiterint; & ſi quam inde laudem retulerint, eam profectò methodi potiùs, ac compendiorum facilitate, quàm novâ rerum acceſſione obtinere meruerint. Cùm autem phyſiognomicis diſquiſitionibus, Metoposcopiæ & Chiromantiæ vanitates, velut appendices quædam ac laciniæ, ab hominibus illis, qui non integrâ Mentis poſſeſſione gaudent, continuò annectantur; conſentaneum eſſet, ut de *Antiocho Tyberio Ceſenate*, *Tricaſſo Mantuano*, *Indagine*, *Corvo*, *Samuele Fuchſio*, *Thadæo Hageccio*, *Cyro Spontone*, *Cardano*, & ſimilibus artis vaniſſimæ fautoribus, judicium proferrem, eorúmque libros &

Com-

Compoſitiones recenſerem; quemadmodum certè mihi omninò faciendum eſſet, ſi vatem aliquem fanaticum, aut circumforaneum nebulonem, cui mulierculæ frontem atque manus inſpiciendas præbere ſolent, fraudibus ac technis inſtruerem; non autem optimorum Librorum lectione politicum efformarem. Cui nec ejuſmodi nugis animum advertere, honeſtum eſt; nec fidem adhibere, tutum. Quod unum etiam ſtatuendum eſt de *Geloſcopiâ Proſperi Aldorifii*, & ejuſdem *Ideagraphiâ*; ac epiſtolari divinatione *Camilli Baldi*, & Libris *Melampi*, *Joannis Baptiſtæ Portæ*, ac *Ludovici Septalii de nævis*, aliorúmque de maculis unguium & onychomantiâ: quandoquidem iſthæc omnia ad ludicras potiùs quàm conjecturatrices ſcientias eſſe referenda, & monuimus anteà, & ipſæ vel ſolo nomine tales eſſe deprehenduntur, ut, præter vigilantium ſomnia, nihil quidquam continere poſſint. Quare, ut ad illud denique me conferam, quod, in Politicâ ſignorum ſyndrome, poſtremum ſuperiùs aſſignavi, Geſtuum videlicèt atque actionum ſignificationem: de hâc multa certè habent & egregia omninò, *Nicolaus Cauſſinus* in *Parallelis Eloquentiæ*, & *Cardanus in Libris de Sapientiâ*, & *de utilitate capiendâ ex adverſis*. Sed Artem integram fœliciter abſolvit Auctor quidam *Italus* in prægrandi & curioſo volumine, cui appellationem ipſe fecit, ex operis ſubjecto atque materiâ deſumptam, *Arte de Cenni*.

Cognitionem hominum, excipit proximè Cognitio Regnorum, & adminiſtrationis publicæ Statuum omnium, qui, in *Europâ* præſertim, ac inter Principes Chriſtianos, propriis ſe Legibus gubernant; Libertatémque ſuam ab aliorum incurſibus & violentiâ ſartam tectámque, quantum in ipſis ſitum eſt, communibus auxiliis tuentur & defendunt. Hæc autem cognitio, quia partim ab Hiſtoricis, partim etiam à politicis ſcriptoribus dependet;

pendet ; tertium idcircò Caput inter communes ſuppetias conſtituit. De quo multa quidem in genere dixerunt, *Boterus in Relationibus politicis*, *Sanſovinus de Gubernatione Regnorum*, & *Auctor Gallus Theſauri Statuum omnium*, & *Regnorum* quæ nunc in mundo ſtabilita reperiuntur. Quem unum, ſi paulò plus diligentiæ atque fidei in iſtâ congerie adhibuiſſet, reliquorum loco habendum eſſe, minimè dubitarem. Sed qui magis determinatè de uniuſcujuſque Reipublicæ ſtatu cognoſcere deſiderat, is adire poterit, quos audivi quondam à celeberrimis hominibus ſummoperè commendari, *Vbertum Foliettam*, qui de *Genuenſium*, & *Nicolaum Contarenum*, ac *Donatum Ianottium*, qui de *Venetorum Republicâ*, præclaras olim Lucubrationes edidêre. Verùm ne tibi fortè coronam in muſtaceo ambire videar, aut gloriam potiùs ex ingenti auctorum nomenclaturâ deſiderare ; parco illos omnes ſigillàtim referre, qui *nitidiſſimis Elzeviriorum Typis ſimul collecti habentur*, ac ſuis quique locis ac voluminibus tam ingeniosâ ſerie diſpoſiti, ut qui de *Italiâ* antiquâ & novâ, qui de Regnis *Angliæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Sueciæ* & *Daniæ*, qui de Imperio Orientali Occidentalique, aut *de Venetorum*, *Helvetiorúmque Republicâ*, ac reliquarum Gentium adminiſtratione ſcripſerunt, totidem velut Enchiridiis & manualibus Libris includantur, maximâ certè politicorum hominum utilitate, & doctrinæ ipſius acceſſione haud prorsùs futili vel pœnitendâ.

At verò, cùm ea quæ hactenùs à nobis adducta ſunt, materiam Politicæ ſubminiſtrent ; tum verò formam huic addit Prudentia : cùm virtus fermè unica ſit, quâ conſtituuntur augentúrque Reſpublicæ. Illa autem ab eventu rerum procedit ; & eventus non niſi ab Hiſtoriâ, aut ab uſu dijudicatur. Quare, cùm nihil aut parùm uſu homines ipſi conſequantur, dum, inter anguſtias brevioris

vitæ

vitæ recluſi, citiùs ferè ad metam perveniunt, quàm obſervare oculis potuerint rerum humanarum flexus & reciprocantes periodos; reliquum eſt, ut Hiſtoria, non quidem unius ætatis regioníſque finibus circumſcripta, ſed omnium ſæculorum gentiúmque res geſtas complexa, prudentiam politicam informet atque inſtruat. Quanquam enim non certâ quâdam & immutabili ſerie res humanæ volvuntur; magnáque earum varietas & inconſtantia eſt, ut hoc ipſum, quemadmodum dicebat *Agatho*, veriſimile ſit, multa, præter id quod veriſimile eſt, evenire: plerumque tamen à ſimilibus, ſimilia exiſtunt: neque ulla certior regula eſt judicandi, quò quæque res evaſura ſit, quàm inſpicere, quem exitum ſimilia in longinquitate temporis ſæpiùs ac frequentiùs habuerint: quod equidem præſtat abundè Hiſtoria: quam, non ut *teſtem modò Temporum aut Magiſtram vitæ*, ſicut illam definiebat *Tullius*; ſed velut conglobatam, coacervatámque ex omnibus partibus ſapientiam, Summus Imperator *Baſilius Leoni* filio imperaturo impensè propterea commendavit. Sed, etiamſi maximum in illâ ſubſidium repoſitum eſſe videatur; vix tamen iſtud abundè unquam ſe prodit atque manifeſtat, niſi priùs auctores illi, tanquam pararii, in conſilium advocentur, qui de hiſtoriis ordine & methodo conſcribendis evolvendíſque, proprias leges tulerunt. Ex quibus eruditione quidem & judicio Principes audiunt *Joannes Bodinus*, & *Franciſcus Patricius*: ſed neſcio tamen quomodò, difficiliores exiſtunt, quàm ut omnibus placere poſſint; non ſecùs profectò, ac in philoſophiâ Metaphyſici. E contrario verò *Poſſevinus*, nimiâ quaſi facilitate atque negligentiâ, mediocribus tantùm ingeniis arridere poteſt. In reliquis *Lucianus* & *Boccalinus*, pro Hiſtoriæ veritate & nobilitate acerrimè depugnant. *Bernartius* judicium cum eloquentiâ conjunxit. *Maccius* & *Benius* aut nihil

præter

præter verba dicunt, aut futilia tantùm & abſurda loquuntur. *Popelinerius* non tam methodum Hiſtoriæ, quàm Hiſtoricorum nomenclaturam inſtituit. Cæteri verò, qui ſimul gemino volumine collecti circumferuntur, velut *Ægyptus Homerica*, & bona multa habent & mala etiam non pauca. Unde cùm Eruditiſſimus Eloquentiæ Profeſſor, *Auguſtinus Maſcardus*, ſuam quoque de Hiſtoricâ methodo ſententiam, ſcriptis ſe aliquando declaraturum eſſe promiſerit, fateor, me iſtius diutinâ quidem expectatione ſupra modum torqueri; quoniam, ut ingenio atque naturâ præſtanti nemini concedit; ita multa inſuper obtinet variæ lectionis & ſcientiarum præſidia: queis adjutus, non ſecùs in ejuſmodi Tractatione, quàm in cæteris facere conſuevit:

——*Se quoque poſſit*
Tollere humo, victórque virûm volitare per ora.

Interim verò Politicorum ſtudiis non alias leges præſcribam, niſi ut, inter evolvendum cujuſcunque Gentis ac Regionis Hiſtoricos, illis præſertim immorentur & aſſueſcant, qui non tantùm rerum eventus, aut acta Principum, belláque hîc & alibi geſta, ſed omnium latentes cauſas ſubindicant, Conſilia explicant, Judiciúmque de ſingulis brevi & argutâ ſententiâ proferunt; quod velut anima cenſetur totius ſuſceptæ narrationis. Reficit enim lectorem ſuum is ſcribendi modus jucundiſſimæ pabulo lectionis, afferitque cautionem in agendo, & ſpiritum in præcavendo. Neque dubium eſt, quin ex ſolidâ aliquâ ac ſucci & ſanguinis plenâ narratione, major utilitas, ac uberior longè percipiatur delectatio, quàm ex eâ, quæ nudè res ipſas proponit, jejunas quidem, & ariditate judicii languentes, ac fermè enectas. Hujuſce generis verò, licèt apud antiquos, plures extiterint, apud quos tempora

tempora meliora, Cœlum benignius, Præcipua ſtudia Principum, & Romani Imperii Majeſtatem, Hiſtoriam pariter meliorem effeciſſe, multorum eſt opinione confirmatum : habuit tamen & noſtra ætas Hiſtoricos, maximi & judicii, & plurimæ certè eruditionis : neque unquam ſuperiori ſeculo tam pertinaciter iratus fui, quin paria cum Majoribus virtutum exempla, in *Paulo Æmilio*, *Petro Bembo*, *Leonardo Aretino*, *Pandulpho Collenutio*, *Joviano Pontano*, *Polydoro Virgilio*, *Paulo Jovio*, *Thuano*, *Guicciardino*, & ſimilibus agnoſcerem : ut hîc de *Philippo Cominæo* dicere prætermittam, qui eâdem Libertate *Ludovicum ſuum* depinxit, quâ ipſe vixerat : tantúmque ſibi exquiſito judicio veræ gloriæ comparavit, quantum ille triumphis & Imperio.

Verùm, quoniam Antiquorum Hiſtoria non minus ſancta eſt, quàm ſanctum dicit eſſe *Horatius vetus omne Poema*, & *Juvenalis*, *Homerum*, propter mille annos ; atque judicia, quæ de illis liberè proferuntur, minùs invidiæ ſubjacent : ſanè Græcam *Thucydidis* & *Polybii*, Latinámque *Salluſtii* & *Titi Livii*, cæteris omnibus præferendam eſſe cenſeo ; ſeu gravitatem in illis, ac majeſtatem operum ſpectes, ſeu puritatem ſtyli judiciíque integritatem, ſeu denique omnes Hiſtoriæ rectè conſcribendæ leges requiras. Quas ipſi adeò concinnè fœlicitérque obſervarunt, ut, nè tranſverſum quidem unguem ab illis unquam deflexiſſe, jure meritò arbitrari poſſint. Quod idem de *Cornelio Tacito* dicerem, ſi cum reliquis promiſcuè in Hiſtorici Theatri ſcenâ conſpiceretur. At verò, quoniam ſedet ipſe velut omnium Princeps, ac Imperator in *Orcheſtrâ*, aut potiùs ſedem ſibi fecit in *Machinâ*, ex quâ cum ſtupore & admiratione politicas difficultates componit, virtutum ſuarum Majeſtate omne faſtigium humanum excedens ; certè conſultius eſſe mihi perſuadeo, non hunc tenui ſermone velut hominem,

hominem, ſed eloquenti ſilentio Deitatis inſtar venerari. Unde, ſi pueri, olim Juris Civilis ſtudium auſpicaturi, Leges XII tabularum, tanquam Carmen neceſſarium, ediſcebant; cur non & Politici Reipublicæ Clavum gubernaturi, hujus auctoris ſcripta memoriæ penitùs commendabunt, à quibus exempla ſimul atque oracula petant, ipſius Reipublicæ benè fœlicitérque adminiſtrandæ?

Pertinet etiam ad Politicos, in iſto genere Hiſtoriarum diligenter verſari, quæ nimiâ ſuâ libertate, nè dicam audaciâ, proximè ad libellos famoſos accedunt: dum ſecreta Principum, occultáſque fraudes & nequitias Miniſtrorum, ac omnia, quæ in politicis Regnorum adminiſtrationibus, velut ſacra Eleuſinia, nocte quâdam obſcurâ tegi debent, in apertum proferunt, nudámque & ſine veſte *Dianam* unicuique profano conſpiciendam præbent: quemadmodum omninò feciſſe exiſtimandi ſunt *Procopius, Matthæus Paris, Theodoricus à Nihem. Petrus de Alliaco, Clemangis, Machiavellus,* & *Auctores anonymi tot conclavium, Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Ephemeridis propudioſæ Ludovici XI. compilationis rerum ad Hiſtoriam Caroli IX.* & *Sacram Rebellium Galliæ unionem pertinentium*; ac alii denique ſimiles Libelli qui ſtatim in vulgus effundunt, *Quid Rex in aurem Reginæ dixerit. Quid Juno fabulata eſt cum Jove.* Hi autem omnes, quoniam facta plerumque atque infecta canunt; Nunciíque tam ficti quàm veri tenaces exiſtunt; & Sacris Eccleſiæ conſtitutionibus eorum lectione interdicitur; judicio propterea in omnibus opus erit, & acceptâ à Magiſtro Sacri Palatii, aut ipſomet Summo Pontifice, ſi opus erit, Licentiâ.

Ultimas tandem in Hiſtoriâ tenent libri Originum, & Gentium ac familiarum Diſtributiones, ſeu Genealogiæ; quoniam minus in ſe veritatis ac fidei continent, dum ſuis quiſque blanditur * principiis, & familiæ dignitatem ab ipſis redimere contendit.

* *Al. Principibus.*

tendit. Quorum venalis calamus, & fami tantùm, non autem famæ ſcribens, omnia ſuſque déque habet; ut, pro adulteratis plerumque antiquioribus monumentis, non adulterinos nummos poſſit expiſcari. Adeò nempe rari ſunt, qui *Andreæ Quercetani*, ſummi profectò in familiarum hiſtoriâ Magiſtri, probitatem, Judicium, doctrinam conſequi unquam valuerint, ut Principibus viris inſervire poſſint fideliter, ipſiſque ſine fuco vel adulationis ullius ſuſpicione

Majorum pictos à Tergo oſtendere vultus.

Sed neque tam neceſſaria videtur eſſe Politicis, genealogica ipſa domorum illuſtrium ſeries, ut quarundam innocentiam graviter ferre debeant ab *Ammirato* vel *Sanſovino* fuiſſe violatam; cùm *Fulvius* Urſinus, Antonius Auguſtinus*, & *Riccardus Streinius*, illas tantùm deſcripſerint, quæ ad eruditam antiquioris ævi Hiſtoriam, non autem ad iſtius temporis Civilem pertinent: ſuprà nominati verò *Sanſovinus* & *Ammiratus*, atque *Zazzera*, qui majori fide onus iſtud ſubiit, de familiis quidem *Italiæ* & illuſtriſſimis & vetuſtiſſimis ſermonem inſtituerint; ſed quarum tamen gratiâ vix quidquam periclitetur, ſi quid in illarum recenſione fuerit ab ipſis auctoribus, aliter quàm verum ſit, definitum. Quare reſtant ſolummodò ſtemmata Principum Chriſtianorum, & *Reuſneri*, ac aliorum in hoc genere Lucubrationes; quæ, propter Regum ac Principum inter ſe negotia, Jura, Prætenſiones, Matrimonia, Succeſſiones, & id genus alia, diligentiorem paulò operam requirunt, ſtudiúmque politicum exercent, in ipſarum originum veritate, cùm alicujus difficultatis occaſio emerſerit, ſedulò quidem penſitanda inveſtigandáque.

* *Al Urſius, Antonius, Auguſtinus, & Riccardus Streinius, &c.*

Denique, cùm tot ubique libri ſemper haberi non poſſint, difficillimúmque ſit, quod inquit comi-

cus, ſitis fauces cùm urget, puteum fodere; quintum idcirco, ac ultimum generale præſidium in illis auctoribus conſtituimus, qui varia ſimul collegerunt, materiámque velut in titulos communes hinc & inde repoſuerunt: ex quibus poſtmodùm cæteri in difficillimis aut in præmeditatis actionibus, quidquid animo libuerit, efformare poſſint. Horum autem nonnulli materiem tantùm, Ligna, Clavos, Lapides, Trabes, Saxáque ipſa & Marmora præparárunt; ut *Danæus*, *Sanſovinus*, *Lottinus*, *Antonius Pereſius*, & *Guicciardinus* in ſuis axiomatibus nudè & ſimpliciter tantùm enunciatis; * *Richerus* in iiſdem, ſed valdè utili & prolixâ exemplorum congerie declaratis; *Joannes à Chokier in Aphoriſmis*, in quibus eodem penè ſtylo ac ſuperior ille, procedit; & *Ludovicus Regius in Monarchiis*, *Gallico* quidem, nec valdè ingenti volumine exaratis, ſed ingenioſo tamen, propter parallela quædam politica, quæ vix forſan alibi, pari ſtudio collecta reperientur. Alii verò non materiam tantùm collegerunt, ſed ipſam in varios Diſcurſus effinxerunt; & titulorum ſolummodò ac quæſtionum varietate prioribus iſtis debent accenſeri, cùm cæteri docti libros induſtriâ atque judicio valdè præſtantes compoſuerint; ut *Paulus Paruta*, Deus in hoc ſcribendi genere; *Summanus*, *Mornixius*, *Frachetta*, *Verulamius*, *Marettus*, *Zuccolus*, qui eodem fermè paſſu ad gloriam properant; & *Picardus*, *Junius*, *Scherbius*, ac alii diverſi, qui non niſi inter deos minores debent recenſeri; *Nuæi* diſcurſus devium à verâ fide, & militarem auctoris animum ardore ipſo ac libertate dicendi, præ ſe ferunt: *Boccalinus* gratiſſimâ ſtyli novitate Cúrra& xỳ Cúμβαμ& cum *Apolline* in *Parnaſſo* ſedet, poſtquàm mortalis deſiit fieri, nugáſque verbis humidis & lapſantibus defluentes, non ampliùs inter ſatyricos ſpargit, ſed à ſuis imitatoribus prola-

* *Al Richierus.*

tas

tas, gratiâ ac lepore perfundit. Cæteri denique, ac omnium poſtremi, vix à ſuperioribus illis diſſident, niſi quòd, non eâdem Libertate uſi, auctoris alicujus præcipui ac anteſignani placita ſibi ad diſcurrendum propoſuerint. Quo genere explicationis, *Titum Livium* haud mediocriter illuſtravit *Scriba Florentinus*, qui quidem, ut optimè notat *Albericus Gentilis*, in Hiſtoriarum lectione non grammatizat, ſed philoſophatur; & *Guicciardinum*, *Remigius Florentinus*; atque *Calderinus*, *Boterum*. Sed quemadmodum aves illuc turmatim advolant, ubi copioſæ meſſis ſpes affulget; & homines eò ſponte feruntur, unde plus honoris ac gloriæ ſibi promittunt: ſic multò plures commentarios ejuſmodi in *Tacitum* edidêre, ex quibus *Scipio Ammiratus* & *Cauriana*, ac *Comes Malvezzius* palmam ſibi meritò concedi poſtulant. *Gruterus* & *Forſtnerus* plus eruditionis ad hunc conatum attulêre, quàm Politicos decebat. *Paſchalis* denique, tanquam impiger *Xenogagus*, theſauros iſtius Auctoris non quidem effundit, ſed virgulâ tantùm oſtendit atque ſubindicat.

Quæ omnia an ita ſe habeant, tuum eſt modò explorare *Literatiſſime Gaſſarelle*, qui in famoſiſſimâ totius mundi Academiâ, in cœtu doctiſſimorum Virorum, in communi Emporio omnis generis Librorum, vitam degis utiliter, ſuaviſſiméque. Ego verò, qui in hoc *Flaminiæ* angulo, in iſtâ *Phycoclenſi* ſolitudine, inter paludes & pineta *Cerviæ* exilium patior voluntarium, ubi nec librorum præſidia poſſum invenire, nec doctiorum, præterquam unius *Slingelandi* experiri conſilia; poſſem tibi idem meritò ſcribere, quod *Ovidius* ad Amicum;

Naſo, Tomitanæ jam non novus incola Terræ,
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.

Sanè, ita me provexit tibi satisfaciendi ardor, ut levem hanc narrationem statim expresserit. In quâ si quid tumultuariâ operâ, aut festinante calamo dictum est; si quid dictionis illuvie aut neglectu exaratum; Tu hæc omnia, & si quæ alia inter legendum animadvertes, quæ me fugerint, fefellerintve, æqui boníque, ut arbitror, consules, qui mihi tam acres, ad istius compositionum, stimulos admovisti.

FINIS.

INDEX Locupletiſſimus

Auctorum, Rerum, & Verborum, quæ tam in *Relectionibus*, quàm *Bibliographiâ* reperiuntur.

A.

Abdias Babylonius, ſcriptor ſuppoſititius. p. 131
Abenrois. p. 237
Acciajolus. p. 238
Accoſta. p. 259
Adamantius. p. 281
Ægidius Romanus. p. 238, 266
Æmylius Veronenſis, qualis ſcriptor. p. 80, 287. *Ejuſdem elogium.* p. 80, 108
Æneas Silvius. p. 270
Æthiopiæ Hiſtorici. p. 120
Ævum fatale urbibus evertendis. p. 192
Africi Hiſtorici. p. 120
Agapetus Diaconus. p. 250
Agathias laudatur. p. 76. *quando legendus.* p. 144
Geor. Agricola. p. 259
Albergatus. p. 245, 253, 273
Alberti Crantzii Metropolis. p. 155. *quouſque hiſtoria in eâ perducta.* Ibid.
Albertus Magnus. p. 237, 280
Aldoriſius. p. 283
Aletes Urbis Corinthi Conditor. p. 191
Alexander Aphrodiſeus. p. 233
Alexander M. Tertiæ Monarchiæ fundator. p. 45. *Illius res geſtæ à variis auctoribus ſcriptæ.* ib. & ſeq.
Allatius. p. 282
Alliaco. p. 254, 257, 288
Americæ Hiſtorici. p. 120
Amm. Marcellinus laudatur. p. 74. *quot libros ſcripſit, quorum quot extant.* 75. *quando floruit.* ib.
Ammiratus. p. 289, 291
Anaſtaſius Bibliothecarius laudatur. p. 157
Andreas. p. 255
Andreas Duchenius edidit varios Rerum Normannicarum ſcriptores. p. 89
Andronicus Rhodius. p. 236
Animæ Moribundorum, longè ſapientiores, & quare. p. 267
Annæ Comnenæ Alexiada. p. 149. *Ejuſdem Heroinæ laudes.* p. 150
Antoninus Imp. p. 269.

INDEX.

Appianus Alexandrinus qualis scriptor. p. 61
Aquinas. p. 237, 246, 256, 266
Arabum Historici. p. 117
Aretinus. p. 239, 287
Argyrophilus Byzant. p. 238
Arianus. p. 236
Aristides Rhetor. p. 250
Aristoteles. p. 233, 238, 239, 240, 241, 281
Arnobius. p. 256
Arriani Nicomed. Libri octo. p. 45. *Elogium ejus.* p. 46. *quo tempore claruit.* ib.
Aspasius. p. 236
Asserii Menevensis Historia laudatur. p. 87. *quando legenda.* ib.
Assyrio-Chaldaici Imperii institutio, & duratio. p. 22. *Illius Historia unde petenda.* p. 30, 31
Auctor Arte de Cenni. p. 283
Auctor Compilationis Rerum ad Historiam Caroli IX & sacram Rebellium Galliæ unionem pertinentium. p. 288
Auctor Historiæ Concilii Tridentini. ib.
Auctor Ephemeridis propudiosæ Ludov. XI. ib.
Auctor Sforsianarum Quæstionum. p. 281
Auctor Thesauri Politici. p. 277
Auctor Statuum & Regnorum, &c. p. 284
Auctores Anonymi Conclavium. p. 288
Auctores Methodi conscribend. & legend. Histor. p. 285
Auctores Rerum-publicarum, Typis Elzevirior um editi. p. 284
Auditio lectioni præferenda. p. 9
Averroës. p. 242
Augusti Cæsaris mos in Historiis evolvendis. p. 185
Anto. Augustinus. p. 289
D. Augustinus supponit Romuli & Remi Historiam esse veram. p. 199
Ludov. Aurelius. p. 280
Aurelius Victor, qualis auctor, & quando legendus. p. 72
Andr. ab Auria. p. 273
Austrorum Historici. p. 101
Author. vid. Auctor.

B.

CAM. *Baldus.* p. 271, 272, 281, 283.
Balduini censura de Amm. Marcellino. p. 74
Balæi censura de Galfridi Monumethensis Historia. p. 85
Balsacus. p. 267, 276
Balthasar Gallus. p. 260
Barberinus. p. 271
Joan. Barclaius. p. 281
Barletta. p. 270

Barlæus. p. 237
Baronii judicium de Mat. Pariſienſi. p. 87. Ejuſdem Annales, Magdeb. Centuriis pares. p. 163. opus planè ſtupendum. ib. Caſauboni de eo judicium. ib. & ſeq. Item Montacutii. p. 164. Cautè legendum, & quare. p. 165
Barthii Teſtimonium de Hiſto. Auguſtæ ſcriptoribus. p. 70
Baſilius Imp. p. 268, 285
Batavorum Hiſtorici. p. 113
Bauderius. p. 254
Baudius. p. 258
Bedæ quouſque vixit. p. 147. Annales ejus quando legendi. p. 158. quo tempore floruit. ib.
Belgarum Hiſtorici. p. 113
Bellarminus. p. 267
Vincen. Bellovatenſis. p. 269
Bembus. p. 275, 287. Venetorum Hiſtoriam ſcripſit. p. 81
Benius. p. 285
Bernartius. ib.
Bernia. p. 276
Beroſi ſcripta ſuppoſititia. p. 30
Beureri ſynopſis. p. 27
Bieſius. p. 243
Biragus. p. 263
Blondus Forlivienſis Hiſtoriam 1030 Annorum pertexuit. p. 77. quando legendus. p. 154
Blondus Forojulienſis. p. 158
Boccalinus. p. 285, 290
Bodini argutatio de quatuor ſummis Monarchiis. p. 20. Ejuſdem elogia. pag. 244. Liber ejus de Republicâ. ib. 280. De Rerum ſublimium Arcanis. p. 254. Methodus Hiſtoriæ. p. 280
Bohemorum Hiſtorici. p. 107
Fred. Bonaventura. p. 252, 280
Bonfadius. p. 276
Boët. à Boot. p. 259
Boruſſorum Hiſtorici. p. 106
Joan. Boterus. p. 251, 258, 260, 262, 284
Bozius. p. 250
Tho. Bradwardinus. p. 256
Bragaccia. p. 274
Brevius. p. 260
Nath. Brent. Hiſtor. Concilii Trident. Interpres. p. 167
Britannia, totius Orbis inſula celeberrima. p. 93
Brunus. p. 258, 274
Bucholceri Chronologia. p. 28
Buntingus. ib.
Buridanus. p. 237, 247
Auger. Busbequius. p. 255, 260

C.

JUL. Cæſaris Commentarii, laude digniſſimi. p. 63. de Bello Gallico. p. 259
Cæſii Mexicana. p. 259

Calderinus. p. 291
Caligulæ liver. p. 202
Callisthenes. p. 232
Calvitii Chronologia. p. 28
Camdeni Britannia laudatur. p. 82. *Judicium ejus de Guliel. Malmesburiensi.* p. 84. *Ejusdem Annales.* p. 90. *Elogium ejus.* ib. & p. 222
Camerarius. p. 238, 247
Camilli fides. p. 200. *Inde axiomata.* ib.
Campanella. p. 235, 246, 260
Campanus. p. 278
Canonherius. p. 274, 279
Cantacuzenus quando legendus. p. 152. *A Vossio laudatur.* ib.
Melc. Canus. p. 257
Capelli Historia Sacra & Exotica, lectu dignissima, p. 27
Capitolinus. vid. Historiæ Augustæ Scriptores.
Hieron. Cardani Prozineta, &c. p. 239
Cardanus. p. 282, 283. *de subtilitate.* 254
Carolus Imp. p. 268
Joan. Casa. p. 271
Cassander. p. 257
Castalio. p. 243
Castilio. p. 278
Rein. Castorius. ib.
Alphon. Castrensis. 257
Cataclysmi. vid. Diluvia.
Catonis Majoris triplex elogium. p. 190. *Ejus obitus.* p. 191. *Circa ætatem ejus dissensio.* ib. *Adversus Carthaginem odium.* ib.
Cato auctor geoponicus. p. 239
Cauriana. p. 291
Caussinus. p. 278, 283
Cedrenus quando floruit. p. 148. *Scaligeri & Vossii de eo judicia.* ib.
Celtæ. vid. Gallorum Historici.
Centuriatores Magdeburgici quale opus ediderunt. p. 159. *Montacutii de eo judicium.* ib. & seq. *Quid in eo laudabile.* p. 160. *Materies ad structuram unde collecta.* p. 161. *Centuriatores erroribus obnoxii.* p. 162. *Opus tamen ipsum, valde utile.* ib. & seq.
Jul. Cerius. p. 260
Tyb. Cesenas. p. 282
Chalcocondylas. p. 117, *Ejus historia quando legenda.* p. 153. *unde orditur, & quot annorum res complectitur.* ibid.
Charondas. p. 235
Chassanæus. p. 261
Chokieri Thesaurus Aphoris. politicorum. p. 198, 274
Christiana Ecclesia. vid. Ecclesia Christiana.
Christiani Ethnicorum exemplis utiliter possunt instrui. p. 203
Chromerus Polonorum Historiam

ſtoriam ſcripſit, p. 81
Chronicon Hirſhavenſe, & & *Paralleipomena ei adjuncta quando legenda*. p. 155
Chronologiæ notitia, hiſtoriarum lectori apprimè neceſſaria. p. 182
Dio Chryſoſtomus. p. 250
Ciceronis libri ſex de Republicâ. p. 241. *de Officiis*. p. 278
Clapmarius de Arcanis Imperiorum. p. 251
Scip. Claromontius. p. 251, 279
Claudianus poëta. p. 265
Clemangis. p. 288
Cluſius. p. 259
Barth. Coclites. p. 281
Coëffetæus, p. 234
Cœnalis. p. 259
Cognominandi mos antiquus. p. 192
Collenutius. p. 287
Hip. à Collibus. p. 262, 272
Columella. p. 239
Cominæi encomia. p. 80, &c. 109, 270, 287
Conſcripti qui dicti. p. 196
Conſtantinus. p. 239
Conſulares qui dicti. p. 195
Nic. Contarenus. p. 284
Corinthi urbis conditus, & duratio. p. 191. *quis illius conditor*. ib.
Cornæus. p. 252
Corteſius. p. 273
Corvus. p. 282
Coſtius. p. 255
Crito. p. 233
Emeric. Crucæus. p. 258
Cteſias quando floruit. p. 30. *qualis ſcriptor*. ib. *Ejus fragmenta tantùm ſuperſunt*. ibid.
Cublai fuit pater Tamerlanis. p. 119
Q. Curtius qualis ſcriptor. p. 46. *quando floruit*. ib.
Cuſpiniani Hiſtoria laudatur. p. 78
Cyrus Magnus Medo-Perſici Imperii fundator. p. 33. *canis fœminæ tutelâ & lactatione, ſalvus evaſit*. p. 199

D.

D Allingtoni Aphor. p. 198
Danæus. p. 290
Danorum Hiſtorici. p. 104
Darii Regis legati oratio coram Alexandro M. p. 202
Dathus. p. 276
Tho. Delamoore de vitâ & morte Edvardi Secundi. p. 88
Delfinius. p. 255
Diaconi Hiſtoria Miſcella quando legenda. p. 75, 144
Diluvia quot, quando inciderint. p. 15
Diodori Siculi Antiquitates non extant integræ. p. 31, 44. *Earum jactura unde ſar-*

ſarcienda. p. 32. *βιβλιοθήκας nominárunt Antiqui.* p. 31. *Diodorus defenditur.* p. 32. *Elogium ejus.* 44. *varias regiones peragravit.* ib. *quot annos impendit ſcribendæ Hiſtoriæ.* ib. *quouſque deduxit.* p. 45 *quibus auctoribus ampliandæ.* ib.

Diogenes Laërtius laudatur. p. 32

Dionis Caſſii Hiſtoria laudatur. p. 64. *quot libros ſcripſerit.* 65. *eorum quot perierè, & quot extant.* ib. *qualis ſcriptor.* ib.

Dionyſius. vid. Halicarnaſſeus.

Diſpungere quid, & unde dictum. p. 194

Doletus. p. 274

Duretus. p. 250

E.

EAdmeri Hiſtoriæ Novorum quando legendæ. p. 87

Eccleſiæ Judaicæ Hiſtoria unde petenda. p. 126

Eccleſiæ Chriſtianæ Hiſtoria, unde primò requirenda. p. 131

Eccleſ. Chriſtianæ prima ſæcula pauci deſcripſerunt. ib. & ſeq.

Eccleſiæ Hiſtoria cum curâ legenda. p. 134. *In ejus lectione quales eſſe debemus.* ibid.

Ab Eccleſ. Hiſtoriâ fructus uberrimi colligendi. p. 208. *Ethnicâ longè præſtantior.* 209. *ideóque lectione dignior.* ib. & ſeq.

Eccleſiæ Hiſtor. antiquiſſimi ſcriptores, recentioribus anteponendi. p. 135

Eccleſiæ Hiſtor. Scriptores rariſſimi in 7, 8, 9, & 10mo Eccleſiæ ſeculo. p. 146

Eccleſiæ Hiſtoria tertio tandem ſeculo floruit. p. 136

Eccleſiaſtes, & Eccleſiaſticus, libri lectu digniſſimi. p. 234

Epictetus. p. 232, 233

Epiphanius Scholaſticus. p. 140

Epocha quid, quotuplex. p. 14, 15

Eraſmus. p. 235, 259, 266, 270

Ethnicorum Exempla Chriſtianis utilia. p. 203, & ſeq.

Ethnicorum bona opera, ſplendida peccata. p. 209

Evagrii de Sozomeno teſtimonium. p. 143. *ubi ſuam inchoat Hiſtoriam.* 144. *quouſque continuat.* ib. *quando floruit.* ib. *quot libros ſcripſit,* ib.

Euſebius Cæſarienſis quo tempore floruit. p. 73. *Hiſtor.* Eccle-

Eccleſiaſticæ Pater. 137 *Libri ejus de vitâ Conſtantini, quales.* ib. *Scripſit Martyrum* Hiſtorias. ib. *quod Opus, cum pluribus illius aliis, periit.* p. 138. Hiſtoriæ *ejus* Eccleſ. *qualis auctoritas.* ib. *An fuit Arianus,* p. 139. *quoiſque* Hiſtoriam *continuat.* ib.

Euſtrathius. p. 236

Eutyphro. p. 233

Excerpendorum quot genera in Hiſtoriarum *lectione.* p. 186. *Quotuplex ſit modus excerpendi.* p. 188. *Exemplis illuſtratur.* p. 189, & ſeq.

Ex-conſules, ex-prætores, qui ſic dicti. p. 195

Exempla de hiſtoriis excerpenda. p. 197. *Eorum uſus duplex.* 198

Exempla Ethnicorum Chriſtianis utiliſſima. p. 203, & ſeq.

Expuncta quæ dicantur. p. 195

F.

FAber Stapulenſis. p. 238, 247

Fabricii fides. p. 200. *Inde axiomata.* ib.

Felix. vid. Minutius.

Feraldus. p. 261

Ferrerius. p. 243, 245, 258

Marſil. Ficinus. 256, 278

Flandrorum Hiſtorici p. 112

Florentiæ urbis Hiſtorici. p. 123

Luc. Flori laus. 52. *doctorum de eo judicium.* ib. & ſeq. *Non eſt idem cum Livii Epitomaſte.* 53. *Hallucinationes ejus excuſantur.* ib. *Scribendi methodus.* ib. *unde errores veroſimiliter irrepſerint.* ib.

Ubert. Folietæ ſententia de Hiſtoriarum *lectore & ſcriptore.* p. 174. *De Genuenſium Republicâ.* p. 284

Forſtnerus. p. 291

Sebaſt. Foxii Sententia de Hiſtoriarum *lectore, & ſcriptore.* p. 175. *De Ethicâ ſcripſit.* p. 235, 248, 266

Hieron. Frachetta. p. 251, 266, 290

Franci. vid. Gallorum Hiſtorici.

Fritſius. p. 242

Sam. Fuchſius. p. 282

Furcii Chronologia. p. 28

G.

GAius. p. 258

Galateus. p. 278

Pet. Galatinus. p. 255

Galfridus Monumethenſis quare non legendus. p. 84. *ſuper ejus* Hiſtoriâ *variorum cenſuræ.* ib. & ſeq.

Gallorum Hiſtorici. p. 108, *&c.*

Targ.

Marq. Gallutius. p. 247
Garcias ab Horto. p. 259, 281
Pomp. Gariglianus. p. 248
Garraudus. p. 259
Scip. Gentilis. p. 274
Genuæ Historici. p. 122
Geographiæ notitia, Historiarum lectori necessaria. p. 183
Gerardus. p. 237
Germanorum Historici. p. 98, &c.
Germonius. p. 274
Gesnerus. p. 259
Giphanius. p. 238, 247
Victor Giselini judicium de Sulpitii Severi Historiâ sacrâ. p. 128
Gobelini Personæ Cosmodromium. p. 155. *ejus laus.* ib.
Goclenius. p. 282
Godwini Annales. p. 90
Jacob. Gohorius. p. 277
Gothorum Historici. p. 103
Gotofredi Libri Ceremoniales. p. 262
Græcanici Imperii institutio, ac duratio. p. 23
Scip. Gramontii Nummus Regius. p. 262
Paris de Grassis. p. 262
Gregorius Tholosanus. p. 243
Gregorius 15 Pont. Max. p. 268
Gregorii Magni locus adversùs Sozomenum expenditur, eique respondetur. p. 142
Gregorii Logothetæ Chronicon quando legendum. p. 151
Hug. Grotius de Jure Belli & Pacis. p. 260
Gruterus. p. 291
Gualandus. p. 234
Guarinus. p. 276
Guazius. p. 278
Guevarra. p. 278
Guicciardini laudes. p. 79, &c. 259, 287
Guidicio. p. 276
Gulielmus Malmesburiensis. p. 84. *unde historiam inceperit, & quoúsque progressus est.* ib. *Savilii & Camdeni de eo judicia.* ib. *quando legendus.* ib.

H.

Hageccius. p. 282
Dion. Halicarnassei laudes. p. 55. *quot annorum seriem contineat ejus historia.* ib. *Cur princeps locus inter Rom. Historicos ei tribuendus.* ib. & seq. *Sententia ejus de Historiarum lectore.* p. 178
Hegesippus qualis scriptor, p. 127
Heinsius. p. 236, 247
Helvetiorum Historici. p. 107
Helvici Chronologia. p. 28
Henricus Huntingdonensis. p. 86. *quando legendus.* ib. *quoúsque progreditur in Historiâ suâ.* ib. *laudatur.* ib.

Heraclidis fragmenta de politiis. p. 242
Herodes Sophista. p. 250
Herodianus qualis auctor & quando legendus. p. 71
Herodotus unde suam inchoat historiam. p. 33. *quoúsque deducit.* ib. *quando floruit.* p. 34. *laudatur.* ib. *singulorum ejus librorum argumenta.* ib. & seq. *Musarum nomina cur iis imposita.* p. 35 *Quibus auctoribus locupletior reddi potest ejus historia.* p. 36
Hilarius. p. 257
Hippocrates. p. 280
Hispanorum Historici. p. 114, &c.
Historiæ definitio, finis, divisio, species. p. 10, 11.
Historiarum lectionis utilitas. p. 213, & seq. *ejusdem jucunditas.* p. 218
Historiarum studioso tria necessaria. p. 13.
Historiarum lectio ab Epitomis auspicanda. p. 26, 27
Circa Historiam universalem qui auctores consulendi. p. 28
Historia Biblica omnibus Historiis anteferenda. p. 29
Historiæ Augustæ scriptores sex. p. 70. *Doctorum de iis judicia.* ib. *quot annorum historiam suppeditant.* p. 71
Historiæ Britannicæ scriptores. p. 82. *Ad eam Historiam legendam quomodo lector se accingat.* ib. *quo ordine in eâ pergendum.* ib.
Historia Britanniæ à Johanne Theodoro Cläin edita. p. 83
In Historiis particularibus quo ordine progrediendum. p. 96
Historiæ Barbaricæ scriptores longè infra illos Romanæ subsidunt. p. 97
Historiarum quis lector idoneus. p. 171, 181, & seq.
In Historiâ Ecclesiasticâ duo temporum intervalla rescicienda. p. 125
Ad Historiarum lectorem quid requiritur. p. 171
Historiarum lectionis finis. ib.
Historias tam legentibus, quàm scribentibus, philosophia practica requiritur. p. 174
Historiarum lectori Cordato, nuda rei gestæ cognitio non sufficit. p. 177
Historicorum Romanorum fata deplorantur. p. 51
Apud Historicos quæ observanda. p. 186. *& quæ excerpenda.* ib. & seq.
Hottomannus. p. 274
Rog. Hovendeni Annalia. p. 86
Huilius Hebræus. p. 241
Hungarorum & Hunnorum Historici. p. 101
Huntingdonicnsis. vid. Henricus.

INDEX.

I.

Janottius. p. 284
Javellus. p. 237
Ignobiles qui sic dicti inter Romanos. p. 193
Ferr. Imperatus. p. 259
Imperiorum summorum series, & successio. p. 18. fatalis perhibetur. ib. quot numero fuerint. p. 19, 20. Eorum singula propbetarum oraculis præmonstrata. ib. quare dicebantur summa. p. 25
Indago. p. 282
Indiæ Historici. p. 120
Ingegnerus. p. 276
Jornandes. p. 74. Libri ejus de Regn. ac Temp. successione, necnon de Reb. Geticis, quando legendi. p. 75, 144. qualis scriptor. p. 75
Josephus quando floruit. p. 32. qualis scriptor. p. 126 Ejus Libri Antiq. & de Bello Judaico, quando legendi. ib.
Jovii Historia laudatur. p. 78, 287
Isidorus Hispalensis quando è vitâ excessit. p. 147
Isocrates. p. 250
Judaicæ Ecclesiæ Historia unde petenda. p. 126
Juliani Cæsares. p. 269
Junius. p. 290
Justinus quando floruit. p. 28
Juvenis Historiarum lector minùs idoneus. p. 171

K.

Keckermannus. p. 245. ejusdem sententia de Historiarum lectore. p. 172. defenditur. p. 173, & seq. A Quintiliano non improbatur. p. 179, & seq.

L.

Lactantius, Cicero Christianus. p. 256
Lambinus. p. 238
Lampridius. vid. Historiæ August. scriptores.
Lanæus. p. 276, 277
Lanfrancus. p. 276
Lavallensis p. 243
Lazius. p. 250
Lectio desultoria parùm utilis. p. 182
Leo Afer. p. 120
Lillii Chronicon. p. 83
Linguæ absque præceptis haud optimè discuntur. p. 173
Linguarum & Actionum ratio longè diversa. p. 174
Lini liber de passione Petri & Pauli, suppositititius. p. 131
Lipsii liber de Monitis Politicis. p. 198. de Constantiâ. p. 235
Livius laudatur. p. 57, & seq.

seq. 287. *quo tempore vixerit.* p. 58. *quot libros scripsit.* ib. *Eorum quot supersunt.* ib. 60,62. *Quo ordine legendi.* p. 59. & seq. *Eorum divisio unde.* p. 58. *Ejus Historia quomodo supleri possit.* p. 60,61
Locorum Communium formulas varii scripserunt. p. 187
Longobardorum Historici. p. 105
Lottinus. p. 290
Ludovicus IX Galliæ Rex. p. 268
Lullius. p. 257
Lundorpius Sleidani Commentarios Eccles. continuavit. p. 156
Lusiageus. p. 250
Lusinus. p. 235
Lycosthenes. p. 270
Lyranus. p. 255

M.

Maccius. p. 285
Machiavellus. p. 252, 266, 288
Octav. Magius. p. 274
Magnorum virorum ortus & obitus notandi. p. 190
Maitselerius. p. 274
Malmesburiensis. vid. Gulielmus.
Malvezzius. p. 291
Mantissæ, sive Appendicis institutum, & ratio. p. 96
Marandæus. p. 235
Marcassus. p. 276
Marettus Senensis. p. 266, 271, 290
Marnixius. p. 290
Marsilius. p. 235
Galeot. Martius. p. 270
Mascardus. p. 236, 286
Massa. p. 263
Pet. Matthæus. p. 270, 273
Matthæi Parisiensis Historia. p. 78. *Baronii de eo judicium.* ib. *vid.* p. 288
Mauricius quando à Phocâ interfectus. p. 145
Maximus Tyrius. p. 250
Medo-Persici Imperii institutio, ac duratio. p. 23
Megasthenes quando vixit. p. 30. *Scriptor haud fide dignus.* ib. *ejus scripta, notha.* ibid.
Melampus. p. 283
Melanchthonis Chronicon lectori commendatur. p. 27
Memnon. p. 233
Meteranus Historiæ Belgicæ scriptor. p. 81
Methodius. p. 250
Minutius Felix. p. 256
Mirandulani Dialogi de bonore. p. 263
Modestia suadetur. p. 5
Moldenarius. p. 282
Molinerius. p. 242
Rich. Monachus. p. 255
Monardes. p. 259
Mich. de Montaignes. p. 234

Anto. Montecatinus. p. 248
Pet. Montuus. p. 257,263
Monumethenſis. vid. Galfridus.
Moribundorum animæ longè ſapientiores. p. 267
Mornæus. p 255, 277
Tho. Morus Angliæ Cancellarius, Vitam Richardi 3 ſcripſit. p. 90. *Voſſii de eo opere Cenſura.* ib. *Mori Utopia.* p. 246
Mummius Corinthi Everſor. p. 190. *qualis vir fuit.* ib.
Mundus alter & Idem. p. 246
Muretus. p. 238
Muſcovitarum Hiſtorici. p. 119
Muſonius. p. 232
Muſulmannorum Hiſtorici. p. 117
Mutius Juſtinopolitanus. p. 263

N.

NAtta. p. 266
Naucleri Chronicon quando legendum. p. 155
Neapoleos Hiſtorici. p. 124
Neronis ſuperbia. p. 202
Neſtorius quando damnatus. p. 144
Neubrigenſis cenſura ſuper Hiſtoriâ Galfridi Monumethenſis. p. 85. *ubi incipit, & quoúſque continuat Hiſtoriam ſuam.* p. 86
Dom. Adam. Newtonus Hiſtoriam Concilii Tridentini in linguam Latinam tranſtulit. p. 168. *Judicium ejus tam de ſcriptore iſtius Hiſtoriæ, quam de opere ipſo.* ib.
Nicephorus Conſtantinop. quo tempore floruit, & quando legendus. p. 147. *quis eum publicavit.* ib.
Nicephorus Gregoras quando legendus. p. 76, 151. *Ejus laudes.* p. 76. *quot annorum res geſtas ſcripſit.* p. 151. *utrùm ſcriptor Eccleſiaſticus.* ib. *Lipſii de Eo judicium.* p. 152. *Fides ejus in dubium vocatur.* ib.
Nicephorus Calliſtus quando floruit. p. 147. *Erroribus plenus.* ib.
Nicetas Acominatus ſive Choniates, quando legendus. p. 76, 150. *Laudatur.* p. 76. *quot annorum res geſtas ſcripſit.* p. 150. *unde dictus Choniates.* p. 151. *qualis vir fuit.* ib. *Lipſii de eo judicium.* ib.
Theod. à Nihem. p. 288
Niphus. p. 237,266,281
Nobiles, qui ſic dicti inter Romanos. p. 193
Flam. Nobilius. p. 263
Normannicarum Rerum Scriptores edidit Andræas Duchenius. p. 89
Normannorum Res vetuſtæ, noſtris

noſtris intermixtæ. ibid.
Novi, qui ſic dicti inter Romanos. p. 193
Novi Orbis, ſive Americæ Hiſtorici. p. 120
Nuæus. p. 260

O.

ODonus. p. 237
Oldoricus Vitalis ſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam. p. 89
Bapt. Olevanus. p. 263
Olympias quot annos complectitur. p. 16
Olympiodorus. p. 237
Omphalius. p. 266
Onuphrii Faſti Conſulares. p. 54
Onuphrius Panvinius Platinam recenſuit & continuavit. p. 158. *Elogium ejus.* ib.
Opiatianus. p. 265
Nich. Oreſmus. p. 247
Oroſius. p. 241
Oſiander 8 *priores Centurias Magdeb. compendifecit, ſatis cum laude.* p. 166. *Ab octavâ centuriâ ad* 16 *tranſilit.* ib. *decimæ ſextæ Centuriæ res geſtas fuſius tractat, & quare.* p. 167
Oſorius. p. 266
Oſſati Epiſtolæ. p. 277
Otium duplex. p. 194
Oxonienſis Academiæ felicitas. p. 221

P.

LVcæ Pætus. p. 259
Palæologus Imp. p. 268
Gabr. Paleottus, de Conſiſtorio. p. 272,273
Pandulphus. p. 287
Ant. Panormita. p. 270
Pariſienſis. vid. Matthæus.
Paul. Paruta. p. 244,290
Paſchalis. p. 291
Paſchaſius. p. 274
Patavii Hiſtorici. p. 122
Patricii qui dicti. p. 195
Patricius Senenſis. p. 241
Patricius Romanus. ib.
Paulus III Pont. Max. p. 268
Paulus Venetus, Hiſtoriæ Concilii Trident. ſcriptor. p. 167
Iſtius auctoris encomia. ib. & ſeq.
Pedarii Senatores unde ſic dicti. p. 196
Peranda. p. 276
Anton. Pereſius. p. 271, 290
Perionius. p. 238
Perpinianus. p. 257
Perronius. p. 277
Pamph. Perſicus. p. 276
Petavii Rationarium Temporum lectu digniſſimum. p. 28
Phalereus. p. 274
Philaſtrius. p. 257
Philebus. p. 233
Philelphus. p. 242
Philippus 2 *Hiſp. Rex.* p. 268

Philologica & Philoſophica de Hiſtoriis excerpenda. p. 186. *ſub utriſque quænam ſpecies contineantur.* ib. & ſeq. *In philologicis, modus excerpendi exemplis fusè illuſtratur.* p. 189, &c. *ſub philologicis, obſervationes Criticæ continendæ.* p. 193
Aſtan. Philomarinus. p. 271
In Philoſophicis excerpendis, quæ ratio tenenda. p. 197
Illorum ſpecimen proponitur. p. 199
Picardus. p. 290
Piccolominæi. p. 234
Alex. Piccolominæus. p. 278
Pighii Annales laudantur. p. 54
Pitardus. p. 235
Platinæ quodnam fuit prænomen. p. 157. *Ejus elogium.* ib. *quo tempore vixit.* p. 158
Plato. p. 233, 239, 240
Hieron. Platus. p. 273
Plutarchi elogia. p. 59, 232. *Illius præcepta Politica.* p. 242
Polemon. p. 281
Politianus Herodiani ſcripta feliciter tranſtulit. p. 71
Polonorum Hiſtorici. p. 105
Polybius quando legendus p. 47. *Quorum temporum Hiſtoriam ſcripſit.* ib. *Quot annos continet.* p. 48. *Varias regiones peragravit.* ib. *Ejus laudes.* ib. & ſeq. p. 287. *Hiſtoriæ ejus pars maxima periit.* p. 49. *Librorum ſuperſtitum contenta.* ib. *Frequens eſt in Hiſtoriarum uſibus.* p. 202. *Principum fœdera ſuis monumentis inſeruit.* p. 259
Polydorus Virgilius, quis & qualis ſcriptor. p. 89, &c. p. 287
Pomponius Lætus qualis ſcriptor, & quando legendus. p. 72
Pontanus. p. 235
Popelinerius. p. 286
Porphyrogeneta, de Adminiſtrando Imperio. p. 268. *de Vitâ Baſilii Macedonis.* p. 269
Bapt. Porta. p. 277, 282, 283
Poſſevinus. p. 263, 285
Guil. Poſtellus Barentonius. p. 254
Presbyter Achaias, qualis auctor. p. 131
Primores & Principes civitatis qui dicti. p. 195
Prochorus, Scriptor ſuppoſititius. p. 131
Procopius de Bellis, Perſico, Gothico, &c. *quando legendus.* p. 76, 144. *Ejus encomia.* ib. *vid.* p. 288
Puerorum & Virorum, Hiſtoriarum lectio valde diverſa. p. 178, &c.
Puteanus. p. 258, 274, 277

Q.

Andr. Quercetanus. p.289
Andr. à Quercu. p. 261

R.

Florim. Raimundus. p.257
Raulæi noſtratis Hiſtoria lectu digniſſima. p. 28
Recitandi mos laudatur. p. 5. exemplo Plinii. p. 6. ejus finis. p.7,8
Reffugius. p. 278
Ludov. Regius. p. 248,250, 257,296
Rein. Reineccii Syntagma de Familiis lectori commendatur. p. 27.
Relectionum Exempla. p. 3
Remigius Florentinus. p.291
Reuſnerus. 289
Ribadeinera. p. 267
Sam. Riccius. p. 255
Richtherius. p. 290
Robertelli Diſceptatio. p.242
Robertus Abbas Sigebertum continuavit. p. 154
Romanorum Civium diſcrimen. p. 193
Romanorum Imperium, omnium maximum. p. 22,50,51. Initium habuit ante Jul. Cæſarem. p. 24. eo anno, quo Macedonia in provinciam redacta eſt. p. 49
Roman. Hiſtoriæ curſus unde auſpicandus. p.52
Romana Hiſtoria aliis præfertur. p. 219
Romuli & Remi Hiſtoriam, veram ſupponit Auguſtinus. p. 199
Mambr. Roſeus. p. 266
Ruffinus Euſebii Hiſtoriam Eccleſ. tranſtulit, & duos libros de ſuo addidit. p.136. Qualis interpres, & ſcriptor fuit. ib.

S.

Claud. de Sainctes. p.260
Salluſtii Hiſtoria periit. p. 51. ejus laus. p. 63,287
Salomonis Proverbia. p.234
Salvianus de Providentiâ. p. 256
Hier. de Sanctâ Fide. p. 255
Sanſovinus. p. 276,284,289, 290
Sapientiæ Liber. p. 234
Saracenorum Hiſtorici p.117
Sariſburienſis. p. 269
Sarmatarum Hiſtorici. p.119
Savanarola. p. 256
Savaro. p. 23
Savilii judicium de Guliel. Malmeſburienſi. p.84
Saxonum Hiſtorici. p.107
Anton. Scainus Salodienſis. p. 247
Schafnaburgenſis elogium. p. 99
Scherbius. p.290
Schioppius. p. 252,260

Scipionis Africani character. p. 190. *Auctor omnis doctrinæ haud ineptè dici potest.* p. 193. *Ejus præconia.* p. 194
Sclavorum Historici. p. 104
Scriba Florentinus. p. 291
Scribanius. p. 267
Raim. Sebondus. p. 255, 257
Seldeni Analecta. p. 83
Gustav. Selenus. 277
Seneca modum excerpendi indicat. p. 188
Ludov. Septalius de Re familiari. p. 239. *vid.* p. 251. *De Nævis.* p. 283
Genes. Sepulveda. p. 247
Serrius. p. 245
Sidonius. p. 265
Sigebertus Gemblacensis. p. 154. *Bellarmini de Eo judicium.* ib.
Sigonii Fasti Consulares. p. 54. *Ejusdem Historia de Occidentali Imperio quando legenda.* p. 77, 144. *Ubi incipit, & desinit.* p. 77. *Scriptor fide dignus.* ib. *Ejusdem Historia Bononiensis, & de Regno Italiæ.* p. 158 *Elogium ejus.* ib.
Simanca. p. 242
Simocatta quando floruit. p. 144. *quando legendus.* p. 145. *Qualis scriptor.* ib.
Simon Simonius. p. 238, 263
Simplicius. p. 236
Sleidani Compendium Lectori commendatur. p. 27. *Commentarios scripsit de statu Religionis,* p. 156
Socrates Philosophus. p. 232
Socrates Scholast. quo tempore floruit. p. 140. *Unde, & quoúsque Historiam perduxit.* p. 141. *quot annorum spatium continet.* ib. *An fuit Novatianus.* ib.
Laz. Soranzus. p. 260
Sozomenus quo tempore floruit. p. 142. *unde Historiam auspicatus, & quoúsque continuat.* ib. *Gregorii M. locus adversùs eum expenditur, eique respondetur.* ib. & seq. *Illius candor.* p. 143. *Evagrii de Eo judicium.* ib.
Spartianus. vid. Hist. Augustæ Scriptores.
Speedæi nostratis laus. p. 91. *ejusdem Theatrum Imp. Britannici.* p. 92. *à nostris adolescentibus inprimis contemplandum.* p. 93
Spondanus, Baronii *Annalium Epitomator,* p. 165
Cyr. Sponto. p. 282
Stapulensis. vid. Faber.
Sim. Starovolscius. p. 272
Stephani Regis Gesta, per Anonymum, quando legenda. p. 87
Stephani Prætorii Admonitio de librorum lectione. p. 182
Au. Steuchus Eugubinus. p. 257

Rich. Stevinus. p. 289
Strozza. p. 240
Suecorum Hiſtorici. p. 104
Suetonius quando floruit. p. 66. *Criticorum de Eo teſtimonia.* ib. *Poſt Dionem legendus.* p. 69
Sulpitii Severi Hiſtoria Sacra, quando legenda. p. 128. *Ex Sleidani Libro* de Quatuor Imperiis *continuatur.* p. 129
Summanus. p 290
Bapt. Suſius. 263
Syneſius. p. 250

T.

Corn. Tacitus de iiſdem temporibus cum Suetonio ſcripſit. p. 67. *De ejus uſu & utilitate variant Doctorum judicia.* ib. & ſeq. *quando legendus.* p. 69. *Elogium ejus.* p. 287
Taiſnerus, plagiarius inſignis. p. 282
Tamerlanes. p. 119
Tartarorum Hiſtorici. ib.
Temporum intervalla tria obſervanda. p. 14, &c.
Tertullianus. p. 256
Themiſtius. p. 250
Theodoritus quando vixit. p. 141. *quot libros ſcripſit.* p. 142. *Photii de eo cenſura.* ib. *vid.* p. 256
Theophraſtus. p. 233
Div. Thomas. vid. Aquinas.
Thuanus, Hiſtoricus celeberrimus. p. 79. *ſuæ Hiſtoriæ Res etiam Eccleſiaſticas interſeruit.* p. 168. *continuatur ad Annum* 1618. ib. *vid.* p. 259, 287
Thucydidis Elogia. p. 37, 287. *unde, & quouſque Hiſtoriam ſuam deduxit.* p. 38. *Librorum numerus, & argumenta.* ib. & ſeq. *Quinam auctores cum illo legendi.* p. 38, 40
Timplerus. p. 245, 282
Tiraquellus. p. 261
Tricaſſus Mantuanus. p. 282
Tridentinum Concilium quo anno indictum, inchoatum; & quouſque productum. p. 167. *Ejus hiſtoria à Paulo Veneto ſcripta.* ib.
Tripartita Hiſtoria, unde ſic dicta. p. 140
Trithemius. p. 277
Trogus laudatur. p. 51. *Totus deſideratur,* ib.
Turcarum Hiſtorici. p. 117
Joan. Twini Cenſura ſuper Galfr. Monumethenſis Hiſtoria. p. 85
Typotius. p. 263
Tyranni vocis ſignificatio antiquior. p. 264

V.

Vajerius. p. 274
Valdeſius. p. 261

Valentinianus Imp. benè vestitos odio habuit. p. 202
Varius. p. 234
Varro. p. 239
Vatablus. p. 238
Vbertus. vid. Folietta.
Vegius. p. 241
Velleius Paterculus inter optimos Scriptores meritò censendus. p. 65. *Ejus tum virtutes, tum nævi indicantur.* ib. *Non extat integer.* p. 66
Velsii Commentarii. p. 233, 236
Venetiæ Historici. p. 121
Paul. Venetus Hist. Trident. Concilii Scriptor. p. 167
Verulamius. vid. Vice-Com. Santalb.
Verulamius. p. 290
Verulanus. p. 241
Veteranus. p. 252
Vice-Comitis Santalbani vita & Res gestæ Henrici Septimi. p. 90
Victor. vid. Aurelius.
Victorius. p. 238, 247
Victorius Britannicus. p. 241
Hieron. Vidæ Respublica. p. 242
Vigenetius. p. 277
Villa-Regius. ib.
Vincentii Bellovacensis speculum morale. p. 235. v. Bellov.
Joan. Viperani sententia de Historiarum lectore. p. 175
Pontic. Virunnii judicium de Galfridi Monumethensis Historiâ. p. 85
Vindominus. p. 276
Vivâ voce, felicius imbibuntur disciplinæ præcepta. p. 8
Vivaldus p. 261
Ludov. Vivis sententia de Historiarum lectore. p. 177. *Ejusdem consilium circa ea, quæ in Hist. lectione sunt notanda.* p. 185. *de Re Ethicâ.* p. 235. *Libri ejus de Religione Christianâ.* p. 256. *De Consultatione liber.* p. 272
Alphon. Vlloæ Carolus 5tus. p. 270
Volaterrani judicium de Procopio. p. 76
Vopiscus. vid. Histor. Augustæ Scriptores.
Vorstius. p. 257
Vossii sententia de Historiarum lectore. p. 172. *Refellitur.* p. 173, & seq. *etiam à seipso.* p. 178
Vrbibus evertendis ævum fatale. p. 192
Vrsinus. p. 289
Vsuardus quo tempore floruit. p. 155. *Illius Martyrologium.* p. 157
Vulcatius. vid. Historiæ Aug. Scriptores.

W.

THo. *Walsinghami Chronica quando legenda.* p. 87. *e-*

87. *ejuſdem Hypodigma Neuſtriæ.* p. 88. *poſt ejus Chronica, nullus Hiſtoriam noſtram latinè ſcripſit.* p. 89
Wimphelingus. p. 266
Johan. Withamſted quando floruit. p. 85. *Cenſura ejus de Hiſt. Galf. Monumethenſis.* ibid.

X.

Xenocrates. p. 232
Xenophontis encomia. p. 41, 232. *Thucydidis libros in lucem dedit.* p. 41. *quando, & quo ordine legendus.* ib. *Quot annos continet ejus Hiſtoria.* p. 43. *Quibus auctoribus amplianda.* ib. *Ejuſdem Oeconomicum.* p. 238
Xerxis ingens apparatus bellicus, & ſucceſſus. p. 201. *quid nos doceant.* ib.
Xiphilinus. vid. Hiſtor. Auguſtæ Scriptores.

Z.

Zazzera. p. 289
Zinarus. p. 251, 272, 276
Zonaræ Hiſtoria ab initio mundi, ad Alexan. Comneni obitum. p. 74. *quo tempore floruit.* p. 149. *ejus Tertius Tomus lectori commendatur, & quare.* ib. *In ſui temporis rebus qualis ſcriptor.* ib. *Maximum in Imperio Conſtant. honorem geſſit.* p. 151
Zoſimus quando vixit. p. 73. *à quo tempore Hiſtoriam exorditur.* ib. *Homo fuit paganus.* ib. *Leunclavii de Eo judicium.* ib. *Imper. Romani declinationem proponit contemplandam.* p. 73, 77
Zuccolus. p. 290
Zuingerus. p. 238, 247

FINIS.